



Car. Anton de Martini
S. C. R. A. M. a Consil. aulic. in supr.
Judicior. Senatu Assessor, Jur. Nat.
et Instit. in Univ. Vindob. P. P. O.
Natus Revodi in Princip. Tridentino
15. Aug. 1726.

J. C. Mansfeld sc.

CAROLI ANTONII DE MARTINI
S. C. R. A. M. IN SVPREMO IVDICIORVM TRIBVNALI
A CONSILIIS AVLICIS ET P. P. O.

POSITIONES
DE
IVRE CIVITATIS
IN VSVM
AVDITORII VINDOBONENSIS.



VINDOBONAE
TYP. IOSEPHI KVRZBOECK, CAES. REG. AULAE
ILLIRICO-ORIENT. TYPOG. ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXIII.

ELENCHVS CAPITVM.

PARTIS I.

PARTIS II.



PO-

Conspectus omnium Capitum

CAPVT I.

De Anarchia & fine Civitatis.

CAPVT II.

De Civitatis nexu, ejusque Jure generatim.

)(46.

CAPVT III.

De civilis Imperii proprietatibus.

CAPVT IV.

De jure ferendarum Legum.

91

CAPVT V.

De suprema Imperantis Inspectione, & Jure politiæ.

CAPVT VI.

De potestate Imperantis exequente.

CAPVT VII.

De Jure circa bona & munera Civitatis.

CAPVT VIII.

De Jure Imperantis circa Religionis Negotia.

227 *Jus ritus arbitrarios definiendi & tollendi abusus.*
228 *Diversam religionem tolerandi.*
229 *Et vetandi doctrinas civitati noxias.*
230 *Vi supremæ inspectionis placitum legibus Ecclesiæ adjicitur.*
231 *Promovetur earum custodia.*
232 *Actus vero civitati noxii irritantur.*
233 *Jus exequendi ad personas quoque, & res ecclesiæ se extendit.*
234 *Et ideo præstatur brachium, quod vocant sæculare.*
235 *Sed & jus eminens in hisce obtinere potest.*
236 *In conflictu personæ civitatis rebus ecclesiæ præferendæ.*
237 *Nulla religio enim modus est se liberandi a naturalibus officiis.*
238 Christiana *vero ea quam maxime confirmat.*

CAPVT IX.

De officiis eorum, qui gubernant Civitatem.

239 *Officia civitatis ex fine cognoscuntur.*
240 *Hæc tenetur se perficere.*
241 *Hinc se juraque sua noscere.*
242 *Disciplinæ eo pertinentes.*
243 *Et quæ occupationes ab hoc fine abhorreant.*
244 *Officia in legibus ferendis.*
245 *Hæ ad naturales quam maxime accedant.*
246 *Easque pro rebus circumstentibus determinent.*
247 *Capita supremæ inspectionis.*
248 *Præcaveantur sordes.*
249 *Et religionis abusus.*
250 *Sint promtæ ad necessariam executionem vires.*
251 *Gravamina tollantur.*
252 *Servetur in exactionibus modus.*
253 *Ac proportio.*
254 *Viri idonei in consilium assumantur.*
255 *Eorum qualitates.*
256 *Ab horum electione precipue salus pendet reipublicæ.*
257 *Nemo consiliarius nascitur.*
258 *Sed studio, & experientia fit.*
259 *Hinc disciplina opus.*
260 *Et trutina ingeniorum.*
261 *Præferendi omnino digniores.*
262 *Ne æmulatio deferveat.*
263 *Dein invigilare oportet officialium moribus.*
264 *Eos audire, & honeste alere.*
265 *Et inprobos coercere.*

CAPVT X.

De officiis ſubditorum civitatis.

CAPVT XI.

De forma Imperii & quidem simplici.

CAPVT XII.

De forma Imperii mixta.

405 *Etsi in partes potentiales distribuatur.*
406 *Forma mixta cum aristocratia confundenda non est.*
407 *De unione plurium civitatum.*
408 *Et systemate rerum publicarum.*
409) *Quæ principia in hoc ob-*
410) *tineant.*
411 *Nulla forma commodo proprio caret atque incommodo.*
412 *Uti speciatim de democratia.*
41[3] *Tum de aristocratia,*
414 *Denique de monarchia ostenditur.*
415 *Cur tamen hæc aliis præferenda videatur?*

CAPVT XIII.

De modis acquirendi Imperium civile.

416 *Imperium civile non est jus connatum.*
417 *Sed adquisitum.*
418 *Ac originetenus ad populi subjectionem referendum.*
419 *Civitas vel electiva, vel successiva vel mixta est.*
420 *De natura electivæ.*
421 *Qui jure eligendi utatur.*
422 *Naturale est & hic vota majora concludere.*
423 *Quibus monarcha nequit adferre impedimentum.*
424 *Datur etiam aristocratia electiva.*
425 *Varia est ratio succedendi in civile imperium.*
426 *Est patrimonialis, vel non patrimonialis, hæc vero familiaris vel non familiaris.*
427 *Nulla per se præsumitur.*
428 *Si tamen probetur esse successiva in dubio pro familiari habenda est.*
429 *Regnum patrimoniale duplex.*
430 *Naturale est, ut dividi non possit.*
431 *Etsi jure belli sit adquisitum.*
432 *Sed de eo imperans jure testatur.*
433 *Aut fidei commissum facit.*
434 *Quid si rex decedat intestatus?*
435 *Servatur tunc ordo naturalis, si regnum fuit armis obtentum.*
436 *Quatenus regni notio id patitur.*
437 *Si regnum fuit sponte oblatum, populi voluntas spectanda.*
438 *Notho præfertur filius adoptivus.*
439 *Demum omni cessante dispositione populus primævæ libertati restituitur.*
440 *De ære alieno a successore solvendo in regno patrimoniali.*
441 *Fundamentum successionis in regno non patrimoniali.*
442 *Unde in numeri fiunt succedendi modi.*

443 *Qui successor in stirpe regnatrice.*

444 *Jus tunc a primo adquirente.*

445 *Successio vel gradualis vel linealis.*

446 *Quo principio posterior nitatur.*

447 *Est agnatica, cognatica, vel mixta.*

448 *Earum regulæ.*

449 *An adoptivi, vel ascendentes vel collaterales in lineali admittantur,*

450 *An naturales tantum, an patruus præ nepote.*

451 *An natus ex patre nondum rege,*

452 *Quando femina a mare sit exclusa.*

453 *De filia ultimi possessoris.*

454 *Et quatenus primus adquirens inspiciatur.*

455 *Filia ex primo genito amitam excludit.*

456 *Nec filiæ ex primo genita, filius ex secundo genita præfertur.*

457 *Quid si lege fundamentali sit vocatus.*

458 *Etiam aristocratia, vel electiva est, vel successiva.*

459 *Vel mixta.*

460 *Quantum intersit modum succedendi perspicue definire.*

461 *Id enim jure monarchæ comprehensum non est.*

462 *Is porro litem de successione decidere nequit.*

463 *Sed in dubio id populo reservatum videtur.*

464 *Qui extincta stirpe regnatrice aliam quoque formam introducere potest.*

465 *De tutore regis.*

466 *Et jure eum dandi.*

467 *Quod generatim ad imperium pertinet.*

468 *Uti jus constituendi officiales publicas.*

469 *Quid si nullus ab imperante nominatus sit.*

470 *An proximo agnato tutela debeatur.*

CAPVT XIV.

De modis quibus Imperium civile definit.

471 *Imperium desinit vel ratione populi, vel ratione imperantis.*

472 *Veluti si cives omnes deleantur.*

473 *Vel populi naturam amittat.*

474 *Aut ab alia gente totus subjiciatur.*

475 *Secus etiam cives pauci jura civitatis retinere possunt.*

476 *Civitas etiam durat relicto a civibus territorio.*

477 *Vel mutata forma regiminis.*

478 *Vel facta divisione in duas partes subjectivas.*

479 *Vel rege electivo mortuo.*

480 *Etsi nullum novum factum subjectionis celebretur.*

481 *Ubi majestas resideat in interregno.*

CAPVT XV.

De Jure gentium generatim.

CAPVT XVI.

De æqualitate gentium, aliisque cum eadem connexis Juribus.

CAPVT XVII.

De gentium humanitate.

CAPVT XVIII.

De Justitia gentium absoluta.

CAPVT XIX.

De Juribus circa Dominium, & proprietatem.

581 *Etiam gentes jure utuntur occupationis.*
582 *Inde res fiunt vel publicæ, vel universitatis, vel singulorum.*
583 *Quidquid est in territorio occupato, etiam de territorio est judicandum.*
584 *Etsi singulas glebas apprehendere haud opus sit.*
585 *Ideo quidquid in territorio vel natum existit, vel industria producitur populi est.*
586 *Nec licet advenis terras incultas occupare.*
587 *Nec a patribus familias segregibus inhabitatas, aut a populo vitioso detentas.*
588 *Quod apprehendi non potest, uti oceanus, neque occupationis capax est.*
589 *Aliud de litoribus, sinu, vel parte maris dicendum est.*
590 *Sola visio non efficit occupationem.*
591 *Imperium in personas non occupatur.*
592 *Sed tantum ad loca nullius proferri potest.*
593 *Ingrediens territorium, se subjicit jurisdictioni loci.*
594 *Quæ inde fluant consectaria.*
595 *Populus de suo territorio pro arbitrio disponere potest,*
596 *Idque in alium derivare non autem sola usucapione perdere.*
597 *Nisi ea jure gentium positivo introducatur.*

CAPUT XX.

De officiis inter gentes, quæ utilitatis sunt innoxiæ.

598 *Officia innoxiæ utilitatis inter gentes plurimum a quæstione facti pendent.*
599 *Quibus in casibus officium innoxium esse videatur.*
600 *Cur tamen oporteat illud postulare.*
601 *Transitus exercitus vix esse innoxius potest.*
602 *Refelluntur adversariorum argumenta.*
603 *Domicilium adversis, vel feminam in matrimonium edere haud est innoxium.*
604 *Hinc negari hoc officium potest.*
605 *Id ulterius declaratur.*
606 *Quatenus humanitas saltem lædi possit.*

CAPVT XXI.

De conventis & ſponſionibus publicis.

CA-

CAPVT XXII.

De Legationibus.

CAPUT XXIII.

De eo quod justum est inter gentes circa belli initia.

690 *Bellum publicum, privatum, mixtum.*
691 *Justum & injustum ratione formæ.*
692 *Qui rebelles & latrones nominentur.*
693 *Quæ bella justa ratione caussæ.*
694 *Et eorum scopus.*
695 *Quatenus bellum justum esse possit ex utraque parte.*
696 *Bella tantum punitiva justa non sunt.*
697 *Ideo refellitur Grotius.*
698 *Nec plus evincunt exempla Hæbreorum.*
699 *Aut argumenta ex legibus civilibus.*
700 *Impietas vero cum læsione conjuncta est justa belli caussa.*
701 *Non autem studium alios perficiendi,*
702 *Nec crescens alterius potentia nisi sit simul injusta.*
703 *Dariestus refutatur.*
794 *Secus bellum fieret justum ex utraque parte.*
705 *De æquilibrio gentium.*
706 *Et aliis suasoriis belli caussis.*
707 *De ratione status.*
708 *Quid nomine prætextus veniat*
709 *Bellum injustum est quoties læsio aliter est declinabilis.*
710 *De viis ad bella vitanda.*
711 *Et pacis conciliatore.*
712 *Eo non pertineat paucorum dimicatio.*
713 *Alciati - error.*
714 *Exempla in contrarium adducta jus non faciunt.*
715 *Semper enim remedia tentanda sunt leniora.*
716 *De juris retorsione.*
717 *De censu emigrationis & jure albinagii.*
718 *Talionis injustitia.*
719 *Pignorationes.*
720 *Androlepsia.*
721 *Repressaliæ.*
722 *In jure naturæ fundatæ sunt.*
723 *Opus tamen est litteris marcæ.*
724 *Civitas non tenetur ex debito civis.*
725 *Juri pignorationum renuntiari potest expresse vel tacite.*
726 *Si obtineant, præstanda est læso resarcitio.*
727 *Clarigatio.*
728 *Et belli denuntiatio.*
729 *Ejus necessitas perperam a quibusdam negatur.*
730 *Quamdiu fieri potest.*
731 *In clarigatione belli denuntiatio comprehenditur.*
732 *Priore omissa posterior est necessaria.*
733 *Etsi res propria vindicetur.*
734 *Manifesta,*
735 *Sollemnia, vel minus sollemnia.*

CAPUT XXIV.

De eo quod in hostem publicum licet.

CA-

CAPUT XXV.

De Conventis publicis, & pactione pacis.

771 *Genera pactionum bellicarum.*
772 *Et variæ formæ.*
773 *De lytri præstatione.*
774 *Pacta & inter hostes servanda.*
775 *Secluso omni mendacio & perfidia.*
776 *Pacta ante bellum inita bello orto amplius non tenent.*
777 *Nisi id etiam cautum.*
778 *Refutatur distinctio Pufendorfii.*
779 *Induciæ.*
780 *Armistitia.*
781 *Quinam inducias sanciat, & de tempore a quo obligent.*
782 *Earum effectus.*
783 *Quamdiu durent.*
784 *Eas privati factum non rumpit.*
785 *Pax.*
786 *Pactum subjectionis.*
787 *Quibus jus pacis condendæ competat.*
788 *Vim habet transactionis.*
789 *Ejus robur.*
790 *Belli justitiam non decidit.*
791 *Sed condonationem mutuam læsionum involvit.*
792 *Pacem non rumpit, qui socio tantum præstat auxilia, vel promittit.*
793 *Capita pacis sibi invicem insunt per modum conditionis.*
794 *Exceptione metus pax nequit irritari.*
795 *De pace quam vocant.*
796 *Amnestia.*
797 *Pertinet etiam ad belli socios.*
798 *De tempore implendæ pacis.*
799 *Et modo.*
800 *Summa belli calamitas.*
801 *Et præstantia pacis.*



POSITIONVM
DE
IVRE CIVITATIS
PARS I.
SEV
IVS PVBLICVM
VNIVERSALE.



CAPVT I.

DE ANARCHIA ET FINE CIVITATIS.



I.

Quamquam ſingulis familiarum ſociis incumbit, communibus periculis vi vnita obſiſtere, tamen vnusquisque patrumfamilias eum domeſticorum numerum nec reperire, nec alere ſemper potuit, qui contra increſcentem iniuriarum vim plenam ſecuritatem praeſtaret. Nihil ergo tam conſentaneum naturae fuit, quam domuum ſingularum rectores ceterarum familiarum auxilium quaerere, idque, quo eſſet certius, mutuo ſibi polliceri.

II.

Vbi duo aut plures patresfamilias inuicem ſibi contra externos hoſtes promittunt

auxilia, adeſt ſtatus, in quo perſona ius perfectum & affirmatiuum in perſonam habet, vt ad mutuæ defenſionis finem iunctis viribus conſpiret. Atque adeo ſocietas concipitur, quae licet ex ſocietatibus aliis rectoriis ſit compoſita, ipſa tamen aequalis eſt, ſipuidem ſociorum obligationes, non arbitrio imperantis, ſed ex pactionis natura determinantur.

III.

Societas haec familiarum plurium aequalis, ſiue in *pagis*, ſiue in *vicis* reperiatur, dicitur *Anarchia*, quod in eo ſtatu patresfamilias communi careant imperio. Auctoritas enim, ob prudentiam forte, ſenium aut fortitudinem, vni ex ſociis collata Imperium dici nequit. v. GEN. XV. 13. HOMER. OD. x. 112.

IV.

Hòc in ſtatu patresfamilias aliaeque perſonæ *ſui iuris* variis quidem in ſpeciem vtebantur commodis, libertatis quippe, aequalitatis, belli, pacisque iuribus gaudentes. Attamen his non contenti in maiores ſocietates coire, communi ſe ſubmittere imperio, atque naturalia illa bona cum ſubiectione, et inaequalitate, incommodisque aliis permutare ſtuduerunt. Cuius rei cauſſam noſſe plurimum intereſt, quo earum ſocietatum fines, ex finibus leges & obligationes dignoſcantur.

V.

Statui nimirum libertatis incommoda multo grauiora comitabantur, quod homines ſeu exiguo praediti ingenio, ſeu iuſtitiae ac aequitatis immemores, propriis opinionibus & cupiditatibus indulgerent. Quare nec ſingulae domus iure ſuo quiete frui, nec quod ab aliis tribuendum, tuto conſequi, nec contra aliorum inſultus ſe tueri ſolae poterant.

VI.

Sane huic malo non ſatis medebatur Anarchia. Quum enim nemo patrumfamilias ab alieno penderet arbitrio, facile inter ſocios licet probos erumpebant diſſidia, dum alia aliis ad commune bonum obtinendum remedia viderentur aptiora. Inde diffidentiae et ſimultates, quae non modo vires ac voluntates ſociorum diſſoluerent, ſed et odiis bellisque inteſtinis viam pararent.

VII.

Nemo tamen exiſtit, qui ad quaerendam felicitatem propulſandaque eius impedimenta naturali non incitetur ſtimulo. Tota autem externa, ſeu huius vitae felicitas in non interrupto perfectionum progreſſu poſita eſt; cui quam maxime obſtabat ſecuritatis defectus, quod nec animi, nec corporis, nec ſtatus externi bona ſatis tutari, multoque minus augere liceret.

VIII.

Ceterae ſocietates omnes propter hominum ſiue imprudentiam, ſiue prauitatem, ſiue creſcentem numerum, ſiue ingeniorum diſſenſum hiſce finibus conſequendis minus erant idoneae; neceſſe igitur fuit de arctiore virium & voluntatum coniunctione cogitare, adeoque propter officiorum erga ſe conflictum, ad maiora ſcilicet incommoda & pericula euitanda, libertatis & aequalitatis, aliaque naturalia iura in commune quoddam transferre imperium, vt ita voluntates ſingulorum totius vniuerſitatis voluntati ſubiicerentur. Neque enim in Anarchia ſperare licebat, omnes per conſpirationem in idem eſſe ſemper conſenſuros. Cic. *Off. II.* 12. & 21. *Orat. I.* 8.

IX.

Coetus hominum ſui iuris ſub eodem communi imperio ſecuritatis fruendæ cauſſa colligatus, *ciuitas* eſt. Patet inde ciuitatem omnem ſocietate, et quidem rectoria contineri. Eſt vero eius forma *Monarchica*, ſi imperium penes vnum, *Ariſtocratica*, ſi penes plures, *Demoratica*, ſi penes omnes collectim conſideratos reperiatur. Ex quibus elucet, quae ſit obligatio et cauſſa condendae ciuitatis, quodue eius ab Anarchico ſtatu ſit diſcrimen.

X.

X.

Sufficit ad eum coetum tanta multitudo, quanta ad ſcopum ſecuritatis obtinendum requiritur. Quod enim putauit Plato quinque millia, & quadraginta, Hippodamvs Milesivs decem civium millia, Apuleivs quindecim homines liberos, Valerivs denique M. tres requiri familias, id nullo modo hic attendi poteſt, quum creſcente metu maiores ſemper conſtitui ciuitates neceſſe ſit. Illud vero abunde liquet, a ſolis maribus, aut a ſolis feminis diuturnam ciuitatem effici non poſſe. Florivs L. I. C. I.

XI.

Debent porro ſocii ciuitatis ſeu *ciues* eſſe ſui iuris, id eſt, nec imperio parentali nec herili ſubjecti, quin tamen ſingulos familiam habere opus ſit. Hinc filiifamilias et ſerui, quamuis intra terrae ſpatium, quod ciues poſſident, ſeu in communi ciuitatis *territorio** exiſtant, perſonae tamen ciuiles non ſunt. Sed et ipſae perſonae imperantium ciues ſunt; quare hi in *imperantes* et *parentes* diſpeſcuntur.

*L. 293. §. 8. *de V. S.*

XII.

Commune, quod requiſiuimus, Imperium propterea non ceſſat, ſi ſocietas ciuilis vna plures poſſideat diſſitas regiones, ciuesque plurimi a ſe iniucem remoti viuere de-

beant. Etsi et illud aliquando accidat, vt vnus sit rector diuersarum omnino ciuitatum.

XIII.

Finem denique ciuitatis primarium ac proprium statuimus esse securitatem. Quamquam enim haud negemus, etiam alios secundarios assignari fines posse, hi tamen omnes primitiuo illi tanquam stirpi et radici inhærent. Arcentur vero fines inhonesti, ob quos inita societas non ciuitas veri nominis, sed *turba* est.

XIV.

His praestructis facile erit sententias de caussa condendae ciuitatis inuicem conciliare. PLATO illam ab hominum indigentia repetit. Sed in hac homines nunquam fuissent versati, si modo quisque perfectioni intellectus et voluntatis dedisset operam; nemo esset otiatus, nec quisquam iustitiae et charitatis officia violasset; non enim primis ciuitatum conditoribus rerum copia, sed illis secure fruendi ratio deficiebat.

XV.

ARISTOTELES recurrit ad naturæ stimulos. At his tantum conueniunt societates minores et aequales extra ciuitatem positae. Ipsa enim *natura quisque magis studet libertati quam imperio* *. Itaque ciuitas societates simplices non necessitate quidem absoluta, sed cum ad-

* CÆSAR *B. G. III.* 10.

adiunctione conſecuta eſt*, quod mortales naturalem illum ſtatum profecto non deſeruiſſent, niſi conflictatio officiorum ſubiectionem omnino poſtulaſſet.

* Cic. *Off.* I. 17.

XVI.

Ita & illorum ſententiam, qui ſocietatem ciuilem ex ipſo ordine naturae deriuari arbitrantur, neceſſe eſt declarare. Nec enim Patresfamilias ex ſola natura alii aliis ſubiecti eſſe intelliguntur, ſed poſita primum conuentione; quia tamen nec in vita ſegrege, nec in anarchia ſufficientem ſperare licuit ſecuritatem, dictauit profecto ratio atque adeo lex naturalis, vt homines concederent in ciuilem coetum, cuius omnis cura atque opera poſita eſſet in auertendis ſingulorum periculis; quique ſi non omnia propelleret mala, ſummum tamen, quod eſſe poſſet, eorum faceret compendium. Cicero *pro Sext.* c. 42.

XVII.

Atque eodem recidit doctrina eorum, qui Deum auctorem faciunt ciuitatis. A Deo enim nobis tributa recta ratio eſt, et lex naturalis, quae orto conflictu officiorum ciuilem iuſſit iniri ſocietatem. Quo ſenſu praeclare obſeruatum eſt a Cicerone*, nihil eſſe illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius,

 ptius,

* *Somn. Scip.* c. III.

ptius, quam concilia coetusque hominum iure ſociatos, quae ciuitates appellentur. Id ipſum ſacri Codices mirifice illuſtrant.*

* *Prou. VIII. 15. Eccleſiaſtici XVII. 14. Rom. XIII. 1.*

XVIII.

Igitur hoc modo ciuitas *generatim* conſiderata recte dicitur ſocietas inter homines omnium perfectiſſima, quam naturae auctor non modo initam conſequenter adprobat, ſed iam antecedenter ineundam eſſe praeceperat, vt, quemadmodum morbis paratur medicina, ita & firmitati Patrumfamilias communis imperii remedium conſuleret. Etſi vero D. Petrus * ciuitatem *humanam* vocat *ordinationem*, id tamen ad *ſingulares* ciuiles ſocietates, et varias earum formas tantum pertinet.

* *Ep.* I. *c.* II. v. 13. cf. PUFEND. *de J. N. & G L. VII. C. III.* §. *3.* LEYSER *ſpec. ad Pand* 568. §. *1.*

XIX.

Illi, qui ciuitates metu impellente excitatas fuiſſe contendunt, a nobis haud diſſentiunt. Qui enim ſecuritatem quaerunt, ii primo metuunt. Quare vt ſe periculis vndique ingruentibus primi mortales expedirent, non alia ei fini ſatis idonea praeſto erant ſubſidia.

XX.

XX.

Nec quippe eum ſtatum praeſtare poterant, aut 1.) Lex naturalis ſibi ſoli relicta, quum ſaepe dormiat hominum conſcientia; aut 2.) metus Numinis, quod ſera eius vindicta plerumque futurae ſeruetur vitae, aut 3.) aliae quaecunque conuentiones, quod eae facile violarentur, niſi coniunctis demum viribus perfidi ad fidem datam compelli, atque communi imperio debiliores a potentioribus defendi poſſent. Quid quod nec ſemper in ciuitate virtus vincat audaciam?

XXI.

Docent alii ciuitatem violentia conſtitutam eſſe. Quae opinio tunc admitti poteſt, ſi eum ſenſum habeat, homines violentiam metuentes in communem coetum mutuae ſecuritatis ergo tranſiuiſſe. At falſa eſt, quando ita explicant, vt ipſum imperium initio ſola coactione et potentia phyſica fuerit ſtabilitum. Si enim primam ciuitatem democraticam fuiſſe ponas, ſane repugnabat, manente apud omnes imperio, ſingulos ſibi vim intuliſſe. Si vero imperium penes vnum vel paucos fuit, quomodo his totius licuiſſet multitudinis vires ſuperare? Sed et ſacrae Litterae huic opinioni aduerſantur. Gen. XIV. 18. XX. 14.

XXII.

XXII.

Vt doctrinam noſtram labefactent, aiunt, ſolam vim originem ciuitatum fuiſſe ex eo adparere, quod 1.) probi inter ſe ſatis fuerint ſecuri, vt ciuili ſocietate non egerent, et quod 2.) Cainus eam primus condidiſſe legatur, * immo quod 3.) ſtatim poſt diluuium Nimrodus homines ſubiugare coeperit, atque 4.) improbi fuerint, qui eodem tempore turrim aedificarint, vt ſibi *nomen facerent*, id eſt, ſuperbiam alerent, ** a Deo propterea linguarum confuſione puniti.

* GEN. IV. 17.
** GEN. X. 8.

XXIII.

Addunt 5.) in ſacris Litteris mentionem fieri Gigantum ſeu oppreſſorum *, quo referendi videantur venatores, qui, quod armati eſſent, paſtores inermes et agricolas ſibi ſubiecerint, et ſpeciatim Eſauus, qui regnum ſibi condidiſſe et Choreos profligaſſe memoretur **. Maxima denique regna, veluti Romanorum rempublicam, violentia potiſſimum increuiſſe.

* GEN. VI. 4.
* GEN. XXXVI. DEUT. II. 12.

XXIV.

Non tamen tanti haec ſunt argumenta, vt non facile dilui, atque euerti poſſint.

Quis

Quis enim 1.), vt aduerſariorum tela ordine ſuo proſequamur, improbis inſtitutum tribuat, quod ex legis naturalis hypotheticae cuſtodia ipſo Deo auctore profectum eſſe intelligitur? Sed nec repugnaret, malos ſibi metuentes quaeſiviſſe ſecuritatem, veluti Cainum; etſi 2.) hunc non conſtet feciſſe ciuitatem, verum potius caſarum collectionem, maceria, vel ſepe viridi cinctam, familiari attemperatam imperio, quo ipſum ſecuritatis deſiderium impulit.

XXV.

Reponimus 3.) Nimrodum nihil aliud quam venatorem fuiſſe praecipuum ferarum, quarum magna copia homines infeſtauerat. 4.) Turrim illam non fuiſſe ambitionis, verum potius metus effectum, voce Hebraica *Schem* ſignum dumtaxat denotante, quod reſpicere poſſent, ſi quando diſpergerentur venatione; neque ideo eius exſtructores confuſione linguarum punitos fuiſſe, ſed ideo potius, quod contra Dei voluntatem, qui orbem totum illis habitandum deſtinarat, vniti manere ſibi propoſuerint.

XXVI.

5.) Potuiſſe quidem mortales ad eum coniungi finem, vt alios ſibi ſubiicerent; verum ita, vt ipſa illa vnio communem vnitorum voluntatem, adeoque ſocietatem quamdam ciuilem preaeceſſiſſe deſignaret. Potuiſſe

im-

imperia per vim increſcere, ſed inde non ſe-qui a violentia primam ciuitatum originem eſſe repetendam.

XXVII.

Eſt praeterea alius *finis operis*, propter quem agere debemus, alius *finis operantis*, ob quem agimus; illum Philoſophus, hunc Hiſtoricus conſiderat. Ita fieri potuit, aliquarum civitatum *formas aut ex benevolentia*, *aut beneficiorum magnitudine*, *aut dignitatis praeſtantia*, *aut ſpe largitionis* * coaluiſſe. Sed ea res eſt cognitionis hiſtoricae, quum a facto ſingulari tota dependeat. Nos vero ciuitatis finem ex eiusdem natura ſola ratione contemplati ſumus, qui vtique ad cognitionem ſpectat philoſophicam.

* Cicer. *Off. c. 6. 11.*

CAPVT II.

DE CIVITATIS NEXV, EIVSQVE IVRE GENERATIM.

XXVIII.

Nulla ſocietas absque communi fine, virium vnione et voluntatum, negotiis denique ſocialibus intelligitur. Quum itaque de cauſſa et fine ſocietatis ciuilis actum ſit, ſequitur, ut de modo, quo plurium pa-

trum-

trumfamilias vires et voluntates vnitae ſunt, ſeu de ciuitatis nexu diſſeramus, ad ipſa negotia inde ciuilia tranſituri.

XXIX.

Placet multis Pvfendorfii ſententia, qua ciuitatis ſtructuram a duobus pactis et vno decreto deriuauit. Et primum quidem ac praecipuum pactum ait ſingulos cum ſingulis in naturali libertate viuentibus iniiſſe, quod in vnum ac perpetuum coetum coire ſuaeque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio adminiſtrare velint. Hoc deinde pacto ſemel absque vlla determinati regiminis conditione celebrato ita obſtringi omnes, vt cuicumque demum imperandi poteſtatem tribuant, a coetu recedere haud amplius poſſint. Pvfend. *de J. N. & G. L. VII. c. 2. §. 7.*

XXX.

Sed & porro ex eius mente *decretum* ſucceſſit, quo a ſociis imperii forma fuerit definita, an ſcilicet vnus, an plures, an vero omnes collectim ciues imperarent. Cuius decreti ea vis ſit, vt ei quidem aſſentiri non teneantur perſonae, quae nonniſi ſub alius regiminis conditione in ſocietatem conſenſerint, tamen vt reliquae, quae pactum pure iniuerint, ſuffragiis plurimorum ſtare cogantur.

XXXI.

XXXI.

Addit demum aliud pactum, quo vel Monarchae, vel optimatibus, aut toti populo ſecundum formulam in decreto conuentam ſe ſinguli ſubiiciant. Et hinc pactum *vnionis* virium, decretum *formae*, et *pactum ſubiectionis* ſecerni conſueuerunt. DION. HALICAR. L. II. p. 80. IOSVE I. v. 16. 18. I. REG. 10. v. 24.

XXXII.

Enimuero non prius patribusfamilias de conſtituenda ciuitate inter ſe tractare licuit, quam phyſica quaedam illorum congregatio exiſteret. Haec autem vnio non tam a conuentione, quam a facto dependebat; ſiue quod homines diu per orbem errantes ad eadem demum loca fortuito delati fuerant, ſiue quod a communi ſtipite progeniti, et in varias domos diſtributi in vicinis terrarum ſpatiis iam ante ſimul permanſerant, quemadmodum de Achaeis proditum eſt. IVSTIN. Hiſt. L. XXXIV. 1.

XXXIII.

Sed et quamprimum ſtatus concipitur, in quo plures homines ſui iuris de vita in vno ac perpetuo coetu mutuae defenſionis ergo tranſigenda ita conuenerunt, vt ſinguli vi huius pacti ſuas voluntates vniuerſorum aut maioris partis voluntati ſubiicere teneantur, iam adeſt ciuitas alibi definita. Quia igi-

igitur Pufendorfii opinione ſtatus ille ex ſolo pacto primo conſequitur, euidens eſt, fruſtra alterum pactum et intermedium decretum generatim ſuperaddi.

XXXIV.

Ac profecto, qui in ſocietatem ciuilem conſenſit, ſine vllius formae exceptione, id vtique, quod naturale eſt, voluiſſe iudicandus eſt, nimirum ſuam voluntatem imperio ſubmiſiſſe vniuerſorum; quorum porro erit, vel jam enatam inde democratiam tueri, vel diuerſam ab hac imperandi rationem ſtabilire. Fingas vero primum illud pactum vim non habere, tum id negotium non iam ad pactorum genus, ſed ad nudos tractatus pertinebit.

XXXV.

Tum igitur demum vera eſt PVFENDORFII doctrina, quando multitudo Ariſtocratiam vel Monarchiam praefert Democratiae. Nam tunc opus eſt decreto, quod ſingularem hanc inducat formam, dein nouo pacto, quo in certas et determinatas perſonas imperium transferatur. Alias ita viget imperium vniuerſorum, vt ſinguli quam minimum primaeuae ſuae libertati detraxiſſe videantur.

XXXVI.

Nec quisquam obloquatur, etiam in Democratia eligendas fore perſonas, quae ne-

gotia quotidiana expediant. Enimvero adesse prius ciuile necesse est Imperium, quam huiusmodi personae decernantur. Aliud quid igitur est conuentio, qua constituitur ciuitas, aliud *ordinatio ciuitatis*, seu remediorum electio, quae ad finem societatis ciuilis consequendum magis idonea iudicantur.

XXXVII.

Pendet haec ordinatio, seu *respublica*, in eo statu ab arbitrio vniuersorum, quorum erit definire, an ciuile penes se retinere imperium, an idem vni, an pluribus sub nulla vel sub certa formula, aut mere personale, aut in alios transmittendum concedere velint.

XXXVIII.

Hinc non obscurum est, vnicum pactum subiectionis, quo singuli voluntatem suam vniuersis submittant, vel quod idem est, pactum vnionis ciuilis ad essentiam ciuitatis generatim acceptae sufficere. Nam qui voluntatis vnionem, seu subiectionem spondet, is eo ipso in physicam ciuium vnionem, omniaque remedia ad confirmandum hocce consociationis vinculum necessaria consensisse intelligitur.

XXXIX.

Illos itaque non moramur, qui vnicum ad ciuitatem constituendam pactum ideo sufficere non posse arbitrantur, quod hac ratione primas societates ciuiles fuisse democraticas,

ticas, & non monarchicas contra omnem fidem hiſtoricam ſtatuendum fore putent. Etſi enim imperium origine totius fuiſſe multitudinis cogitemus, multae tamen ac graues eſſe poterant cauſſae, cur populus illud vni ciui permittere, quam ſibi habere mallet.

XL.

Patet vero non eſſe opus, vt tale pactum expreſſis fiat verbis, ſed et tacitum ſufficere, dum populus communi ſuffragio et adiutorio de ſecuritatis obtinendae ſubſidiis ex vſu ac conſuetudine deliberare ſolet, aut dum infirmiores atque imbeciliores ab iis ſe gubernari patiuntur, de quorum iuſtitia, prudentia et robore magna exiſtit opinio.

XLI.

Non minus inde colligitur, ciuile quod dicimus imperium ex pacto pendere, atque vi originis ſuae penes patresfamilias aliosque ſui iuris homines, vt ius proprium reſediſſe. Et quum ſola violentia vnio voluntatum effici nequeat, ciuitatem inter ſocietates voluntarias eſſe referendam. Cicer. *de LL. III.* 2.

XLII.

Sicut reliquae ſocietates, ita ſocietas ciuilis eſt vna perſona moralis in ſtatu naturali viuens, vnum corpus politicum, iuribus propriis diſtinctisque inſtructum obligationibus. Et quia ciues non ſibi tantum, ſed etiam poſteritati conſulere videntur, eſt quoque ſo-

cietas perpetua eoque ſenſu immortalis, quatenus noui ſemper ſocii in eamdem ſuccedunt, vt adeo poſt annos innumeros idem populus manere videatur. *L. 76. D. de iudiciis.*

XLIII.

Quoniam leges ſociales, quae ad totum pertinent populum, *publicae* vocantur, et quidem naturales, ſi ex ipſa populi notione promanant, euidens eſt dari leges ciuitatis vniuerſales, quae porro planae ſint, ac liquidæ, mathematica gaudentes certitudine, immutabiles, neceſſariae, aeternae, vt alibi oſtenſum eſt.

XLIV.

Harum principia ex iis, quae ibidem tradita ſunt, nullo negotio intelliguntur. Principium ſcilicet, quod aiunt *eſſendi*, in non repugnantia ciuilis ſocietatis, *exiſtendi* in actuali eiusdem ſtructura, *cognoſcendi* ſubiectiuum in recta ratione, obiectiuum denique in coetus huius perfectiſſimi fine collocanda ſunt.

XLV.

Ex quo perſpicitur, cur inter iurisprudentiæ naturalis ſocialis partes etiam ius ciuitatis ſit relatum; quod ſi in officiis verſatur *imperantium* et *ſubditorum*, jus ciuitatis *internum* vel publicum vniuerſale, ſi vero officia exponat a populis ſibi inuicem praeſtanda, *ius gentium*, ſeu ius ciuitatis *externum* nuncupatur.

XLVI.

XLVI.

Finis ciuitatis eſt ſecuritas. Huic maxime repugnat periculum, quod vel impendet a ſociis *internum*, vel a non ſociis ſeu peregrinis *externum*. Exigit itaque ſalus ſocietatis ciuilis eiusque commune bonum, ne quid ei a ciuibus ſuis periculi ſit, ſed vt omnes potius ſecuritatem tam internam quam externam pro virili præſtent.

XLVII.

Quumque in legum conflictu eo modo inſtituenda ſit exceptio, vt potius finis, quam remedii, boni majoris, quam minoris, totius quam partis ratio habeatur, facile perſpicitur illius axiomatis veritas: ſalutem populi ſaluti ciuium ſingulorum eſſe anteferendam.

XLVIII.

Quibus autem remediis ſalus publica obtineatur, ex ſequentibus elucebit. Abſtinet quis a malo nobis inferendo, vel ex *voluntatis* vel ex *virium* defectu. Deficit voluntas ſiue I. quod laeſionem noſtram vt malam ſibi repraeſentet et virtutem colat, ſiue II. quod nulla rerum indigentia ad eam impellatur, ſiue III. quod nocere volens maius quoddam malum pertimeſcat. Vires laedendi deſunt, quando quis vim reſiſtentem ſuperare potis non eſt.

XLIX.

Quare I. ciues ad virtutem informentur; II. de vitae ſufficientia cuilibet pro ſtatu ſuo proſpiciatur, ne ſtruant tumultus; III. vitia poenis efficacibus compeſcantur, virtutes excitentur praemiis; IV. promtae ſemper ſint vires, quae hoſtilia meditantibus reſiſtant, ea tamen moderatione, vt ne remedium ſit peius malo, datisue alibi de legum conflictatione regulis repugnet.

CAPVT III.

DE CIVILIS IMPERII PROPRIETATIBVS.

L.

Quoniam Imperium generatim alibi definitum eſt ius perfectum actiones entis intelligentis pro arbitrio determinandi ad certum quemdam finem, ciuitas vero ſine imperio concipi non poteſt, perſpicuum fit: Imperium ſeu poteſtatem ciuilem contineri iure gubernandi ciuitatem, hoc eſt, actiones omnium ſubditorum ad communem ſecuritatem pro arbitrio dirigendi. GROT. *J. B. & P.* I. *c.* 3. §. 6.

LI.

LI.

Quotquot exiſtunt ſocietates hypotheticae, illae in ciuitatem veluti partes in totum quoddam deſinere poſſunt. Eſt igitur ciuitas coetus inter rectorios omnium maximus, atque adeo ciuile imperium reliquas omnes humanas poteſtates dignitate et magnitudine antecellit, ac idcirco eminentiore illo *Maieſtatis* nomine fuit inſignitum.

LII.

Ex his porro colligitur, Maieſtatem ita verſari in ciuitate, vt altera ab altera ſeiungi nullo modo valeat. Imperium autem ciuile a nullius alterius hominis arbitrio pendere, eſſe in his terris penitus liberum atque *independens*, neque eius actus alterius cuiuslibet iuri ſubeſſe, aut irritos reddi poſſe. Etſi enim ciues ſinguli ſuas voluntates vniuerſorum voluntati ſubmiſerint, attamen aliorum intuitu, cum quibus nulla fuit ſocietas inita, libertatem naturalem ceteraque omnia retinuerunt iura.

LIII.

Inde autem fluit, poteſtatem hanc ciuilem ſeu Maieſtatem recte *ſummam* nominari. Praeterquam quod enim ſocietates minores, quae in ciuitatis territorio reperiuntur, ſiue illae coniugales ſint, ſiue parentales, ſiue heriles, ſiue domeſticae, aut cuius demum cunque alterius finis cauſſa colligentur,

omnes cum ſuis rectoribus ciuili ſubiectae ſunt imperio, ita hoc praeter Diuinum numen neminem alium agnoſcere ſuperiorem poteſt.

LIV.

Et quia nullus rector alius exiſtit in ciuitate, qui Maieſtati non ſubſit, conſequens eſt, vt nec vlla in territorio ciuili poteſtas eidem aequalis reperiatur, adeoque Maieſtas eo ſenſu *vna* atque *vniuerſalis* adpellanda ſit. Quamprimum enim duo illic huiusmodi imperia exiſtere fingeres, vel penitus deſinere ciuitatem oporteret, vel in duos ciuiles coetus diuerſos abire.

LV.

Iura, quae ex notione Majeſtatis intelligi atque explicari poſſunt, *maieſtatica* adpellantur; quorum licet plura quidem, vt in ceteris minoribus imperiis, numerari, adeoque, in partes diſtribui minime repugnet, quia tamen ab ipſa ciuitatis eſſentia atque natura diuelli nequeunt, haud obſcurum eſt, cur inter reliqua maieſtatis attributa illud quoque, quod *indiuidua* ſit, recenſendum veniat. GROT. *L. c.* §. 17.

LVI.

Ideo hominum iura vt prorſus aequalia et inter ſe congrua cogitantur, quia ab ipſa hominis notione promanant. Quum igitur iura etiam maieſtatica ab imperii ciuilis eſſentia

tia ducantur, nemo inficias iuerit, *aequalem* apud omnes populos, eamdemque omnino vigere maieſtatem; quare quod vni ciuili ſimpliciter conſideratae licet ſocietati, idem & alteri licere, ac viciſſim, quod vni non licet, nec alteri id licere eſt neceſſe.

LVII.

Neque huic quidquam derogat aequalitati diuerſa ciuitatis forma. Quod enim origine ſua toti populo imperium competit in Democratia, idem quoque in Ariſtocratia aut Monarchia, quam primum totum illud in paucos aut vnum duntaxat translatum fuit, vigere oportet. Neque aliud ſtatuendum eſt, ſi populo iura quaedam maieſtatica ad democraticas, quaedam alia ad ariſtocraticas, quaedam denique ad rationes monarchicas, vel ad harum binas exigere placuerit.

LVIII.

Sed etiam imperium ciuile ipſum a modo illud habendi probe diſcernendum eſt. Ab huius enim varietate perperam quis illius etiam diſcrimen argueret. Sane nec dominia, nec reliqua iura ideo ab inuicem differunt, quod ea iam modo originario, iam deriuatiuo, iam ex contractu benefico iam oneroſo poſſideantur. Quare et maieſtas vna ſemper atque eadem permanet, etſi populus, qui eam initio inſpecto in τῳ *ſuo* habet, diuerſas eius transferendae leges definiuerit. Grot. *L.c.* §. *XI.*

LIX.

Quemadmodum porro a maioribus patrisfamilias aut hominis alterius viribus ac corporis proceritate, ad ſtatum inaequalitatis moralis non valet collectio; ſed quodlibet familiae caput naturaliter iisdem in domo ſua vtitur iuribus, ita ii magnopere hallucinantur, qui iura maieſtatica et imperium ciuile ex numero ciuium, territorii amplitudine, aliisue potentiae phyſicae adminiculis eſſe putant aeſtimandum.

LX.

Maieſtatem absque ciuitate eſſe nullam, hanc autem pacto coaleſcere, et finibus diuini numinis quam maxime conuenire, ſupra eſt oſtenſum. Vnde manifeſto conſequitur, ſpeciatim conſideratam maieſtatem principium quoque ſuum proximum quidem in conuentione, remotum vero in ipſa Dei voluntate poſito officiorum conflictu habere, eo ſcilicet modo, quo ipſas naturae leges proxime ab hominis natura, remote autem a liberrimo Dei ipſius arbitrio deriuauimus. VICTORIA *relect. III. de poteſt. ciuil. IV.* I. *ſeqq. v.* OSEE c. *VIII. v.* 4.

LXI.

Sicut porro haec explicandi ratio contra legum naturalium ſanctitatem minime venit, ita et illud maieſtatis attributum, quod nimirum *ſancta* ac *inuiolabilis* ſit, haud quaquam

im-

imminuit, quia nec ius imperii, a vario illud habendi modo immutari, abunde demonſtrauimus. Concina *Th. Chr. T. VI. diſt. IV. c.* 2.

LXII.

Nititur vero ſanctitas imperii ſumma, qua munitum eſt, ſanctione poenali. Si enim grauiſſima illa habetur laeſio, quae plurimis infertur, et eatenus maximam meretur imputationem, nullum profecto inter officia erga alios homines maioris eſt ponderis, quam a ciue non violari ciuitatem, cui ſociale pactum Auctorisque naturae voluntas ita eum ſubiicit, vt orto conflictu propriam ſuam tanquam partis ſalutem negligere potius, quam totam diſcrimini exponere ſocietatem teneatur.

LXIII.

Menſuram iura maieſtatica accipiunt tum ex communi Imperii notione, tum ex ſocietatis ciuilis fine; quamobrem ſe ad ea extendunt omnia, ſine quibus nec ſociatam dirigere multitudinem, nec eius ſalutem liceret efficere. Haec vero iura ſi in ipſos ſe exſerunt ſubiectos *immanentia*, ſiue interna, ſi in extraneos, *tranſeuntia* ſiue externa nuncupantur. Priora quoque iura imperii ſpeciatim, poſteriora iura libertatis naturalis dici ſolent.

LXIV.

LXIV.

Poſſunt homines in ſtatu naturali viuentes aliorum implorare auxilia, ſeque in eorum patrocinium et clientelam conferre pacto inito, atque hiſce ipſis ſocietates civiles ſibi ſaepius conſulere ſolent ſubſidiis. Aſt vti homini propterea nihil de ſua perſonali decedit libertate, ita nec ciuitates huiusmodi conuentionibus ſummam violant Imperii Maieſtatem, quin potius eamdem magis confirmare conantur. GROT. *L. c.* §. *XXI*, CIC. *Off. II.* 8.

LXV.

Nec minus ſua ciuili imperio conſtat ſummitas, etſi populus vi pactionis alteri populo aliquam concedat praerogatiuam, eiue quaedam honoris aut reuerentiae ſigna exhibere, ac ipſius imperium comiter venerari & conſeruare teneatur, nec enim qualibet praerogatiua tolli libertatem alibi docuimus.

LXVI.

Atque eamdem ob cauſſam dubium eſſe nequit, quin ſummum ii retineant imperium, qui alteri genti annuam penſionem, ſiue eam ſtipendium eſſe dicas, ſiue tributum, pendere neceſſe habent. Nec enim contracto aeri alieno ſtatim ſubiectio cohaeret, quippe quod non ex creditoris imperio, ſed ex pacti natura perſoluendum eſt. Quid quod etiam annuis eiusmodi ſubſidiis potentiores ſaepe

ſub-

ſubueniunt infirmioribus? GROT. *L. c.* §. *XXII.*

LXVII.

Denique quum in nexu feudali non ſemper ſimul promittatur ſubiectio, ſed fides detur, certa dumtaxat praeſtandi ſeruitia, curamue adhibendi, ne quid in alterius fiat praeiudicium, manifeſtum eſt: eius generis conuentionem, quae non tam ius quam illius habendi modum afficit, nihil de ſumma ciuili poteſtate delibare. Quamuis vero quis ob perfidiam priuari feudo poſſit, attamen ea priuatio non ex iure imperii, ſed ex illo iure deſcendit, quo aequalis laeſus contra laedentem ſibi aequalem vtitur.

LXVIII.

Tum vero exiſtit demum ſubiectio, ſi eo pertineat pactum, vt populi vnius ſocii ab alterius populi nutu aliquando pendere, eius ſe ſubmittere iudicio, & particula quadam maieſtatis pro ipſius arbitrio vti obligentur. Etſi enim tunc populus legibus ceteroquin ſuis viuere permittatur, nihilominus ei precaria tantum ſupereſt libertas, quo ipſo etiam veri nominis Maieſtas euanuit. L. 7. D. *de capt. & poſtl. rev.* Grot. *l. c.* §. XXI. & Barbeyrac. *ibid.*

LXIX.

Ceterum quibus capitibus iura omnia maieſtatica contineantur, non eadem eſſe vide-

detur Doctorum ſententia. Nos haud grauatim eorum partitionem amplectimur, qui ciuile imperium I. Iure *legum ferendarum*, dein II. Iure actiones ac res omnes ſubditorum, ſiue ii ſinguli ſint, ſiue in minores collecti ſocietates, *inſpiciendi*, demum III. Iure conſilia, quae ad bonum publicum capiuntur, *exſequendi* concludunt. Vnde triplex illa poteſtas, quam legislatoriam, inſpectoriam, & executoriam vulgo nominant, promanat. v. Grot. *l. c.* §. VI.

CAPVT IV.

DE IVRE FERENDARVM LEGVM.

LXX.

Illa eſt imperii natura, vt imperans actiones ſubiectorum pro ſuo arbitrio ad ſocietatis finem determinare valeat. Voluntas imperantis ſufficienter declarata, vt ſubditi actiones ſuas ad eam componant, *Lex*, arctiore ſignificatione, nominatur. Itaque imperantem ciuilem legum ciuilium ferendarum iure gaudere non ambigitur, quippe ſine quibus, vt corpora noſtra ſine mente, ſic nec ciuitas ſuis partibus, vt neruis ac ſan-

ſanguine et membris, vti poteſt. CIC. *pro Cluent.* 53. *de LL. III.* 1.

LXXI.

Duplici autem ratione ius hoc ſeſe exſerit, prout leges ab ipſa ciuitatis eſſentia, vel a rebus cuiuslibet ſocietatis incidentibus repetuntur. Horum itaque fontium alter cuiusque populi communis eſt, alter ſingularum ciuitatum proprius. Sic vt hoc utar exemplo, nuſquam obligatio parendi aut ſecuritatis procurandae abeſſe poteſt; contra an rerum quarumdam commercium praecipere vel prohibere e re ſit populi, id ex loco, tempore, perſonis, ceterisque adiunctis eſt iudicandum.

LXXII.

Priores leges immortales, neceſſariae, vbique eaedem, mutarique neſciae, poſteriores fortuitae ſunt, mutabiles, & quum a diverſis euentibus pendeant, pro iisdem variandae. Ceterum tunc perfecta erit ciuilis legislatio, ſi leges a loco, tempore et adiunctis deſumendae cum iis, quae ab eſſentia ciuitatis ducuntur, concordent. Liv. XXXIV. 6.

LXXIII.

Quicunque in ciuitate ſunt, ii non remedia modo ad finem communem neceſſaria, ſed et illa, quae circumſtantiis ſingularibus nituntur, cognoſcere debent, vt actiones ſuas iis adtemperare queant. Qua cognitione

ne ſi omnes aeque pollerent, et pari ſalutis publicae amore tenerentur, vix opus foret, leges nouas ferre. Sponte enim ſua quisque ſine lege fidem rectumque coleret. Ovid. *Metam.* I. 89.

LXXIV.

Quum vero, quas varia tempora deſiderant actiones, cuncti ingenio proprio intelligere antecedenter nequeant, neceſſe eſt, vt qui ciuitatem gubernant, ſeu *Regimen* gerunt, ciuibus haſce agendi normas declarent. Atque, quum pluribus ſaepe idoneis aeque remediis idem obtineatur finis, illud quod imperanti praeplacet, ipſe manifeſtare debet.

LXXV.

Sed & inde legum neceſſitas maxime elucet, ſi in animum inducas tuum, eos quibus iurium maieſtaticorum exercitatio committuntur, homines eſſe, a quibus aliquando impetres, vbi ius, vbi iniuria opus ſit, eſſe gratiae locum, eſſe beneficio; et iraſci et ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe. Leges vero rem ſurdam, inexorabibem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi, quam potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris. Liv. *II.* c. 3.

LXXVI.

Leges ciuiles fortuitae toties libertatem ciuium naturalem imminuunt, quoties eadem

rei-

reipublicae nocere poſſet. Quid autem hic et nunc damno reipublicae cedat, iis dumtaxat cognitum eſt, qui non modo aliqua, ſed omnia eius euenta penetrant. Sane aliquando mala quaedam ob eorum conſtictum toleranda ſunt, quae ſi impedire conetur imperans, maioribus etiam incommodis ciuitatem ſubiiceret.

LXXVII.

Leges igitur mutabiles non prius quis ſuadere poteſt, quam vbi omnia negotia perſpexerit ſocialia; quod quum humanae imbecillitatis vires fere excedat, communis inde conſilii vtilitas ſatis intelligitur. Niſi enim, qui vni dant operam aedificio, conferant inter ſe conſilia, ſingulae licet eius partes bene compoſitae ſint, ſin tamen mutuo ſibi non reſpondeant, totum perfectione ſua carebit.

LXXVIII.

Quae legum ciuilium requiſita ſint, haud difficulter ex dictis eruitur. Scilicet I. promulgatione indigent, et quidem idiomate vulgari; nec enim aliter obligant, quam ſi in omnium notitiam peruenire poſſint. II. Quae vago nituntur edicto, poſterorum fere oculos effugiunt, et in obliuionem ire ſolent; niſi igitur aliquando publicatione e tenebris educantur, parum iuſte ignaro ſubdito imputaretur earum trans-

greſſio; vt adeo ſit conſultum eas vno atque conſtanti codice complecti.

LXXIX.

III. Sint breues, facili & plano ſcriptae ſtylo, quemadmodum diuinus Legislator in decalogo eas tulit. Non enim omnibus ſubditis aeque tenax ſiue memoria ſiue iudicium obtigit. IV. Conciſae & determinatae, ne vaga eas corrumpat interpretatio. V. Paucae, quia vt PLATO obſeruat, * vbi plurimae leges, ibi & lites & mores improbi. VI. Accedant, quam maxime ad legis naturalis ſimplicitatem, vt ſpes ſit, eas quam diutiſſime duraturas.

LXXX.

Illud etiam conſiderandum eſt, legum ciuilium diuerſas eſſe formas. Quae enim ad ſtatum ciuitatis, quatenus eſt perſona moralis, pertinent, ſunt *publicae*, quae ad perſonas ſingulorum vel patrimonium, *priuatae*. Dein illae, quae iura rerum atque dominia, deque his diſponendi modum definiunt, ſpeciatim *ciuiles*, eae contra, quae poenas delictis vel quaſi, id eſt, actionibus dolo culpaue inſignibus, decernunt, *criminales* adpellantur.

LXXXI.

Harum autem omnium fons is eſt, qui vtitur maieſtate, earumque vis non iam ex ſolo

* *Ap. Strab. Geogr. IV.* TAC. *Ann. III. 27.*

ſolo naturae iure, ſed proprie ex communi ciuitatis ſponſione *) fluit. Nec audiendi ſunt, qui dicunt, legibus ſocietatis primos tantum illius conditores, non horum poſteros ſe ſubieciſſe. Dum enim quis in ciuitate naſcitur & educatur, in eam venit, ac eo ipſo ſe ſubmittit. Abſurdum autem foret, velle eum eſſe participem commodorum, onera vero atque incommoda ſubterfugere.

LXXXII.

Quoniam leges omnes vel ex notione ciuitatis, vel a rebus circumſtantibus promanant, priores quoad materiale, ſeu edictum, naturales vocantur. Poſteriores tam ratione edicti quam ratione ſanctionis ſunt poſitivae, & in rebus obiectiue indifferentibus verſantur. Pone, lege ciuili furtum ſub poena mortis prohiberi; haec erit materialiter naturalis, formaliter vero, ſeu quoad poenam, poſitiua. Contra lex de ſeptem adhibendis in teſtamento teſtibus tam materialiter quam formaliter poſitiua cenſenda eſt, quod nihil eorum ſola ratione conſtet, atque indifferens ſit ſeptem vel octo teſtes definire.

LXXXIII.

Ita vero ferendae ſunt leges poſitiuae, vt non aduerſentur naturalibus, quarum mutatio diuinae naturae ipſisque rerum eſſentiis repugnaret. Poteſt igitur legislator ciuilis

* *L. I. D. de LL.*

leges declarare naturales, iis ſpecies adplicare obuenientes, nouis quin immo praemiis aut poenis munire, iuribus permiſſiuis detrahere, obligationibus demum naturaliter imperfectis ius cogendi ciuile adiicere. v. Exod. XXI. & XXII. v. I. Levit. XIX.

LXXXIV.

Hinc fit, vt imperans ciuilis actionibus ſubiectorum certam iure praeſcribat formulam, aetatemque, qua varia obire negotia liceat, determinet; atque porro promiſſionibus, pactis, contractibus, matrimoniis & ceteris tam inter viuos, quam mortis cauſſa diſpoſitionibus modum & normam ſtatuendi habeat poteſtatem, dummodo nihil definiat, quod diuini Numinis voluntati ſit contrarium. Impia certe eſt Hobbesii opinio, omne honeſtum aut inhoneſtum a ciuili lege dependere. *de Ciue VI.* 9. *XIV.* 10.

LXXXV.

Qui vero ciuitatem ingreſſi ſunt, naturalem ſuam libertatem communi ſubiecerunt imperio, & in nihil ſe conſentire velle promiſerunt, quod imperanti diſpliceret; qui proinde ſubditorum anteuertere conſenſum poteſt. Quare horum diſpoſitio vtpote de iure alieno facta, & ab illa conditione, ſi non prohibeatur, pendens, irrita penitus eſt lege imperantis refragante. *L. 5.C. de LL.*

LXXXVI.

LXXXVI.

Et quoniam leges ciuiles remedia ſunt ad conſequendum ciuitatis finem, liquet, obiectum earum non eſſe illa, quae ad hunc promouendum haud conducunt, neque vllum cum eo nexum habent, & ab hominum imperio natura ſua eximuntur, veluti cogitationes; multoque minus, quae vel vetita, vel praecepta manifeſtum ciuitati adferrent detrimentum. Quare dantur actiones ſubditorum, quae foro ciuili haud ſubiacent, ciuiliter indifferentes, in quibus reſiduum quid adeſt libertatis naturalis, quae *libertas ciuilis* dicitur.

LXXXVII.

Si tamen dubitetur, an legislator ciuilis de rebus a foro ſuo alienis quid ſtatuat, ius bonae alterius exiſtimationis connatum violaret, qui legi ſe ſubducere vellet. Praeſumtio igitur pro legislatore pugnat, cuius eſt ſingulares noſſe circumſtantias, bonumque ciuitatis optime perſpicere. Quare manente dubio ſubditis ſolum ſupereſt parendi gloria: poterunt tamen, quae videntur ſubeſſe legis incommoda, imperanti ob oculos ponere, vel, vt aiunt, *repraeſentare.*

LXXXVIII.

Denique quia leges ciuiles ſibi ſubiectos non alia ratione nos tenent, quam quia imperans vult, facile etiam reliqua, quae ad po-

teſtatem legum ferendarum pertinent, perſpiciuntur. Ita I. habet ius legem fortuitam abrogandi, ei derogandi, & ex iuſta cauſſa vel perſonam ſingularem vel certum ciuium genus lege ſoluendi ſeu *diſpenſandi.*

LXXXIX.

Nec obloquaris, inutilem eſſe diſpenſationem, quod ea illicita ſit, ſi ratio legis duret, hac vero ceſſante neceſſaria amplius haud eſſe videatur. Enimuero ſi ratio reſpectu omnium ceſſat, aut plane abſurdum ex legis implemento ſequitur, tunc quidem ſola aequitas ciues a lege eximet; ſi tamen lex intuitu vnius dumtaxat & ſolum negatiue ceſſet, vt nimirum ſine vlla abſurda conſecutione poſſit cuſtodiri, tum vero ad diſpenſationem omnino recurrendum eſt.

XC.

II. Imperans poteſt legem ſuam interpretatione authentica vel reſtringere, vel extendere, aut obſcuram declarare. III. Qui maieſtate gaudet, legibus mere ciuilibus non eſt ſubiectus, repugnat enim obligatio a ſolius obligati arbitrio pendens. IV. Etſi vero leges naturales nullis ſubeſſe mutationibus alio loco demonſtratum eſt, ſaepe tamen etiam actiones ab iisdem diſſentaneae in foro externo permitti ſeu tolerari impune poſſunt.

XCI.

Ciues generatim aequali inter ſe iure vtuntur, niſi ob bonum ciuitatis libertas vnius vel augeatur, aut imminuatur; cuiusmodi lex priuata in fauorem vel odium alicuius quid ſpeciale conſtituens *priuilegium* vocatur, quod porro in *fauorabile* & *odioſum* abit. Fauorabile rurſus *gratuitum* eſt, ſi ex gratia, *oneroſum*, ſi aliqua permutatione obtineatur. Dein ſi vni ſoli tribuitur perſonae, priuilegium ſtricte tale, & quidem *reale*, audit, ſi in haeredes tranſeat, *perſonale*, ſi cum perſona exſtinguatur.

XCII.

Illud denique priuilegium, quod certo rerum aut perſonarum generi veluti agriculturae, feminis, minoribus conceditur, beneficium legis ſeu *ius ſingulare* vocatur. Ceterum ineſt in priuilegio fauorabili quaedam diſpenſatio. Ab ea tamen differt, quod haec ius dumtaxat negatiuum tribuat, & libertatem moralem reſtituat, illud vero ius poſitiuum largiatur, atque in certis negotiis obeundis ciui ſpeciatim adſiſtat.

XCIII.

Fluunt hinc ſequentes concluſiones: I. Ius dandi priuilegia eſt ius maieſtaticum, adeoque nemini niſi imperanti competens. II. Conceditur priuilegium extraneis etiam, quatenus vel ipſi vel res eorum ciuitatem ingre-

diuntur, ac eatenus in ſubiectionem veniunt. III. Priuilegia mere gratuita ſaepe naturam precarii induunt, & tunc ab imperante pro lubitu reuocari poſſunt. GROT. L. *II. c. XV.* §. 13.

XCIV.

IV. At oneroſa & quae pretio redimuntur, nequeunt auferri, niſi ob commune bonum, qua in ſpecie praeſtanda etiam priuilegium habenti indemnitas, haec vero V. non debetur, ſi ipſe conditionibus priuilegii haud ſatisfacit, eo abutatur, aut illud plane in publicum detrimentum conuertat.

CAPVT V.

DE SVPREMA IMPERANTIS INSPECTIONE ET IVRE POLITIAE.

XCV.

Cognitio morum, temporum, rerumque, in quibus reſpublica verſatur, neceſſaria eſt iis, qui gubernant ciuitatem; nec enim aliter iure legum ferendarum apte vti, nec obligationi communem promouendi felicitatem ſatisfacere iis liceret. Itaque ad iura Maieſtatica ius quoque ſupremae Inſpectionis referendum eſt, vi cuius nimirum imperanti ea omnia, quae ad ſalutem publicam pertinent, veluti actiones, res & operas ſubditorum examinare ac cognoſcere concedatur.

XCVI.

XCVI.

Atque hanc ob cauſſam poteſtas ciuilis non modo aetatem, numerum, pecunias, vitae genus ſeu labores ciuium ſingulorum inueſtigare poteſt, ſed etiam in cunctas minores ſocietates inquirere, ne quid committant, quod ſecuritati et quieti ciuitatis adferret detrimentum, quin potius earum conſilia in commune totius populi bonum conſpirent.

XCVII.

Ita nimirum otioſi ciues incitantur ad labores, improbi vel ad meliorem reducuntur frugem, vel ne probos contagione ſceleris contaminent, omnino ab his ſeparantur. Huius denique inſpectionis beneficio pernicioſa etiam coniugum diſſidia, nimia parentum in liberos vel ſaevitia, vel indulgentia, crudelitas dominorum in famulos, aliaeque vitioſae conſuetudines praecaueri, atque emendari poſſunt.

XCVIII.

Societas aequalis ad artis ſiue liberalis, ſiue illiberalis, immo et ad communis cuiusdam iuris exercitium vnita *collegium* dicitur, ſeu *ſodalitium*; eſtque aliud *publicum*, ſi in iuribus maieſtatis adminiſtrandis, aliud *priuatum*, ſi in rebus ſingulorum gerendis occupetur. Ita Romae collegia Senatorum, Pontificum, Praetorum, Tribunorum erant

publica, collegia Fabrorum, piſtorum, fratrum arualium, priuata.

XCIX.

Iuſta ciuiliter eſt ſocietas, quae legi ciuili non repugnat, ſecus eſt *iniuſta.* Quum vero legum omnium ciuilium fons reperiatur in Maieſtate, conſequens eſt, vt eidem ſit poteſtas, collegia et ſodalitia dum velit, inſtituendi, vel eorum ſcopum ſaltem et regulas cernendi, ac porro prout fini ciuitatis conſentanea ſunt, vel diſſentanea, eadem ciuiliter iuſta aut iniuſta declarandi. Itaque compertum eſt, coetus, qui naturaliter licerent, conſtitutis ciuitatibus latisque legibus ciuilibus haud amplius vi propria valere. *L.* I. *D. de coll. & corp.*

C.

Is actum confirmat, qui nouas ei valeris addit rationes. Competit igitur Imperanti ius non modo ſingulorum ciuium ac familiarum negotia et conuentiones, ſed etiam pacta ſiue ſtatuta collegiorum confirmandi. Quorſum porro et ius pertinet vicos, pagos, vrbes, ſtudiorum vniuerſitates et commerciorum ſodalitia erigendi vel reprobandi, ac quae huius ſunt generis.

CI.

Fit ſaepius collegii confirmatio ſub certis conditionibus, quae locum ac modum ſocios recipiendi, horum labores, numerum, aeta-

aetatem ac ceteras qualitates requisitas designant. Fac vero collegium praescriptam hanc normam excedere, et iam erit ciuiliter illicitum. Est autem huiusmodi confirmationis eo maior necessitas, quo magis multitudo ad nocendum est idonea.

CII.

Quamprimum vel singulorum ciuium negotia vel instituta minorum societatum reipublicae noxia sunt, aut rerum conuersione facta periculum ex iis redundat in ciuitatem, ius inest imperio ciuili, quo huiusmodi actus reprobentur, atque irriti fiant; tum etiam sodalitia et corpora vel corrigantur, vel adiecto conuentibus adsessore coerceantur, vel si quorundam animis inemendabilis illabatur pernicies, dissoluantur. *L. 5. Cod. de* LL. *L. 3. D. de coll. & corp.*

CIII.

Determinatio remediorum, quibus ciues patrimonium suum tueri, illud augere, et commode viuere queant, dicitur *Politia* strictiore significatione. Quum posita rerum sufficientium inopia securitas non possit in ciuitate obtineri, in propatulo est, inter iura maiestatica etiam ius Politiae esse adscribendum. Atque hoc iure utitur imperans vt subiectis pro sua cuiusque conditione ac statu de rebus necessariis immo etiam de

uti-

vtilibus ac voluptuariis proſpiciat; vtque hoc modo ſingulis in quiete, ac quoad eius fieri poterit, etiam in abundantia et munditie vitam liceat tolerare. III. REG. *IV. v.* 20- & 25.

CIV.

Itaque vi iuris politiae imperans annonae curam atque lignorum gerit, vias a latronibus tutas reddit, modum incendia praecauendi ac prompte exſtinguendi praeſcribit, omnium vero ſanitati contra ingruentes morbos inſtitutis Medicorum et Chyrurgorum collegiis, ac prophylacticis inuigilat remediis.

CV.

Sed et pretium rebus et operis neceſſariis ſtatuit, ne vnquam ciues ad labores prompti atque idonei illis deſtituantur. Pro mendicis vero et labori imparibus fundat orphanotrophia, ptochotrophia, xenodochia, noſocomia, atque ab iis validos arcet mendicantes, quos vel inuitos in ergaſtulis operas pro alimentis cogit permutare. COD. JUSTIN. *de Valid. Mendic.*

CVI.

Ex hoc eodem fonte porro conſequitur, vt is, cui competit Maieſtas, pondera definiat atque menſuras, ne contrahentes ſe inuicem defraudandi arripiant occaſionem; vtque auri, argenti aeriſque flandi, feriundi

di facultate vel ſolus vtatur, vel ſi monetam cudere aliis permittat, formam tamen et valorem eiusdem determinet, caueatque, ne ex re monetaria ciues quidpiam detrimenti patiantur. *L.* 13. *§.* 8. *D. Locat.* Nov. *CXXVIII.* c. 15.

CVII.

Studet ciuile imperium ſubiectorum vtilitati, ſi agrorum culturam per pagorum *magiſtros* certis propoſitis praemiis aut etiam poenis promoueat; ſi opificia varii generis et naturae territorii accommodata erigi ac in dies perfici curet; ſi commercia denique tam inter ciues quam cum exteris per mercatus, nundinas, emporia, et montes pietatis inſtituat, adiuuetque, ac eam in rem ſollicite diſpiciat, ne negotiatorum fraudibus locus fiat.

CVIII.

Et quum in ciuitate fugiendi ſint inutiles labores, et ordo familiarum conſeruandus, neceſſe vtique fuerit perimere artes vanas, ineptos tollere operarios, nullumque pati vitae genus, veluti doctorum, opificum et mercatorum, quod nimia multitudine laboret. Quae omnia efficiendi poteſtatem imperanti competere res eſt longe manifeſtiſſima.

CIX.

Ciuium iucunditati confulitur, fi ad mores humanos, comes, vrbanos et feftiuos informentur, fi aedificia tam publica quam priuata non modo folide, fed etiam decore exftruantur, fi denique honeftum quoddam pateat ludorum et gaudiorum genus, quo ciues et corpus exerceant, et in feriis curis pufillum laxamenti nancifcantur. Nemo itaque negauerit et horum ordinationem ad ciuilis imperii iura pertinere.

CX.

Nihil autem magis ad reipublicae tranquillitatem conducit, quam difciplinarum cultura et virtus, fiquidem peffimus quisque afperrime rectorem patitur; inde elucet ius imperantis ea omnia praecipiendi, quae dum intellectum perficiunt fubiectorum, et voluntatem, legibus quoque conuenienter viuendi fuppeditant occafionem.

CXI.

Eft igitur ius maieftaticum artium liberalium et illiberalium veluti agriculturae et opificiorum fcholas curare, tum lycea, vniuerfitates et academias, in quibus tradendis excolendisque fcientiis affidua detur opera, inftituere, ex hifce vero eligere viros probos doctosque, qui ad ciues in officio continendos et virtutis admonendos omni ftudio incumbant; fpeciatim vero pupillis de

tu-

tutore idoneo profpicere, et fupremam tutelarum infpectionem habere.

CXII.

Contraria ratione Maieftati eft ea vetandi poteftas, quae male agendi praebent fubfidia, ex quo fluunt leges *formulariae*, quae leuitatem in pacifcendo coerceant, dein *fumtuariae*, quibus luxui tam in nuptiis et funeribus, quam in veftibus potiffimum peregrinis cibisque modus ponatur, ne ciues inutiliter opes perdant, atque fanitatem.

CXIII.

Pari iure prohibentur in quibusdam gradibus matrimonia propter incontinentiae periculum, aftrologia nugatoria perimitur, et circulatorum impoftura, porro bibendi reftringitur atque aleae licentia, quae fraudes, furta, fuperftitiones nutrit, venalem reddit pudicitiam, et familias fpoliat; res denique libraria prudenti cenfura limitatur. Ierem. X, 5. *L.* 4. *§. D. fam ercis.*

CXIV.

Crefcente ciuium numero vires quoque et opes ciuitatis crefcere neceffe eft; quamobrem iure politiae cura continetur, vt procreatio liberorum pariter ac educatio promoueatur. Eft itaque imperantis non modo expellere feminas quaeftuarias, aut faltem ad loca remotiora relegare, fed et fidem munire coniugalem, morem faciendi

eu-

eunuchos abolere, praemia nuptiis, plurimumque liberorum genitoribus aliquam immunitatem concedere, caelibes autem incaſtos a variis ciuilibus excludere iuribus-

CXV.

Quia tamen non poſſunt mala impediri omnia, et porro danda opera, vt ea in commune quoddam vertantur bonum, non leuiter paucitati ſubditorum ſubuenietur, ſi loca idonea parentur, quibus puerperae innuptae vel pauperes mature ac ſine famae iactura excipi poſſint, celandi vero ventris facilitas, praecepta cuique delatione, aliisque artibus adimatur.

CXVI.

Nec ideo metuendum eſt, feminas ad flagitia inuitari; ſatis enim fuerit, parentum aut tutorum in educando negligentiam acerbius punire, in viros autem plerumque impudicitiae auctores grauiorem, quam vulgo fieri ſolet, et cuiusuis facultatibus conſentaneam ſancire mulctam, eamque alendae matri et partus nutritioni adplicare. Alienum enim eſt a ratione, factum cauſſae praecipuae minus imputare, quam cauſſae ſubiectae, quae etiam ſolo metu imminentis mali ad ſaeuiendum in foetum innocentem fit procliuis. Sed de his remediis in prudentia politica agendum eſt.

CA-

CAPVT VI.

DE POTESTATE IMPERANTIS EXSEQVENTE.

CXVII.

Nisi leges in republica obseruentur, ipsas nullum vsum, vtilitatem nullam habere palam est. Hinc salus ciuitatis exigit illam imperantis facultatem, per quam ea, quorum vel necessitatem vel commodum perspexit, atque ideo praecepit aut vetuit, executioni quoque mandentur. Vnde manat imperantis potestas ea in actum deducendi, seu exsequendi, quae fini societatis ciuilis conducunt. Horat. III. Od. XXIV. *v.* 35.

CXVIII.

Huc speciatim pertinent I. Ius armorum, II. Ius territoriale, III. Potestas iudiciaria, IV. Ius puniendi, V. Ius circa bona ciuitatis, et VI. munera publica, quae quidem omnia in personis et rebus societatis versantur. Quibus deinde accedunt iura belli, pacis, foederum, ac legatorum, nonnisi aduersus exteros populos se exserentia, ideoque in iure gentium tractanda.

CXIX.

Arma dicuntur res omnes aptae ad vim vel alteri inferendam vel amoliendam, facultas vero ea in promptu habendi, iisque pro re nata vtendi *ius armorum* nuncupatur. Quia itaque imperans ſocietatis ciuilis finem ſeu ſecuritatem niſi turbatorum violentiae reſiſtat, obtinere nequit, euidens fit, inter iura maieſtatica armorum quoque ius reperiri, atque ſine viribus parum tutam eſſe Maieſtatem. *Liv. II.* 55.

CXX.

Quapropter ius imperantis eſt ſolius de bello et modo, quo id geri debeat, arbitrandi, vt adeo non iam ſinguli, ſed vniuerſi fini ciuitatis conſequendo proſpicere cenſeantur. Quo reuocatur jus perſonas, per quas cauetur, ne vis fiat cuipiam, nominandi tam *vigiles* pro ſecuritate interna, quam *milites* pro externa, *Cf.* GROT. *L. I. c. V.* *§.* 1. *ſeq.*

CXXI.

Inde porro deſcendit ius conſcribendi milites, habendi delectus, immo et peregrinos conuenta formula, vulgo capitulatione, viuentes conducendi; ius armamentaria publica conſtituendi, exſtruendi munimenta, et praeſidia ponendi; hinc ius cogendi ciues, vt pro omni adparatu militari laborent, et annonam procurent; ius caſtra habendi,

bendi, metationes praeſcribendi, inualidos milites per pagos diſtribuendi, vt ſimul ruſticos militaribus inſtruant exercitiis; ius denique leges condendi militares eiusque generis reliqua.

CXXII.

Quia tunc tranquillitate interna fruimur, quando nullae adſunt cauſſae, ex quibus pericula ab improbis incutienda praeuidere liceat, inter maieſtatis quoque iura referendum eſt *ius actiones eorum dirigendi, qui in ciuitate exiſtunt, ne ciues laedantur*, vt cuique ſuum tribuatur. Quorſum leges pertinent, ne quis noctu ſine lumine ambulet, ne arma a paganis geſtentur, ne pharmacopolae venena promiſcue vendant, aut agyrtae medicinam faciant.

CXXIII.

Quum territorium ſit locus, vbi imperium ciuile exercetur, patet: imperantem pollere iure efficiendi, ne illi, qui in ciuitatis ſunt territorio, leges violent perfectas, ſiue habeant *domicilium*, hoc eſt, habitationem animo ibidem perpetuo manendi, ſiue non habeant. Hoc *ius* nonnulli *territoriale* adpellant.

CXXIV.

Ex his conſequitur: I. Vt ius hoc territoriale ad actiones tantum negatiuas ſeu omiſſiones ſpectet, exempli cauſſa, ne quis

territorium accedat, vel tranſeat; II. Vt illud etiam cum peregrinis exerceatur, qui tamen ad actiones affirmatiuas cogi nequeunt, niſi ſub hac conditione admittantur: quae ratio eſt, cur quilibet foro delicti ſubiiciatur. III. t etiam in imperantes extraneos competat, quia horum maieſtatem haud imminuit.

CXXV.

IV. Vt adeo poſſit imperans iis quidem ingreſſum denegare, qui ſe non ſubiiciunt, nec legibus affirmatiuis teneri volunt: at quando alium admittit imperantem, id facere ſalua eius aequalitate cenſeatur. Quare non obſtat illud vulgatum: extraneos territorium ciuitatis ſubeuntes ciues fieri temporarios, nam et hi ſubiecti non fierent, niſi iam antea tales fuiſſent.

CXXVI.

Nec minus inde pateſcit V. ſi ius quoddam in ſuo territorio ciuitas alteri concedat, velut habendi praeſidii, tum id ius non eſſe maieſtaticum, ſed ſeruitutem quamdam gentium potius producere, de qua alibi. VI. denique quum ius territoriale ſit maieſtaticum, illi, qui non gaudet maieſtate, id proprie competere non poſſe, etſi iuribus aliis maieſtati analogis fruatur.

CXXVII.

CXXVII.

Quandoquidem ex dictis constat, imperanti esse ius determinandi bella, modumque ea gerendi, nec patiendi, vt ciuibus vis inferatur, quin immo efficiendi, vt resarciatur laesio, et iniuriae iis illatae vindicentur, denique suum cuique tribuatur, Maiestati etiam ius de subditorum litibus iudicandi, easque decidendi, seu *suprema iurisdictio* vel *potestas iudiciaria* recte attribuitur.

CXXVIII.

Pone enim, id ius supremae iurisdictionis maiestati non cohaerere, et iam nihil proderit institutio ciuitatis. Inde vero haud conficitur, iura naturalia stricte talia in statu ciuitatis desiisse; alius enim dumtaxat ea exercendi modus est definitus, quem sola non determinat natura, sed qui ab iis, quae circumstant, rebus simul pendet; quare nec imperanti duriora licebunt remedia, quamdiu supersunt leniora. L. 13. *Dig. quod. met. cauf.* L. 276. *de R. I.*

CXXIX.

Absque cognitione caussae huius decisio fieri nequit, decisione vero opus est, suum vt cuique tribui possit. Itaque in potestate iudiciaria inest ius caussas subiectorum controuersas cognoscendi, sententias, quibus ea decidantur, ferendi, atque exsequendi, tum partem victam, ni sponte soluat, adi-

gendi, vt praeſtet illud, in quod fuit condemnata.

CXXX.

Hinc autem liquet. I. Iudicium legitimam eſſe diſceptationem cauſſae a ſuperiore, vel ex eius iuſſu factam. II. Ordinem iudiciorum naturalem conſiſtere, in 1) petitione actoris, 2) rei exceptione quoad factum vel ius, 3) probationibus earumque eliſionibus, 4) ſententia ferenda; vanas autem a Iudiciis dilationes eſſe repellendas.

CXXXI.

Porro III. iudicium tribus conſtare perſonis; actore, qui imputat factum, reo, cui fit imputatio, iudice, qui imputat ius. IV. Si actor ſuum perſequatur vel poenam ſibi applicandam, iudicium eſſe ciuile, ſi poenam vero publicam expoſcat, iudicium criminale conſtitui.

CXXXII.

Praecipue autem poteſtas exſequens imperantis tum ſe exſerit, quando is conatibus obſtat improborum, et delicta ſiue ipſam proxime afficiant ciuitatem, *publica*, ſiue in peculiares tantummodo cadant ſocios, *privata*, coercet, ac porro a delinquentibus poenas ex doctrina imputationis et fine ciuitatis determinandas ſumit.

CXXXIII.

Sane legis ciuilis auctoritas absque poenae comminatione nulla eſt. Licet enim apud probos, qui legislatorem ſalutis publicae ſtudioſum, legemque ſalutarem eſſe noſcunt, ea ſatis valeat, tamen ſola legis virtus intrinſeca apud prauos, quorum ſunt plurimi, eſt inefficax, quod metu dumtaxat regantur poenae externae, dum ſciunt rectorem et poſſe, et conſtanter velle mala cum peccatis ipſo effectu copulare. Grot. *II.* 1. §. 14.

CXXXIV.

Gaudet igitur imperans iure poenas ob conflictum actionum cum publica vel priuata ciuitatis ſecuritate infligendi; quod ius eo quidem fine exercet, vt qui culpam contraxerunt, attentiores deinceps in muneris ſui expletione fiant, iis autem, qui dolo deliquerunt, deſit impoſterum I. voluntas, vel ſaltem II. potentia nocendi, neve III. ſucceſſus improborum plures alliciat, ſed vt reliqui ſubditi alieno periculo cautiores redditi a malo committendo abſterreantur. Phædr. *II. Fab.* 4.

CXXXV.

Quare haud aliter licita eſt poena, quam dum ſit remedium ad ſalutem publicam neceſſarium. Atque adeo ſalus ciuitatis vnicus eſt finis poenae, qui obtinetur emendatione

delinquentis, ſatisfactione laeſi, et exemplo aliis illucente, qui tres particulares poenarum fines ſemper prae oculis habendi. Vnde aliquando etiam mortuorum ſuſpenduntur cadauera, poena fugitiuis in effigie ſtatuitur, publicaque patibula habentur. Nec vero ſola moralitas actus, ſed eius relatio ad finem ciuitatis, poenarum ciuilium menſura eſt. GROT. *II.* XX. *§*. 34. 36.

CXXXVI.

Et quoniam iura Maieſtatica ex iure ciuitatis colligi debent, peccata, quae fini ciuili haud aduerſantur, huc non pertinent, ſed in foro ciuili et externo ſunt indifferentia. Hinc non punitur ſimplex ambitio, auaritia, hypocriſis, ingratusue animus, quod haec animi uitia externis coactionibus emendare non liceat. Nec poenae omnes promiſcue dictari debent, ſed illae tantum, quae cum fine ciuitatis conſpirant.

CXXXVII.

Ita poenae infamiae, vel mutilationis non emendant delinquentem, immo eundem ad peccandum inuitant, quia odio publico expoſitus honeſtam ſuſtentationem quaerere non poteſt; ipſique aliquando ciuitati nocent, quippe quae otioſis hominibus alendis oneratur. *Talio* vindicta par eſt, vt quod quis fecit, idem rurſus ferat, veluti vt ocu-

lis

lis priuetur, qui alteri oculos effoderit; rarissime igitur toleranda est.

CXXXVIII.

Exilium an dictandum sit, quaeritur. Verum quum ciuium imminuat copiam, hominesque pessimos in vicina mittat territoria, saepe etiam linguae ignaros, vt, quia sibi alimenta promereri nequeunt, furto et rapina viuere teneantur, repugnat fere semper bono ciuitatis, emendationi laedentis ac iustitiae erga alios obseruandae.

CXXXIX.

Poenas executioni mandare soli maiestati reseruatur, cui dumtaxat ius determinandi modum, quo bella gerantur, reique publicae seruetur tranquillitas competere diximus; non ergo a quopiam in ciuitate nisi illius consensu exerceri potest. Itaque non est permittendum, vt a sodalibus vel parentibus poenae in suos grauiores decernantur. Et dum Galli, Germani, Romani ius puniendi vxores maritis concesserunt, id nonnisi nomine ciuitatis fecisse videntur.

CXL.

Qui alterius perfectionem et securitatem promouet, beneficus est; quin itaque imperans delinquentibus poenas infligens eundem titulum mereatur, haud est dubium. Contra patet: eum maleficum esse, si flagitiosis parcendo bonos ciues in pericula nouarum

laesionum coniiciat; ex quo veram imperantis benefici ideam a praeconceptis opinionibus purgare licebit. *Si enim in delinquentes remissiores fuerimus, summae nobis crudelitatis in patriae ciuiumqre perniciem fama subeunda est.* CICER. IV. *in Catil.* II. 12.

CXLI.

Poenae ciuiles ex fine ciuitatis mensuram capiunt. Vnde consequitur iuris esse maiestatici ad hunc finem poenas nunc maiores nunc minores imponere, eas exasperare, aut pro re nata mitigare, quin si bonum publicum remissione poenae magis promoueatur, prorsus remittere, quod vltimum *ius adgratiandi* vocant. GROT. *II. XX.* §. 22.

CXLII.

Inde regulae in iudicio de poenis formando notandae promanant: I. Poenae sunt mala vel corporis, vel fortunae, adeoque in priuatione eius, quod nostrum est, aut in dolore infligendo consistunt. II. Quod vni malum maius est, alteri vel minus est, vel prorsus nullum, ex quo proportio in sumendis poenis haurienda erit. Non enim rusticus aula sibi interdici graue putabit, nec diues aliquot perdere aureos.

CXLIII.

III. Æstimatio ergo poenae pro statu personae, sexu, patrimonio, loco, tempore, et modo varianda est. IV. In multitudi-

ne

ne peccantium, quod poena ab omnibus ſumenda reipublicae potius noceret, iis danda erit venia, qui minus rei ſunt. Grot. *II.* 20. §. 31. Montesq. *l'Eſprit de loix VI.* 16.

CXLIV.

V. Qui non peccauit, non poteſt puniri, ac ideo conſanguinei vel liberi delinquentis a poena immunes erunt; quod vero hi interdum bonis aut priuilegiis mulctentur, id poena proprie non eſt. Profuerunt olim maiorum merita, nunc demerita noceant.

CXLV.

VI. Leges veteris teſtamenti non ſunt poſitivae vniuerſales, quod alibi euictum dedimus; illis igitur in delictis, quibus leges Ebraeis ſub Theocratia datae certas definiuere poenas, quin imperans ciuilis Chriſtianus gratiam faciendi libertate polleat, dubitationi haud eſt obnoxium.

CXLVI.

Quando delictum eſt privatum, reus et ciuem laedit et legem poenalem transgreditur, quamobrem et ad ſatisfactionem priuatam, ſcilicet damni reſarcitionem, et ad publicam ſeu poenae praeſtationem tenetur. Huius ſi gratiam faciat ciuitatis Rector, non ideo et illam cenſetur remiſiſſe.

CXLVII.

Et quia iuri imperantis reſpondet ſubditorum obligatio, reus poenam perferre tene-

netur; nec eam irroganti vnquam resistere potest. Non tamen ideo iubetur malum lege praescriptum vltro sibi arcessere, aut se ipsum punire, nec à fuga maiori periculo haud obnoxia absolute abstinere.

CXLVIII.

Dicunt neminem obligari posse, vt malum adpetat, ergo neminem quoque adstringi, vt perferat poenam. Verum intelligendum id est cum exceptione, nisi maius malum immineat. Reus enim grauiori se exponeret periculo, si poenae resisteret. Deinde in conscientia, qui peccauit, tenetur, postquam nocuit reipublicae, eidem prodesse exemplo, quod vtique bonum est morale.

CXLIX.

An ius morte etiam plectendi nocentes, *ius gladii*, *ius vitae et necis*, imperanti ciuili competat, fuerunt, qui in dubium reuocarent. Quam in rem his vtuntur argumentis. I. Ius illud natura sola non tribui, quod iura omnium sint aequalia. II. Pacto id in superiorem transferri haud potuisse, quod nemo vnus fuerit vitae suae Dominus; III. nec illud ab expresso et vniuersali summi Numinis iussu deriuandum esse, quod soli populo iudaico concessum fuerit.

CL.

Enimuero ius gladii manat ex tacita Dei voluntate, seu, quod idem est, ex lege natu-

turali hypothetica, quae dum iubet finem, remedia quoque ad eum neceſſaria impertitur. Si igitur nulla iam ſperanda ſit delinquentis emendatio, aut eo crimen progrediatur, vt vel ob atrocitatem facti vel peſſimum ob exemplum graue reipublicae impendeat periculum, quod delinquentis internecione auerti debeat, tunc imperans partem corporis morboſam totius ſeruandi cauſſa iuſte praeſcindet: in quod et ſacrae literae conſentiunt. III. Reg. *XX.* *v.* 42. Grot. II. *XX.* §. 10. *n.* 8.

CLI.

Nemo profecto negauerit iuris occidendi iniuſtum adgreſſorem, quod ſinguli ſibi in ſtatu naturali vindicauerant, exercitium in imperantem communem transferri potuiſſe. Sed quod porro opponunt, ſingulos hominem inermem, aut catenis vinctum adeoque nocendo iam imparem ius vita priuandi non habuiſſe, hinc nec eiusdem translationem licuiſſe, id ex totius ciuitatis conſideratione euaneſcit.

CLII.

Quid enim vetat remedia ſalutis ciuitatum multo diuerſa eſſe a remediis, quibus ſibi ſinguli conſulant? quum vtique finis hominum ſingulorum longe diuerſus a fine eorundem in ſocietate viuentium exiſtat? Quemadmodum ſonus inſtrumentorum harmo-

monicus multo, et praeſtantior et fortior ſono eſt ſingulorum.

CLIII.

Sane et legum ferendarum poteſtatem ſocietati nullus denegat, quamuis ſinguli ſibi ipſis legem dicere nequeant. Quare ſufficit iuſtum eſſe ſocietatum finem, publicam ſcilicet ſecuritatem, vt remedia cum eodem neceſſario connexa, poſito legum conflictu, pariter cohoneſtentur. PVFEND. *I. N. et G. L. VIII. c.* 3. WOLF. *ibid. T. VIII.* §. 834. *ſeqq.*

CLIV.

Nec putandum a blaſphemia et concubitu cum beſtiis valere argumentum, quod etſi per ea crimina reſpublica non laedatur, illa tamen morte etiam puniantur. Vt adeo ius necis non ex remedii neceſſitate, ſed potius a diuina reuelatione venire, aut demum imperanti prorſus abnegandum eſſe videatur.

CLV.

Falluntur enim, quotquot ita colligunt. Si quippe per ea crimina nulla inferretur laeſio ciuitati, nec licita poenae ciuilis foret exactio; laeditur his autem reſpublica multifariam, cuius vinculum cum religione tum ciuium propagatione continetur. An de cetero et quando ad mortem vsque licite extendatur poena, id ex poſitis paullo ante principiis eruendum erit. *Cf.* DEVT. *XVII.* 2.

CLVI.

CLVI.

Ius defenſionis porro limites non a natura accepit, ſed indefinitum eſt, et a rebus circumſtantibus determinatur. Id tamen obſeruandum, ſaepe imperantem hoc iure abvti poſſe, ſi media adſint leniora. Nec enim continuo iuris naturalis eſt, vt qui crimen patrat, moriatur, at tunc demum, vbi alia remedia ſaluti ciuitatis haud ſatis conſulerent. Quid quod frequens vltimorum ſuppliciorum adſpectus horrorem minuit, atque fortiſſimos reipublicae eneruat elateres? Grot. *II. XX.* §. *12. n. 3. et l. c. II.* §. *7. n. 13.*

CLVII.

Nemo inauditus aut indefenſus condemnari poteſt. Nam quilibet naturaliter ius habet bonae exiſtimationis, ac ideo puniri non debet, niſi delicto ſufficienter probato, vt de veritate facti dubitare vltra non liceat. Quare permittendum erit, vt reus adducat quaecunque ad elidendas delicti probationes idonea eſſe legitime colligit.

CLVIII.

Tortura eſt actus, quo corpus de crimine grauiore valde ſuſpecti tormentis adficitur, vt ad confeſſionem facti adigatur. Qui torquetur, malum perfert paſſionis ob malum actionis nondum ſatis probatae, plurimi autem dolore compulſi crimina in ſe mentiti ſunt, et nonnulli extremos potius per-

fe-

ferunt cruciatus, quam vt ſcelera ſua confiteantur. Hinc generatim tortura remedium veri eliciendi ineptum eſt, ideoque etiam illicitum.

CLIX.

Quum tamen ſummopere aliquando reipublicae interſit crimina detegi, et in conflictu officiorum ſalus publica priuatae ſit anteferenda, ſequitur, vt ſi aliqua malitia rei aliunde manifeſta ſit, et tanta ſimul fuerit alterius ſceleri a quodam patrati probabilitas, vt quam proxime ad veritatem accedat, nec quidquam praeter ipſam inquiſiti confeſſionem ad plenam certitudinem deeſſe videatur, in rariſſima hac ſpecie ſibi locum tortura vindicare poſſit, idem obtinet ſi reus complicet nominare, vel rem, quam fatetur obeatam detegere recuſet.

CLX.

Leuandus preterea in licita hac tortura modus: nimirum torquendus ſit ſano et robuſto corpore, ac tortura in illis tantum tribunalibus inſtituatur, vbi virorum iuris prudentia probe ſubactorum copia praeſto ſit, qui ad omnia requiſita attendere et ſingula ex communi ſtatu Reipublicae ponderare norint. Tum vero etſi forte quis innocens eſſet in eo, de quo torquetur, infortunii id loco habendum foret, velut ſi quis poenam patitur, quod primum ob praegnantiſſima indicia ſuſpec-

ſpectus, dein quoque conuictus per teſtes fuerit, etſi hi abſolute poſſint falſi eſſe.

CLXI.

Tortura ſpiritualis dici ſolet iuramentum illud purgatorium, quod homini criminis ſuſpecto per iudicem defertur, vt ſuam affirmans innocentiam ſe a ſuſpicione liberet. Hoc quoque perperam adhibetur remedium, vbi poena mortis, corporis afflictiua, aut infamia dictanda venit, quum vehemens ab his poenis metus reos quoque ad peierandum facillime adigat.

CLXII.

Imperantis intereſt delicta haud manere impunita; quare habet in ea inquirendi ius, et quia poteſt adgratiare, pariter inquiſitionem eadem poteſtate abolebit; quod dum facit, poenam in delicto dubio remittit.

CLXIII.

Poteſt etiam loca, vnde rei abduci nequeant, id eſt, aſyla concedere, quae abolitionem quamdam continent temporariam, donec nimirum reatus vel innocentia accuſati adpareat. Hinc patet ius aſyli vel concedendi, vel abrogandi eſſe maieſtaticum, nec a quoquam inuita ciuitate illud vſurpari poſſe. Cod. Theod. et Ivstin. *De his, qui ad Eccl. confug.*

CLXIV.

Ceterum quae hoc capite de perſonis ſingularibus dicta ſunt, ea omnia ad pagos, collegia, vrbes delinquentes extendenda veniunt. Vbi nimirum ſocietates delinquunt, puniendi erunt auctores praecipui ac demum totum corpus priuilegiis exui, aut prorſus deleri poterit, ita tamen, vt non poena ipſa, ſed eius tantum incommoda in innocentes aut minus reos cadant; quae proportio in decimatione militari aliaue ſimili poena aleatoria difficulter reperitur.

CAPVT VII.

DE IVRE CIRCA BONA ET MVNERA CIVITATIS.

Quaecunque ſunt in dominio, nullo diſcrimine habito, *bona* dicuntur. Haec ſi ſpectantur, prout in territorio ciuitatis exiſtunt, varias ſortiuntur denominationes. Bona, quae pertinent ad vniuerſos, publica, ſin minus, priuata vocantur. Publica, quorum proprietas omnium eſt, vſus vero ſingulorum, ſunt *publica* in ſpecie, quorum autem vſus non ſingulis, ſed vniuerſis competit, ea *patrimonium* ciuitatis nuncupantur.

CLXVI.

CLXVI.

Itaque fluuii, pontes, viae, ripae ſunt bona publica in ſpecie; aedes, fundi, lacus, vulgo bona cameralia, et bona coronae, ſunt bona publica quidem, ſed in ciuitatis patrimonio. Contra bona ſingulorum immo et minorum ſocietatum atque ipſius imperantis non iure imperii obtenta bonis priuatis accenſeri debent. Omnia tamen ſunt vniuerſorum, quos quia repraeſentat imperans ciuilis, Rector ciuitatis etiam dominus territorii adpellatur.

CLXVII.

Absque ſumtibus reſpublica adminiſtrari nequit; ad ſumtus requiruntur bona, atque haec in computatione virium ciuitatis inſignem partem faciunt. Itaque in imperio ciuili etiam ius continetur per bona ciuitatis ſalutem promouendi publicam, et ſpeciatim ſumtus neceſſarios ex iisdem colligendi.

CLXVIII.

Valet ſcilicet et hoc loco illud argumentum a fine ad ius remedii cum eodem neceſſario connexi ductum. Quum itaque imperans teneatur templa aliaque exſtruere aedificia, miſeris opem ferre, publicos alere doctores, ac potiſſimum promtumtenere militem, ceteraque omnia, quorum iure eumdem inſtructum eſſe ſuperius diximus, facere, ius quoque bona ciuitatis ad eos vſus

 con-

conuertendi habere debet. *Neque* enim *quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* TAC. *Hiſt. IV.* c. 74.

CLXIX.

Quoniam bona publica ſunt in dominio populi, nemo ea poſſidere, iis vti aut frui poterit, niſi is, cui populus vel imperans, in quem iura populi translata ſunt, permiſerit; quare ius diſponendi de bonis his eſt ius maieſtaticum, rurſus ex fine ciuitatis nempe ſecuritate et inde pendente ciuium felicitate dimetiendum.

CLXX.

Populus poteſt extraneos a ſuo arcere territorio, is ergo praecipuum ius habet bona in eo contenta occupandi, vnde quae a ſingulis occupata non ſunt, *bona iacentia*, *adeſpota*, ad populum pertinent. Talia ſunt montes, ſyluae, metalla, venationes, loca deſerta, antra, fluuii, inſulae, fontes et viae publicae.

CLXXI.

Hinc intelligitur ad iura imperantis ius quoque venationis, piſcationis, aucupii, ius ſiluarum, vulgo foreſtale, ius ſubterraneum, ius minerale, ius in theſauros, ius curſus publicos ordinandi, ſeu *ius poſtarum* in locis viisque publicis, eſſe referenda, etſi ea iura ſaepe a ciuitate in priuatos pro parte deriua-

ri

ri ſoleant; contra in locis priuatis ea naturaliter eſſe bonorum priuatorum conſectaria, niſi et tunc in imperantem translata eſſe conſtet.

CLXXII.

Bona publica, quae conſeruandae vitae ac dignitati imperantis, praecipue in monarchia, eiusque domus ſiue aulae inſeruiunt, in ſpecie vocantur *bona fiſci.* Si vero fiſcus praedia pro ſuis reditibus habeat, dicuntur haec *domania*, reditusque eorum ſunt bona ipſius imperantis propria. Illa deinde bona publica, quae reipublicae adminiſtratio et defenſio exigit, ſunt bona *aerarii.*

CLXXIII.

Hinc triplex eſt ius, quod imperanti in bona ciuitatis competit. I. Ius dominii illimitati in proprium ſibi aſſignatum patrimonium. II. Ius vtendi et fruendi bonis fiſcalibus, in quo iure exercendo imperans commodi ſui proprii habet rationem. III. Ius aerarii adminiſtrandi, ſeu pro arbitrio ad bonum commune ciuitatis diſpenſandi, quod dum facit, iam non ſuo, ſed alieno commodo inuigilat. Eſt tamen ſaepe arduum haec bona ab inuicem ſeparare.

CLXXIV.

Si bona publica ſumtibus ciuitatis ſufficiant, nulla eſt iuſta ratio, ob quam priuati ad partem ſuorum bonorum ſuppeditandam

 ad-

adſtringi poſſint. Pone autem, ea ad ſcopum ciuilem haud ſufficere, tum quisque pro modo facultatum ſuarum ad onera publica concurrere debebit, quod quidem ſinguli vniuerſis ab initio ciuitatis polliciti ſunt.

CLXXV.

Itaque perſpicitur. I. quia ius in bona priuatorum ex finis neceſſitate oritur, cauendum eſſe, vt prout finis exigit, ratio quaeſtuum et neceſſitas erogationum inter ſe congruant *; II. Si cauſſa praeſtationum, id eſt, neceſſitas deſinat, praeſtationes quoque aboleri debere; quemadmodum apud Romanos olim vnius Imperatoris praeda finem tributorum attulit **; III. Qui multa poſſident, neceſſum eſſe, vt multa conferant, ii autem quibus res anguſta eſt, pauca.

* TACIT. *An. XIII.* 50. SVETON. *Tiber. c.* 32.

** CICER. *Off. II,* 22.

CLXXVI.

IV. Rebus ad vitam neceſſariis, velut pani, carni, lignis, quam minima onera, contra iis, quae ſoli commoditati et voluptati ſeruiunt, grauiora imponi oportere. V. Nec vlla ſodalitiorum bona ab his oneribus natura ſua eſſe immunia, quod aequali ciuitatis iure fruuntur, ac iis imperans, non minus quam reliquis ciuibus, ſecuritatem impertitur.

CLXXVII.

CLXXVII.

Poteſt autem imperans duplici modo bona priuata in publicos vſus conuertere, prout vel quaedam ſolum conſectaria, vel ipſam horum ſubſtantiam attingit. Si ius in conſectaria exercet, neceſſe eſt, adeſſe rationem, cur hoc nec alio modo conſectaria haec definiat in vſum publicum conuertenda eſſe. Rationis huius diuerſitas varia quoque huic iuri ab imperante exercito nomina tribuit.

CLXXVIII.

Quodſi ratio in eo ſita eſt, quia vtens rebus ſuis priuatis ſimul etiam vtitur bonis publicis, ius id *vectigal* dicitur. Suntque vectigalis variae ſpecies. Aliud enim eſt pro vſu viae, pontis, fluminis, fori, et quidem vel a perſona pedite ſoluendum, quod in ſpecie *pedagium* compellatur, vel in itinere pro equis, curribus, vel pro viae, fluminis, pontisue tranſitu, quod *portorium* dici ſueuit. Aliud pro facultate in foro publico vendendi, et ſic porro.

CLXXIX.

Si ratio praeſtationis ex eo ſumitur, quod priuatus re ſua ſecure vti et frui poſſit tum, quod rerum aut praediorum immobilium poſſeſſores pro modo emolumentoque ſuo praeſtant, *tributum* et *ſteuram*, quod autem

pro rebus fungibilibus aut mobilibus soluitur, *accisam* et *licent* adpellant.

CLXXX.

Male igitur HOBBESIVS * docuit, ius vectigalium et tributorum ius esse dominii, nec enim ius est imperanti in substantiam rerum, sed in partem dumtaxat consectariorum competens. Nam si vectigal aut tributum omnem absorberet vtilitatem, res suas nemo duceret per vias, fluuiosque publicos, agricultura iaceret, periret industria, ipsaque ciuitas dissolueretur.

* *De Civ. VI. 15. XIII. 11.*

CLXXXI.

Eodem modo licebit iure territorii ex parte maris vectigal petere, quia et tunc priuatus re sua vtens, simul bono quodam publico vtitur; praeterquam, quod varii insuper sumtus ad construenda nauibus tutandis loca seu portus, ad ignes nocturnos alendos, ad securitatem nauigantibus praestandam ferendi sint. Nec obiici potest, mare non existere in bonis ciuitatis, quod quidem de toto mari, non etiam de eius parte verum esse, in iure gentium constabit.

CLXXXII.

Quando res publica in eum deuenit statum, vt salus vniuersorum cum salute singulorum conflictetur, imperans bonum maius

mi-

minori praeferre debebit; ipſeque ius habet conſeruationem partis negligendi, ſi conſeruatio totius vel maioris partis aliter obtineri nequeat; quod ius vocatur *eminens*, aliis *ſupereminens*, quia ſuper iura ac dominia priuatorum omnia eminet. Atque in ſpecie *dominium eminens* dicitur, quando circa res ſubditorum proprias verſatur, *eminens poteſtas* et *imperium*, quando in perſonas exercetur. Grot. *l.* I. §. 6.

CLXXXIII.

Vi ſcilicet dominii eminentis occupatur fundus, vt in eo caſtra ponantur, aut munimenta; vaſtantur res ſubditorum, ne in hoſtium manus cadant; naues ad transportandos milites auferuntur; domus hoſti expoſitae aliaque loca tempore obſidionis occupantur; granaria priuatorum aperiuntur; ac ſi quando vis fluminis viam publicam ſuffodiat, ex vicinis haec reſtituitur fundis. Vi deinde poteſtatis eminentis obſides mittuntur; perſonae, ſpontaneis deficientibus, inuitae cogantur ad militiam; neque illis parcitur, qui alias gauderent priuilegio immunitatis; vulnerati denique et captiui in praelio deſeruntur.

CLXXXIV.

Huius vero iuris eminentis naturam ſequentia determinant principia. I. Pertinet ad caſum dumtaxat neceſſitatis et ſtatum reipublicae extraordinarium, vbi nempe iſtius

iuris exercitium vnicum eſt remedium ſeruandae reipublicae ſiue totius, ſiue maioris eius partis, aut ſi id maior quaedam reipublicae vtilitas exigit; quum ſecus non liceat imperanti priuatis ius quaeſitum auferre, nec etiam res ſubiectorum amoenitatis publicae cauſſa, propriaeue voluptatis ergo, inuadere; aut cum vnius detrimento alteri quid largiri. III. Reg. 21. Grot. III. XX. §. 7.

CLXXXV.

II. Quoniam onera publica ab omnibus aequaliter ferenda ſunt, imperanti incumbit, efficere, vt neceſſitate deſinente ceſſet quoque eius iuris effectus, et obligatio redeat iis reſarcitionem praeſtandi, qui praecipuo onere grauati fuerunt. * Atque ideo ius habet imperans adigendi reliquos ciues, vt in eum ſcopum coniunctis concurrant viribus. Aliud de damno ab hoſtibus illato dicendum foret; eſt enim caſus fortuitus mutua vice inter ciues tolerandus. Bynkersh. *Quaeſt. I. P. L. II. c.* 15.

* Tac. *Ann. I.* 75. *L.* 9. *C. de oper. publ.* Grot. *II. XIV.* §. 7.

CLXXXVI.

III. In ſolo ſtatu neceſſitatis vel maioris cuiusdam vtilitatis reperitur ſufficiens ratio, ex qua ius eminens intelligi poſſit; quae ratio iuſtifica ſeu principium huius iuris, aliis etiam *ratio ſtatus* dicitur. An autem ius eminens

nens dominium ſit, an imperium, quaeſtio eſt de nomine; etſi oſtenſum ſit, quod illud ius, dum circa res verſatur, dominium, quando vero perſonas afficit, poteſtas, vel imperium, iure dici queat.

CLXXXVII.

Atque ita triplex eſſe ius in bona ciuium priuata maieſtaticum videmus. I. ſupremae inſpectionis, II. ius in partem conſectariorum, III. ius eminens in ipſam rerum ſubſtantiam, et perſonas ſubiectorum, quae cuncta ſub imperio ciuili generatim continentur.

CLXXXVIII.

Noua nobis hic ſupremae inſpectionis exempla ſuppeditant leges contra foenebre malum, in aleatores, prodigos, in eos, qui bona in certa alienant collegia, qui teſtamento nimias concedunt libertates, nimia legata aut fideicommiſſa faciunt, atque leges vſucapionibus, haereditatibus ac contractuum aequalitati inuigilantes. Intereſt enim reipublicae, ne quis re ſua male vtatur. *Cf.* §. 2. *I. de his, qui ſui vel. al. Iur.*

CLXXXIX.

Quamuis ius reipublicae adminiſtrandae ad eos tantum pertineat, qui imperio ciuili gaudent, fieri tamen non poteſt, vt vnus aut etiam plures, immo vel omnes collectim ſumti ſingula ciuitatis expediant negotia, ſed viris indigent prudentibus, rerum peritis et

vſu

vſu doctis, quorum conſilio et opera perpetuo vtantur.

CXC.

Quia igitur in vnione virium, quarum diſpenſatio in imperantem translata eſt, etiam actiones et operae ſingulorum ſubditorum continentur, conſequens eſt, vt imperans ius habeat actiones atque operas ſubiectorum pro exercitio adminiſtrationis publicae exigendi. LIVIVS *XLIV.* 22.

CXCI.

Status, in quo perſona certis incumbere negotiis, eaque obire perfecte obligatur, dicitur *munus*, et nunc *publicum*, nunc *priuatum* eſt. Itaque competit imperanti ius conferendi munia publica, quae etiam officiorum publicorum nomine veniunt, ſiquidem ab obligatione ad officium conſecutio patet. Eamdem ob cauſſam, qui hac ratione obligatus eſt, audit *Miniſter*, *Magiſtratus*, *Poteſtas minor*, *Conſiliarius*, *Officialis publicus.*

CXCII.

Etſi autem Imperans negotia ciuitatis expedire, atque adeo munera publica conferre omnino teneatur; ad ea tamen nemo ciuium ius perfectum habet, ſed ſolummodo aptitudinem vel ius imperfectum. Quod ſi vero ius ſpeciale ad certum quoddam munus perueniendi non nuda pollicitatione, ſed pa-

cto alicui ſit collatum, dubium non eſt, quin candidatus ex huiusmodi conceſſione ius perfectum nanciſcatur. Et inde de iuris illius, quod *exſpectatiuam* vocant, latitudine ac Natura iudicandum.

CXCIII.

Eſt et imperantis ius ſubſtituendi aliumue adiungendi officialem, qui idem officium gerenti adiutorio ſit. Ceterum qui propria auctoritate munus publicum ſibi adrogare tentaret, laederet imperium ciuile, quia poteſtates hae minores ius omne a ſumma habent, neque plus tenent, quam ipſis datum ſit, adeoque a voluntate imperantis dependent.

CXCIV.

Qui etiam praeſcribere miniſtris ſuis agendi normam, inueſtigare, an ſuo quisque munere recte fungatur, probos confirmare, improbos aut deſides corrigere vel dimittere poteſt, immo inuitos cogere ad ſuſcipienda munia; petitamue dimiſſionem illis recuſare. Quare hi officiales reſpectu imperantis manent ſubiecti et perſonae priuatae. Grot. *l. IV.* §. 6. Leyser. *ad Pand. ſpec.* 570. 571.

CXCV.

Multiplex iurium maieſtaticorum eſt exercitatio, officia itaque publica in diuerſas etiam abeunt claſſes. Sunt quippe negotia externa belli, pacis, foederum, ſunt et interna

na ſcilicet eccleſiaſtica, politica, iudicialia, cauſſae fiſci et aerarii, tum commercialia, quae ciuium commercia comprehendunt.

CXCVI.

Pro externis Miniſter ſtatus et Legati in aulis peregrinis, pro internis Antiſtites religionis ad Eccleſiae naturam comparati, generalis politiae Director, ſummus iudiciorum Praeſes, primus Rationarius et fiſci procurator, ſupremus commerciorum Inſpector et primus precum Arbiter, pro vtrisque vero ſupremus rei bellicae Praefectus, ſummus rei naualis Dux, cum admiralitatis collegio haberi ſolent, quorum ſinguli rurſus diuerſas perſonas atque integra tam ſuperiora, quam inferiora collegia dirigunt.

CXCVII.

Ita et vni plura rerum gerendarum capita aliquando, vel vnum caput pluribus pro re nata committitur. Ne vero tot collegiorum operationes inter ſe confligantur, formatur ſaepe ex praeſidibus vel aliis conſiliariis, vel ex ambobus ſimul ſupremum ſtatus conſilium, quod potiſſimum in maioribus ciuitatibus, veluti centrum, vnitatem conſtituat.

CXCVIII.

Quemadmodum rerum pretium ex quantitate perfectionis deſumitur, ita et hominum valor atque exiſtimatio ex maiori vel mino-

minori perfectionum gradu pendet. Etsi enim existimatio omnibus connata sit, ac naturaliter aequalis, ea tamen simplex tantum est, atque sola abstinentia a malo continetur. Hic vero de aestimatione ciuili et hypothetica est sermo, quae ex caussis super additis variari solet.

CXCIX.

Is cui maior tribuitur valor, praecellit, praecellentia vnius hominis prae altero *dignitas* dicitur. Ex quo fluit, summam in republica dignitatem apud imperantem residere, quippe qui iuribus gaudet maximis, atque imperio, cui alii sese subiicere, eiusque adeo dignitatem prae se cognoscere tenentur.

CC.

Officiales publici iura exercent ciuili imperio adnexa, ac ideo in aliqua dignitate sunt positi, quae eo maior est, quo plura vel maiora fuerunt iis munera demandata, hisque, vel animi vel corporis magis robore, perfunguntur. Quapropter ad iura maiestatica adiungi etiam debet ius conferendi dignitates, et signa externa, quae illis cohaereant determinandi, veluti titulos, praecedentiam, insignia, siue gentilitia, siue ordinis mere personalis.

CCI.

Proin huc spectat ius lites de proedria decidendi et suum cuique assignandi dignita-

tis

tis gradum, vt adeo imperans fons omnium ciuilium dignitatum verissime nuncupetur. Ratio vero perfacile colligitur, cur in republica ordines vel equestres vel togati ad aemulationem alendam instituantur, cur saepe leges famam notent, et cur iusta ex caussa dignitate quis et nobilitate sua possit spoliari.

CAPVT VIII.

DE IVRE IMPERANTIS CIRCA RELIGIONIS NEGOTIA.

CCII.

Eminet illud inter imperantis officia, vt in subiectorum animis et virtutes excitet omnigenas, et qua pote foueat, quae quoniam singulae nituntur pietate erga summum numen, hanc maxime promouendam, tum etiam illis, qui in coetu ciuili diuino incumbunt cultui, opitulandum esse, tam certum est, quam certissimum ab obligatione ad finem ius ad remedia non posse separari. Nec enim qui ad numinis adorationem totius naturae voce excitabantur patrumfamilias singuli, postquam in ciuitatem coiuerunt, mi-

nus ad eum cultum obligari aut voluiſſe aut potuiſſe iudicandi ſunt. *I. ad* Tim.*II. v.*2.Novell. *Theod. et Valent. de Iudaeis Sam. haer. et pag.*

CCIII.

Quare ciuitatis Rector inprimis, ne pietatis exercitia turbentur, neue ciues actiones ſuas externas a iure naturae detorqueant, praecauere debet. Et porro doctores aptos probosque denominare, qui ad pietatem in ſocietate colendam alliciant, atque contraria exſtirpent vitia, eorum autem dignitati et honeſtae ſuſtentationi adprime conſulere. Rom. *XIII.* 4.

CCIV.

Atque ob eamdem cauſſam templa aedificare, dies feſtos, ceremonias et congregationes piorum publicas inſtituere cordi habeat, nec vnquam patiatur, vt ciues Dei cultum proterant, aut atheismum, idololatriam ceteraque bonis etiam moribus contraria opinionum monſtra diſſeminent, ac ita fortiſſimum obedientiae ciuilis vinculum conuellant. D. Avgvstin. *contra Creſcon. L. III. c.* 51.

CCV.

Non dicas ſubditos ad nullas actiones cogi poſſe ab Imperante, quas illi de idaeis de religione ſemel conceptis aduerſari arbitrantur, quod a nemine id, quod ipſe malum eſſe putat, liceat ex-

torquere. Nam etſi ſtulta ac erronea alterius opinio legibus flecti nequeat, tamen boni publici cauſſa ciuis, ſpectata ſola Religione naturali, iure ad actionem cogitur externam, quam ipſe falſo ſibi velut malam repraeſentat. Secus neque ad patriae defenſionem ſuſcipiendam compelli poſſet, qui eam rationi contrariam fore perperam iudicaret.

CCVI.

Quum ſocietas ad Deum eodem modo colendum inita ſit Eccleſia, et quidem *vniuerſalis*, quae per terrarum loca quaecunque diſperſa eſt, vel *particularis*, quae in certis quibusdam locis, prouincia, pago vel vico exiſtit, determinatus autem Deum colendi modus religio vocetur, non obſcurum eſt, eſſe aliquos actus pietatis, qui ita pendeant ab imperio ciuili, vt quamuis religio proprius ciuitatis finis haud ſit, tamen imperans ius quoddam circa Eccleſiae ſuae particularis et religionis negotia diſponendi ſibi aſſerere valeat, quod vulgo *ius circa ſacra* nuncupatur. GROT. *II. XX.* §. 46. *n.* 4.

CCVII.

Hic cultus vel internus eſt vel externus; itaque actus etiam religionis in interiores et exteriores abeunt, ambo vero aut *eſſentiales* ſunt, ſi ſalua religione abeſſe nequeant, aut *accidentales*, adiaphori et arbitrarii, quando

ii

ii non debent eodem modo fieri, adeoque eorum mutatio diuinae non diſconuenit voluntati. Ita agnoſcere Dei exiſtentiam, prouidentiam, ad cultum eſſentialem religionis naturalis ſpectat; at loca et tempora, externaeque determinationes, ſub quibus preces fieri ſoleant, cultum arbitrarium efficiunt.

GCVIII.

Ius ergo hoc circa religionis negotia quatenus extendatur, probe aduertendum eſt: quum enim homines corda ſcrutari nequeant, ſub hoc iure ea ſane non comprehenduntur, quae Dei cultum reſpiciunt mere internum. Sed nec ea, quae a Deo ſeu rationis ope, ſeu per reuelationem nobis diſerte manifeſtata ſunt, quaeque vocamus *dogmata*, quia nimirum ſalua Dei voluntate aliter eſſe non poſſunt, immutare a ciuili arbitrio pendet.

CCIX.

Et profecto qui ciuitatem conſtituunt, ius non habent paciſcendi, quod tanquam veram religionem, illam, quae maiori placebit parti, velint agnoſcere, quod ea tum naturali demonſtrationi euerti neſciae, cum traditioni diuinae innitatur. Neque rector ciuitatis vi quadam iubere poteſt, vt quis id pro vero agnoſcat, de quo per argumenta perſuaſus, aut conuictus nondum fuerit. Nec demum interna, id eſt, ſpiritualis hu-

maua poteſtas naturaliter vlla exiſtit. LACTANT. *Diu. Inſt. V,* 14. CASSIOD. *Var. II,* 27.

CCX.

Vrgebit fortaſſe quiſpiam, incumbere vtique imperanti, vt inſtruantur ciues, atque hoc modo etiam internum cultum ad eiusdem poteſtatem videri eſſe reuocandum. Longe alia autem quaeſtio eſt, quibus rebus conueniat ciues imbuere, alia, ad quas iidem vi externa compelli queant. GROT. *II. XX.* §. 44.

CCXI.

Exiſtunt itaque actus religioſi coactionis expertes, ſiue quod animo et cogitatione continentur, ſiue quod contrarium rectae rationi et verbo Dei ſpeciali repugnat. Libertas a tali coactione dicitur *Libertas conſcientiae*: quae igitur cuilibet per imperium ciuile ſalua eſſe debet, quod nemo humanam cogitationis poenam patiatur, nec a quoquam obſtringi poſſit, vt agat id, quod a diuina voluntate alienum eſt, vtque in officiorum conflictatione, hominibus potius quam Deo obſequatur. DAN. *IV.* 7. ROM. *VIII.* 15. HEBR. *XI.* 15. DIST. *XLV.* c. 5. GROT. *II. XX.* §. 48.

CCXII.

Quemadmodum vero idem naturae auctor et ciuitates, et religionem veram exſiſtere voluit, ita religio omnis, quae ciuitatis

tis finem euertit, aut remediis ad eum obtinendum neceſſariis impedimenta ponit, religio vera cenſeri nequit, vt adeo character huius veritatis etiam ſit, ſi Religio ſimul ad ſalutem ciuitatis conſpiret. Quare etſi ſocii ciuitatis ſimul cuiuscunque demum Eccleſiae fuerint ſocii, tamen imperium ciuile iuribus in illos integris vtitur, neque Eccleſia qua talis iisdem derogare valet. *Cf.* Dist. *XCVI.* c. 6. Grot. *l. II.* §. 7. *n.* 3.

CCXIII.

Quapropter imperans gaudet ius actiones Eccleſiae eſſentiales vi ſupremae inſpectionis examinandi, non quidem, vt de iis aliquid decidat, ſed ne dogmatum obtentu doctrinae aliae bono ciuili aduerſantes propalentur; immo et Eccleſiaſticam ſocietatem ciuili ſaluti contrariam, vtpote erroneam, *excludendi*, ne communi deinceps bono impedimenta ponat; atque *prouidendi*, vt Eccleſiae verae negotia cum ſalute ciuitatis conſentiant.

CCXIV.

Id quoque ſuo ſibi iure adſumit imperans, vt inuigilet, ne quis piis exercitationibus abutatur, eas pecunia proſtituat, vel petentibus Eccleſiae officia ſine cauſſa, et cum publicae tranquillitatis diſcrimine, denegare attentet, deinde, vt diſſidentes in Eccleſia, quatenus turbas fouent, nec aliter

eorum ſperatur emendatio, etiam territorio excludat. NOVELL. IVSTINIANI *LXI. princ.*

CCXV.

Et quia iura maieſtatica ex ciuitatis fine menſuram capiunt, ea religionis negotia perpetuo ex imperio ciuili pendebunt, quae ad ſocietatem ciuilem reſpiciunt, aut quorum executio ſine poteſtatis ciuilis adiumento nequit obtineri. Non enim ex ſola eccleſiae notione poteſtas aliquem viribus phyſicis cogendi, ſeu ius violentiae colligitur. CAN. 20. *C. XXIII. q.* 5.

CCXVI.

Pertinet porro cura imperantis ad res ſacras, quae velut templa et imagines cultui diuino dicatae ſunt, deinde ad bona Eccleſiaſtica, ſeu res Eccleſiae, quae ad vſum quemdam ſocietatis Eccleſiaſticae ſpectant, non tamen directe et ſimpliciter ad cultum diuinum deſtinantur. *L.* 14. *et* 13. *C.* IVST. *de SS. Eccl.* NOV. *VII. et CXX.*

CCXVII.

Dein ſi orta Eccleſiae controuerſia tumultus in republica enaſcerentur, erit ius imperanti eam prouiſionis more ſopiendi, vt conſtet, quid docere aut externe agere interea conueniat, vel efficiendi, vt liberum ſit vtrique parti mentem declarare ſuam, et citra contumeliam tueri, vel vt de eo, quod in diſputationem deducitur, pars vtraque ſilen-

ſilentium ſeruet. *v.* Caroli *M. Capitular l.* 122.

CCXVIII.

Actiones, quae quoad ciuitatem indifferentes ſunt, ab imperio ciuili eximuntur, quare in iis ciues libertate fruuntur ciuili, vt propterea territorio nequeant excludi. Quoniam vero non ſemper ciuitatis intuitu indifferentia ſunt, quae ita dicuntur, etiam in his ius ſupremae inſpectionis locum ſortitur. Atque ſi lis inter imperium ac Eccleſiae ſocios vertatur, an tales actus ad religionis eſſentiam non pertinentes ciuitati indifferentes videantur, an potius eidem noceant, tum in dubio praeſumtio pugnat pro deciſione imperantis ciuilis, cui vtpote ſoli res omnes ciuitatis circumſtantes patere debent, donec nempe contrarium luculenter doceatur.

CCXIX.

Diſputari, exempli cauſſa, poſſet, vtrum ciuitatis reſpectu indifferens ſit, Eccleſiae ſocios in aliam concedere ciuitatem, negotiorum Eccleſiae inibi tractandorum ergo; coetus in regione Imperantis maiores habere; certam perſonam ſuae praeficere ſocietati; certum locum, modum, tempus diuini cultus ſtatui, quodam ciborum genere abſtinere. Porro an poenae ab Eccleſia ſancitae in peregrinationibus, abſtinentiis, aut pecu-

nia consistentes, in ciuitatis detrimentum vergant; an templa ad arcendum hostem demoliri oporteat; an res Ecclesiae deminutionem, an augmentum admittant.

CCXX.

Qua in re firmiter tenendum est, quod si quando vni semel ciuitati quid in Ecclesia salua religione licuit, naturaliter etiam alteri eadem incolumi idem licere oporteat; ne secus praeter societatis naturam, aequales Ecclesiae eiusdem socii inaequalibus iuribus censeantur. Vnde quam maxime historia rerum gestarum simul ac experientia iis commendatur, qui intima disciplinarum principia perspicere nequeunt.

CCXXI.

Illud vero extra dubitationem positum est, pacta licita imperantem inter et Ecclesiae socios conuenta ab illo seruanda esse, veluti si placuisset, ne in territorio ciuitatis falsa toleretur religio, et ne ipse, qui Maiestate fulget, diuersum Dei colendi modum amplectatur, aut in aliam transeat Ecclesiam; a quarum conditionum implemento, si modo imperium ea lege delatum, vt si secus fecerit, amittatur, retinere velit, inuitis se eximere sociis haud quaquam valet.

CCXXII.

Ex his iam colligitur: Imperantis iura non modo, vt supra exposuimus, generatim

sed

ſed et ſpeciatim aeque religionis intuitu ad tria redire capita, quae ſunt, I. Ius ferendarum legum, quae Dei cultum promoueant, et impietatem euellant, II. Ius ſupremae inſpectionis, quo praecauere poteſt, ne Eccleſia noceat, vtque turbatores excludantur, III. Ius exſequendi ſeu dirigendi negotia non eſſentialia ſeu arbitraria ad ſalutem ciuilem, ſiue imperans ipſe ſit Eccleſiae eidem conſociatus, ſiue alii religioni addictus. S. Avgvst. *Contr. Creſc. Gramm. L. III.* Grot. *I. II.* §. 7. *n.* 2.

CCXXIII.

Vbi tamen ſi intra naturalis rationis limites permaneas, ante alia in externa Eccleſiae ordinatione conſiderandum eſt, an Eccleſia, cui imperans ciuilis adhaeret, ſocietas ſit aequalis, an inaequalis, deinde, ſi ſit inaequalis, an is ipſe imperans, an alius ſeparatim eidem praeſideat, quod quidem fieri poſſe minime dubitandum eſt. Imperium enim vel ſine vllo limite, vel certis circumſcriptum finibus concedere fas eſt, vt adeo populus ſibi etiam totum ius circa religionis negotia reſeruare, vel idem ſpeciatim alicui alii praeter imperantem ciuilem, aut huic ſoli omni potuerit conferre. *Cf.* Gen. *XIV.* 18. Paralip. *II.* 19. *v.* 11. Wolf. *I. N. T. VIII.* §. 65. *et* 955.

CCXXIV.

Ac ſiquidem ſocietate aequali contineatur Eccleſia, Imperans ciuilis qua ſocius nonniſi iure ſuffragii gaudebit; ſi vero ſocietati huic tanquam inaequali praeſit imperans, negotia religionis externa eo modo, quo ciuilia, diriget. Si denique diuerſum Eccleſiae praepoſitum fuerit caput, Imperans ciuilis Eccleſiae intuitu fiet ſubditus, atque tum ne ex vtriusque poteſtatis conflictu reſpublica detrimentum capiat, tenebitur negotia ciuilia ab Eccleſiaſticis diſcernere, atque hos limites latis legibus, pactisue confirmare. Quod idem multo magis ad contentiones euitandas ei facere incumbet, ſi Eccleſiae ſocius non ſit.

CCXXV.

Ita non difficile erit, de iuribus majeſtaticis circa religionis negotia ſpecialibus diſpicere. Atque quod poteſtatem quidem legiſeram attinet, inter haec iura numerari debent: I. Ius de perſonis Eccleſiaſticis, id eſt, de omnibus Eccleſiae ſociis generatim, tum ſpeciatim de iis, qui immediate ad cultum diuinum deputati ſunt, ſeu miniſtris Eccleſiae, toties diſponendi, quoties absque ea diſpoſitione reſpublica detrimentum pateretur. *L.* 3. Cod. *de Epiſ. et Cler.*

CCXXVI.

CCXXVI.

Hinc II. Ius cauendi, ne horum miniſtrorum numerus conuenientem excedat modum, ne bona eorum immobilia nimium quantum excreſcant cum aliorum damno, et ne pecuniae in profuſas ceterisque ciuibus noxias conuertantur largitiones, tum III. definiendi aetatem, qua quis huic ſtatui ſe addicere poſſit. *L.* 2 1. 32. 37. C. Th. *de Ep. et Cl. L. vlt. ib. de epiſcop. Iud. L.* 7. *C.* Ivst. *de Epiſc. aud.*

CCXXVII.

IV. Ius ritibus arbitrariis, proceſſionibus, confraternitatibus, diebus feſtis aptam tribuendi formam, vel etiam eos reſtringendi boni communis gratia. V. Ius coercendi legibus immoderatam ſiue templorum ſiue perſonarum illarum copiam, quae certis addictae ſodalitiis vitae genus profitentur a negotiis ciuilibus alienum. V. Ius abuſus iurium Eccleſiaſticorum, ſi diſſidia et turbae inde immineant, tollendi. *Cf.* Cod. Th. *Lib. XVI. Tit. IV.* Mvratori *felicit. publ. c. VI.*

CCXXVIII.

VI. Ius tolerandi Eccleſias ex religionibus a vera alienis compoſitas, cum illis pro ſalute publica paciſcendi, aut denique non tolerandi, ſi rebellionibus fomitem praebeant. Quo loco forte quidam opponent, a gentilibus igitur iure Doctores catholicos exclu-

cludi. Iure autem ii a gentilibus eiiciuntur, qui turbas fouent, a quibus religio vera abhorret; ceterum tenentur prius gentiles de doctrina cognoſcere, quam ſi probam inueniunt, non minus impium foret eamdem arcere, quam ineptum bonas artes, veluti agriculturam, matheſin, medicinam, eliminare. GROT. *II. XX.* §. 49.

CCXXIX.

VII. Ius concertationibus religionis negotia tangentibus ſilentium imponendi, ſi quae tumultibus et turbis ſocietatis ciuilis occaſionem praebeant; VIII. Ius prohibendi doctrinas quaſcunque noxias reipublicae, librosque easdem propalantes, quorſum atheismus, epicureismus pertinent. *L.* 2. *et* 8. §. 5. *C.* IVST. *de haeret.*

CCXXX.

Ex iure ſupremae inſpectionis totidem velut riuuli ſequentia profluunt iura: I. inſpiciendi quaſcunque Eccleſiae ordinationes et edicta, ac ſi ciuitatis intuitu ſint adiaphora, placito ſuo confirmandi, II. negotia Eccleſiae a profanis ſeparandi, III. miniſtros ſacros, qui negotia eccleſiaſtica ordinent, ac in bonum commune prouehant, conuocandi, aut eam in rem eorumdem conſilia exquirendi.

CCXXXI.

IV. Sed et heterias aliquando cohibendi, V. dogmatum obſeruationem promouendi, VI. praecauendi, ne ſchismata oriantur, VII. ſi lites circa ſacra exiſtant, colloquia et tractatus inſtituendi, VIII. inuigilandi, vt res ſacrae ſuis adhibeantur vſibus.

CCXXXII.

IX. Pacta vel promiſſiones ciuium de negotiis Eccleſiae examinandi, eaque antecedenter, ſi reipublicae noceant, irritandi, veluti ſponſalia, ac matrimonia, etſi iusiurandum acceſſerit, vel votum; vbi enim actiones ab alterius pendent poteſtate, quod noſtri iuris tum non eſt, nequaquam inuito ſuperiore polliceri licet. Nvm. *XXX. v.* 6. 9. 13.

CCXXXIII.

Ius demum exſequendi in imperante ſpecialia haec rurſus producit iura. I. Excludendi a directione Eccleſiae perſonas illas eccleſiaſticas ſuae ciuitatis, quae ſibi ſuſpectae aut ſeditioſae ſunt, easque coercendi *. II. Ius perſonis, quae ſunt in Eccleſia, recurſum tanquam ab abuſu concedendi, ſi quando Poteſtates eccleſiaſticae ſua auctoritate in ciuium damnum abutantur. *Can.* 41. Cavs. *II. q.* 7. *can.* 31. Cavs. *XVI. q.* 7. Novell. *CXXIII.* c. 11. Ivl. Caes. *de B. G. L. VI. c.* 13.

* *Can.* 9. et 16. Dist. LXIII.

CCXXXIV.

CCXXXIV.

III. Ius adſiſtendi Eccleſiae ſua auctoritate, quam *brachium ſeculare* vocant, ſi vel res ſacrae, vel res eccleſiaſticae, vel perſonae religionis miniſterio deſtinatae, ſumma ſemper obſeruantia colendae, violentur; IV. Poenis in Eccleſiae hoſtes animaduertendi etiam corporis afflictiuis, vel eos eiiciendi, ſi modo reipublicae pariter hoſtes fiant; V. Regulas ab Eccleſia conſtitutas robore ciuili addito cuſtodiendi. *L.* 9. *C.* TH. *de haeret.* NOVELL. IUSTIN. *CXXXVIII.*

CCXXXV.

Sed non minus intelligitur, quale ſit, quod ſupra diximus, ius imperantis eminens in miniſtros Eccleſiae, et quomodo illud ſeſe ad res eccleſiaſticas porrigat. Scilicet vim id ſuam toties oſtendit, quoties vinculi ciuilis diſſociandi periculum manifeſtum vertitur. Tunc enim imperans et perſonas ſacras ad ciuitatem etiam ſanguine ſuo tuendam iuſte adiget, et res quascunque in vſus neceſſarios conuertet.

CCXXXVI.

Nam qui homines ſeruat, miſericors eſt, ac Deo obſequitur, eumque interne colit, contra res ad cultum ſolummodo externum et eum quidem ſplendidiorem ſpectant, ac ideo in conflictu officiorum cultus Dei internus euerti neſcius, debet praeferri

ex-

externo, quo aliquando poſſumus carere. Caus. *XII. Q. II. c.* 70. S. Ambrosius *de off. I.* 17. Wolf. *I. N. T. VIII.* §. 514.

CCXXXVII.

Atque haec imperantis et officia et iura eo maius robur indipiſcuntur, ſi perpendamus, religionem non eſſe modum tollendae obligationis, aut iuris amittendi, neque res Eccleſiae deſtinatas bona ciuitatis, neque perſonas religionis miniſterio addictas ciues eſſe deſinere.

CCXXXVIII.

Quae omnia de religione Chriſtiana aeque praedicari poſſe palam fit, quia Christus, qui quidem Eccleſiam ſuam vnam fundauit et vniuerſalem, ac ſacra poteſtate inſtruxit, * attamen ciuili imperio minime derogare intendit, ſed *Caeſari dari* iuſſit, *quae ſunt Caeſaris, et quae ſunt Dei, Deo.* Atque is ipſe religionis Chriſtianae auctor *regnum ſuum de hoc mundo eſſe* negauit, omnemque animam ciuili ſubeſſe poteſtati, *etiam propter conſcientiam* voluit. Marc. *XII.* 17. Luc. *XX.* 25. Ioan. *XVIII.* 36. Rom. *XIII. v.* 14. *I.* Petr. 2. *v.* 13.

* *Ad* Corint. *Cap. XII. v. 12. 13. 27. ſeqq.* Act. *XX. 28.* Matth. *XVI. 18. XVIII. 18.* Rom. *XII. v. 4.*

CAPVT IX.

DE OFFICIIS EORVM, QVI GVBERNANT CIUITATEM.

CCXXXIX.

Ii, quorum ſe imperio ſubmiſerunt ſinguli patresfamilias, dum hanc ſubiectionem acceptant, iam eo ipſo tacite ſimul repromittunt curam ſalutis publicae; adeoque ad eum ciuitatis finem aſſequendum ſe obligant. Ex quo fons intelligitur, vnde profluant officia ſpecialia imperantium, additorumque iis miniſtrorum, qui in partem regiminis, ſeu exercitii imperii ciuilis vocati ſunt, quippe, quod legitimo vſu remediorum, ſeu iurium maieſtaticorum continetur. Cic. *de rep. V.* ſeu *Attic. VIII. Ep. XI.*

CCXL.

Natura ciuitatis docet, eam, ſicut hominem quemlibet ſingularem, certis quibusdam erga ſe officiis teneri. Quare ciues ſinguli ad munera publica ſe idoneos reddere, ciuitas tota ſe in conſociatione conſeruare, quin immo ſtatum ſuum pro ratione finis perficere, pericula interitus, ac perfectionis ſuae impedimenta amoliri debet, ac ideo inprimis virtutes tam intellectus quam voluntatis exco-

colere, ne barbara, ſed docta, culta, iuſta, potens habeatur, gloriamque ſuam in dies propaget.

CCXLI.

Quae quum ciuitatis erga ſe ſint officia, adparet: moderatoribus reipublicae omnes vires eo eſſe impendendas, vt impleantur. Hinc primum eorum munus erit rempublicam, in qua verſantur, noſſe, ciuitatis finem, ſtatum, vires, ac porro iura et obligationes, quae cum imperio ciuili copulatae ſunt, intime perſpicere, voluntatem deinde conſtantem et perpetuam ea tantum faciendi habere, quae ad bonum eius regimen ſpectant. Cic. *de Rep. II. & pro Deiotar. C. IX.*

CCXLII.

Quam in rem neceſſaria eſt legum reipublicae tam vniuerſalium, quam particularium cognitio, hiſtoria aliarum rerumpublicarum, tum accurata domeſticae hiſtoriae et iurium populi notitia, vnde ea diſcantur, quae ars gubernandi latiſſime patens exigit, quum *ipſis etiam excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuem regant, quam qua hoſtem ſuperent.* Liv. *lib. II. c. 43.* Sallust. *B. Catil. c. 2.* Cic. *de LL. III. 18.*

CCXLIII.

Omittenda vero ſunt ea ſtudia, quae a ſcopo regiminis abhorrent, circumcidenda negotia, et aliae occupationes, quae huic

ſini aduerſantur; qua ratione Rectores populorum contentos haud eſſe oportet notitiis hiſtoricis ſeu veris, ſeu fabuloſis, quod hae cognitionem ſolummodo confuſam et obſcuram pariant; cuius locum ideae clarae & diſtinctae occupare debebant ex ſolidis ſcientiarum principiis hauriendae. SOCRAT. *ap. Xenoph. Memor. IV.* SALLVST. *de rep. ord. n. 42.*

CCXLIV.

Dein ratione poteſtatis legislatoriae attendi debet, ne leges prolixae, vagae, libertatem ſine cauſſa reſtringentes, nec plures quam finis ciuitatis depoſcat, ferantur. Ergo ſingulares reipublicae indagandae ſunt circumſtantiae, pluriumque etiam ſuffragia exploranda, tum bono exemplo ciuibus ad legum cuſtodiam praeire, priuilegia autem, quae vulnera legum ſunt, non niſi rariſſime largiri oportebit. *v.* LIV. *XXVI. c. 36.*

CCXLV.

Quum leges ciuiles ex naturalibus addendo aut detrahendo efficiendae ſint, cauendum eſt, ne errores quidam communes pro iure naturae ſumantur, ad cuius normam etiam leges ciuiles antiquae emendandae ſunt, vel abrogandae. Leges vero naturales, quas ſanctius obſeruari ſpeciatim reipublicae profuerit, nouis poenis additis muniantur.

CCXLVI.

CCXLVI.

Nec ob minimam iniuriam litibus in foro indulgeatur; quare laeſiones et culpae, quas pro varia negotiorum indole praeſtari e re ciuitatis erit, determinentur. Si denique leges peregrinas recipere placeat, ininquirendum eſt prius, an per earum praeſcripta bono ciuitatis communi conſulatur; atque ſi immutato rerum ſtatu aut agnito poſtea errore adpareat, eas non eſſe bono communi congruas, rurſus aboleantur.

CCXLVII.

Quod autem poteſtatem concernit inſpectoriam, ſocietates minores, et collegia ſaluti publicae ſubordinari, quae deficiunt, erigi, inutilia corpora dimitti debent. Porro ſanam inſtitui politiam, factiones et ſectas praecaueri, foueri artes lucratiuas, ſellullarias et opificia, commercia propagari, viam facilem ad quaerendas opes parari, hinc procul amoueri ea omnia, quae bona reipublicae peſſumdant, luxum denique arcere conueniet. Sallvst. *de Rep. ordin. n.* 52. 53.

CCXLVIII.

Inde quoque prouidendum, ne rerum pretia ab iis ſolis ſtatuantur, quorum intereſt proprios maiori caritate fructus venumdare, ne ſtudia bonarum artium iis committantur, qui ex plebis ignorantia lucrum

captant, aut noxias reipublicae doctrinas inculcant, quiue ipſi doctrina carent, vel diligentia, aut ob ingenii imbecillitatem lites ex litibus ſerunt: ne denique religio vel auaritiae, vel praepotentiae ſeruire cogatur.

CCXLIX.

Religio non armis propaganda eſt, ſed aduerſus hoſtiles impetus defendenda; nihil quoad religionis dogmata, aut ea, quae in externo cultu cum his eſſentialiter cohaerent, tangatur, ſed illa ſancte ſeruentur. Etſi enim ſalus aeterna non ſit finis ſocietatis ciuilis proprius, tamen qui in hanc conuenerunt, officiis erga Deum renunciare minime valebant; ita ciues et doctiores reddentur et meliores. *cf.* HOBBES *XIII.* 5.

CCL.

Poteſtatis demum exſequentis rectus fiet vſus, ſi promtae ſemper ad protegendam ciuitatem habeantur vires, neque commeatus, periti duces, miles exercitatus, exploratores ceteraue deſint, quae artis militaris regulae poſtulant. Bella tamen ob cauſſas friuolas haud inchoanda, et laeſiones diſſimulare minores potius conueniet, quam ciuitatem periculis exponere. Mature etiam haec, ſi neceſſitas ferat, agenda; nam miſerum eſt opus, tunc demum fodere puteum, vbi ſitis fauces tenet. PLAVT. *Moſtell. act. II. Sc. 1. v. 32.*

CCLI.

CCLI.

Verum & huc ſpectat obligatio leges exſequendi, auxilium laeſis non denegandi, ſubditos grauamina exponentes, aut protectionem implorantes aditu non prohibendi, ius cuique ſuum promte reddendi, ne ſecus litis expenſae ipſam excedant ſortem, poenas pro re nata temperandi, reſtringendi aſyla, illudque cauendi, ne det veniam coruis, vexet cenſura columbas. Ivven. *Sat. II. v. 63.*

CCLII.

Bona ciuitatis ad huius finem dumtaxat conſequendum erogari debent; ne igitur maiora, quam hic finis poſtulat, exigantur onera, ne opes ſubditorum exhauriantur, quorum vtilitas ab vtilitate imperantium ſeiungi numquam poteſt. Idem enim foret ac corpus truncare membris, vt omnia capiti adcreſcant. Quare et iure eminenti imperans non abutetur, aut dominia et iura priuatorum cum iuribus ſuis confundet. Devt *XVII. v. 19.* Senec. *I. Clem. 19.*

CCLIII.

Hinc vectigalia et tributa, habita proportione ad quantitatem et qualitatem bonorum, tum modum percipiendi faciliorem, imponantur. Nam ſaepe non tam onera ipſa, quam praeſtationum inaequalitatem et acerbum exigendi modum grauiter ferre ſo-

lent ciues; *tantum nimirum ex malis publicis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet, nec in iis quidquam acrius, quam pecuniae damnum stimulat.* Liv. *XXX. c. 44.* Cicer. *Rep. IV.* Hobbes. *XIII. 10.*

CCLIV.

Quum imperans instructus esse debeat scientia eorum, quae ad bonum requiruntur regimen, ad hoc autem omnia negotia publica, atque ea inprimis, quae consilium in arena desiderant, saepe oporteat ipsi intime perspecta esse; id tamen aut vnius aut etiam plurium numero imperantium vires excedat, necessum est, relatione ac consilio virorum prudentum vti, quorum diuersi diuersis studiis excellant.

CCLV.

Dicuntur hi *consiliarii*, quorum ex notione continuo dispalescit, eos sapientes esse, virtuti deditos, prudentes, iurium maiestaticorum peritos, exemplo esse aliis, rerum humanarum scientia pollere debere; cordatos praeterea, non vero adulatores, aut nugivendulos, qui fumos & inania captent. Exod. *XVIII. 2.* Sallvst. *de Rep. ord. 55. 56.* Cicer. *de LL. III. 14.*

CCLVI.

Nam saepe in caussis dubiis, et quando res aliqua variis modis ac conditionibus perfici potest, rationes in vtramque partem allatae maturius a pluribus trutinari possunt;

vt

vt quod vtile eſt, decernatur. Neque etiam, quamuis Principes multa polleant ſcientia, his carere poterunt. Nec enim ad bonum regimen theoria officiorum ſufficit, ſed opus eſt notitia rerum ſingularium, earumque diuerſiſſimarum, cui veritates generales adplicari debent. Quare illi etiam optime gubernare cenſentur, qui hac imperii ciuilis parte, in conferendis muneribus publicis poſita, ſapienter funguntur. MARTIAL. *VIII. Ep. 15.*

CCLVII.

Quae res, quo eſt difficilior, eo maiores in bonorum miniſtrorum electione cautelae ſunt adhibendae, quae ad ſequentes fere regulas reducuntur. I. Miniſtri non naſcuntur, ſed fiunt, igitur ſolus natalium ſplendor vel patrimonii magnitudo in conſiderationem hoc loco non veniunt, ſed omnibus via facienda, quicunque virtute et habilitate reipublicae adminiſtrandae praeſtant. *Patere honoris ſcirent vt cuncti viam. Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.* PHAEDR. *L. II. Epil.*

CCLVIII.

II. Vt ſubditi hanc aptitudinem ſibi comparare queant, oportet non modo academias et lycea inſtituere, ſed indolem cuiusque et ingenium in ipſis rebus gerendis diu experiri; nec enim ex academiis reduces mox impendi poſſunt, vt de vita et bonis ſubditorum iudicent inexpertes iuuenes.

CCLIX.

Itaque agricolas imitari conuenit, qui malas euellunt herbas, contra implantant ramusculos, eosque excolunt, donec in arbores excrescant frugiferas, vt in senescentium locum substitui possint. Atque si apti deficiunt viri, non ea iuuentutis culpa est, sed virorum principum, qui remedia iuuentuti informandae non adhibuerunt, siquidem egregios inuitant praemia mores. CLAVDIAN. *II. in cons. stil. v. 124.*

CCLX.

Animaduertendum autem est, ne munera personis apta fiant, sed vt idoneae personae ad ea magis accomodentur. Sane vel quotidiana docet experientia, multiplicia esse ingenia hominum; *esse viros natos militiae factis magnos ad verborum linguaeque certamina rudes, ea ingenia consularia esse, callidos solertesque iuris atque eloquentiae consultos, vrbi ac foro praesides habendos, praetoresque ad reddenda iura creandos esse.* LIV. *X. c. 22.*

CCLXI.

III. Aptos vero educare officiales parum prodest, si minus tamen idonei impendantur; quare non potest imperans salua conscientia digniores minus dignis postponere. Commendationes solae, partium studia, cognationum fauor, vulgo nepotismus, hac in re exulent. Quot non idonei commen-

mendantur, atque tales videntur, quos experientia inidoneos monſtrauit? Externa forma nihil ſibi adroget, nam frons, oculi, vultus ſaepe mentiuntur.

CCLXII.

IV. Si honores et dignitates indignis conferantur, innumeris turbis adminiſtratio reipublicae confunditur; torpeſcunt boni, deferuet aemulatio, negligunt et reliqui munus ſuum; plusque nocet officium vni contuliſſe parum digno, quam ſi centum alii merita praemia conſequantur. Peſſima ſane illa eſt reipublicae conditio, *vbi inter bonos et malos diſcrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio poſſidet.* Sallvst. B. *Catil. c.* 56.

CCLXIII.

V. Imperans Miniſtros ac Conſiliarios obſeruet, vt intelligat, an omnes rationem habeant ſui muneris, et an non iuribus maieſtaticis abutantur. Eorum dirigat conſilia, ita enim facilius diſcernet, num ipſi forte non fallant, fallanturue. Quare etiam neceſſe eſt, cuiuslibet inueſtigare inclinationes atque affectus; ac propterea philoſophiam moralem excolere, quae regulas artis coniectandi hominum mores ſuppeditat. Quod ipſum ceteris minoribus poteſtatibus faciendum incumbit, quae ſaepe ab aliis inferioribus deceptae, decipiunt imperantem.

tem. Vopisc. *in Aurelian. c.* 43. Wolf. *l. c.* T. *VIII.* §. *1040.*

CCLXIV.

VI. Fruſtra etiam foret viros impendiſſe digniores, niſi eorum dictis atque conſiliis paterent aures, aut vero ſi rebus ad viuendum neceſſariis carerent. Tunc enim ad negligendam vel plane venumdandam adminiſtrationem aditus ianuaque eſſet patefacta.

CCLXV.

VII. Boni aliquando mores induunt malos, quare ſaepius eorum adminiſtrationem examinare, ac ſi fraudis conſcii ſint, debita eos poena coercere oportet. * Nulli tamen, qui ſalubre dedit conſilium, fortuitus aduerſus euentus iure poteſt imputari. Cetera diſciplinae politicae docebunt.

* *L.* 4. C. Theod. *de accuſat.*

CAPVT X.

DE OFFICIIS SVBDITORVM CIVITATIS.

CCLXVI.

Iuri adminiſtrandi rempublicam, ne careat effectu, reſpondet obligatio ſubditorum ad

ad ea praeſtanda, quae a Rectore ciuitatis imperantur. Illorum itaque erit voluntates ſubiicere, et vires in omnibus negotiis ciuilibus; hinc ea, quae praecipiuntur facere, quae vetantur omittere, atque hancce obſequendi promtitudinem etiam externis ſignis, data occaſione, conteſtari. LIV. *XXVI. c. 36.*

CCLXVII.

Eſt vero haec obediendi obligatio ex perfectarum genere; naſcitur enim ex pacto ſubiectionis ciuilis, quam ſi quis denegare auderet, is ius laederet translatum in vniuerſos, atque adeo iuſtam ipſis tribueret bellandi cauſſam. Et quoniam lex naturae, eiusque auctor DEVS praecepit ciuitates, per ſe liquet, ciues non modo in foro externo, ſed et in foro interno, ſeu conſcientiae, ad parendum obſtringi. ROM. *XIV.* 5. PETRI *I. Ep. II. v. 13. 19.*

CCLXVIII.

Fruſtra vero nonnulli ad leges confugiunt, quas vocant *mere poenales*, quasque omni obligatione interna deſtitutas arbitrantur. Si enim legislator legis edictum, minus quam eius ſanctionem pro fine habet, tunc ex poena percipit voluptatem, et porro ſubditos odio perſequitur; quod quum legi naturali omnino repugnet, abſurdum ſane eſt, huiusmodi legum monſtra cogitare.

CCLXIX.

CCLXIX.

Etſi dein filiifamilias et ſerui ciues ſtricto ſenſu non ſint, neque in hunc numerum extranei ſeu peregrini territorium ciuitatis ſubeuntes proprie referri poſſint, attamen illi domeſtico duce imperio, quod a ciuili pendet, ad finem huius maioris ſocietatis contendere perfecte obligantur, hi autem vi iuris territorialis ea cuncta omittere debent, quae ſecuritatem turbant, et eatenus ad *ſubditos temporarios* pertinent.

CCLXX.

Rector ciuitatis itaque filiosfamilias ad militiam et munera publica adigere poteſt, non vero ad ea, quae cum ſocietate nullum plerumque nexum habent, et ideo domeſticae relinquuntur poteſtati; puta, vt certam perſonam ducant in matrimonium, vel artem determinatam addiſcant. Quae tamen ipſa ſi conflictus cum ſecuritate communi ſibi depoſceret, nemo dubitabit, imperanti etiam horum intuitu eandem poteſtatem et vim attribuere.

CCLXXI.

Quamobrem ſocii licet remotiores ciuitatis ad actiones tam negatiuas, quam adfirmatiuas vi Imperii ſummi tenentur, ſuntque eorum officia duplicis generis, alia generalia, ſeu omnibus *communia*, quae fluunt ex notione ciuitatis atque ex illa obligatione

fun-

fundamentali, qua ciues ſinguli ſummo imperio adligantur, alia ſpecialia ac *propria*, quae ex peculiari cuiuis demandato munere oriuntur. Priora hac definiuntur propoſitione: *Viue, quantum in te eſt, conuenienter iuribus maieſtaticis.* Poſteriora hoc axioma enunciat: *Nullum ambias munus; ad quod idoneus non es, quam vero ſpartam nactus es, hanc orna.*

CCLXXII.

Si autem peregrini in ciuitatem admittantur, quod ab imperantis voluntate pendet, hi dumtaxat vi iuris territorialis obſtringuntur 1) ad actiones negatiuas, et 2) ob factum ſingulare, ſi contrahant, aut delinquant, niſi pacto vel expreſſo vel tacito aliud actum ſit; 3) Legibus adfirmatiuis illis ſubiacent, quae aliquando in ipſos peregrinos feruntur; 4) Onera praeſtare debent rebus publicis adnexa, ſi iis vtantur.

CCLXXIII.

Implet leges negatiuas, qui abſtinet a laeſione, et porro eaedem hiſce enunciatis continentur. I. Non ponas impedimentum imperanti, qui actiones ſubiectorum ad externam felicitatem dirigit. Contra quod peccant, qui in ius vocatum vi eximunt, doloue, aut captiuum ſubducunt, qui deſertores militiae abſcondunt, quique delectum habentibus reſiſtunt. II. Societatem non ineas ab imperante nec expreſſe nec

ta-

tacite confirmatam; eſt enim iniuſta. Vbi tamen nulla adeſt lex prohibens, ibi ſufficit tacita permiſſio.

CCLXXIV.

III. Laeſionis depulſionem aut damni reparationem ne propria vi, ſed auctoritate imperantis perſequaris; huius enim ſolius eſt determinare modum, quo bella gerantur. Quod ius ſi cuilibet concedatur, iam ſuprema laeditur Iurisdictio, omnisque deſinit ſecuritas, primus ciuitatum finis. Hinc neque debitores violentia compellere, nec manus cum ciuibus conferre, ſiue duella inire licet.

CCLXXV.

IV. Ne des mala agendi occaſionem, neque V. conciuium tuorum commoda interuertas. Quo nomine coercentur, qui aleam fouent, qui turpes conciliant amores, qui annonam flagellant, qui illicita exercent monopolia. Quare et ideo ab extraneis iure petuntur vectigalia, ne res ſuas viliori, quam incolae, vendentes pretio, hos honeſta vitae ſuſtentatione fraudent.

CCLXXVI.

Quoniam leges affirmativae ſubditos attingunt ciues, facile colligitur, quod hi teneantur non ſolum non turbare ſecuritatem, ſed ſimul eamdem promouere. Hinc abſtinere ab otio, commiſſa ſibi munera ſuſcipe-

pere, rite adminiſtrare, aliisque bona agendi opportunitatem praebere, ad ſalutem denique publicam omnibus viribus conniti, eamque poſito conflictu ante ſalutem priuatam ponere. Arrian. *Epictet. II. c. 10.* Hobbes. *XIII. 3.*

CCLXXVII.

Hinc eſt, quod iuſſu imperantis incumbat ciuibus arma capere, ciuitatem tueri, et operas praeſtare militares, neque illas fuga aut mutilatione detrectare, pupillorum *tutelam* gerere, ciuiumque minorennium *curam.* Si tamen phyſica tunc aut moralis obtingeret impotentia, cauſſam eius iuſtam allegare, ſeu ſe *excuſare* oporteret, atque imperantis erit, ob conflictum officiorum exceptionem facere.

CCLXXXIII.

Naſcitur ſcilicet obligatio ad laborandum ex nexu ciuili, ſed praeferendi ſunt labores illi, quibus ſecuritas quam maxime praeſtatur. Ideo ſenes, officiales ciuiles, feminae, ſacerdotes, debiles, ad militiam non ſunt cogendi, ſi adſint validiores. Verum et extranei neque ad tutelam, neque ad bellum aliaque munera adigi poterunt inuiti.

CCLXXIX.

Quoniam amor in voluptate ex alterius perfectione conſiſtit, ſinguli autem ciues eo vni-

vniri debent, vt reſpublica, cuius ſunt membra, et hinc eius territorium ſeu *patria*, quoad fieri poterit, perficiatur, non obſcurum eſt, maxime amandam eſſe patriam, eique prae priuatis ſociis plurimum eſſe tribuendum. A qua tamen differt locus natiuitatis, ſiquidem quis etiam extra patriam in lucem edi poteſt. CICER. *Off. I. 17.* LIV. *XXVII. 34.*

CCLXXX.

Diſceſſus perſonae nexui ciuili adſtrictae e ciuitatis territorio ſine animo amplius redeundi factus dicitur *emigratio*. Quia emigrans ſe officiis perfectis, et affirmatiuis exſoluere tentat, id vero inuitis vniuerſis locum non habet, manifeſtum fit: nemini ius emigrandi ſine conſenſu imperantis ſaltim tacito competere; immo vbi quis emigrauerit, ius imperanti perfectum naſci, eum a vicina gente repetendi, et puniendi. OVID. *Metam. XV. v. 28.*

CCLXXXI.

Nec obloquaris cum BOEHMERO * ciuem ſe tantum ſubieciſſe, vt quamdiu ſubditorum numero continetur, ſinceram obedientiam praeſtare velit. Nam promiſit vtique ſocietatem ciuilem, igitur hoc pactum ſeruare debet. Et quamuis, quod ille vrget, nullum inde fieri imperanti praeiudicium videatur, id tamen falſum eſt, ſiquidem im-

pe-

perans iure, quod in ciuem habet, inuitus priuaretur, praeterquam quod etiam ius turbetur vniuerſorum, quo in iſtum emigrantem vtuntur.

* *I. P. U. part. III. c. 2. §. 18. not.*

CCLXXXII.

Inde ſequentes concluſiones lucem capiunt. I. Ideo vetita eſt emigratio, quia pacto ſocietatis repugnat, ea tamen licita fieri poteſt, ſi ipſa conſentiat ciuitas, ſi ſubditos alere eorumque opera vti nequeat, ſi occupatae ab hoſtibus terrae relictio pacis foedere permiſſa ſit, ſi denique diſcedentes non ſint ciues, nec ratione delicti aut contractus obligati.

CCLXXXIII.

II. Solet aliquando conſenſus dari a conditione ſuſpenſus, vt emigrans ad certum ſolummodo locum tranſire poſſit, quae itaque ſancte ſeruanda veniet. Ita poteſt quidem *commutatio domicilii*, non autem *patriae* concedi *repudiatio*. III. Qualis conditio etiam rebus addi ſolet, vt certus emigrationis cenſus praeſtetur, quod bona ibi, vnde emigratio fit, ſint adquiſita, ſi tamen et huic cenſui modus expreſſa conuentione poſitus ſit, eum transgredi haud licebit.

CCLXXXIV.

IV. Ius *albinagii* dicitur, quo hereditas vel legatum defuncti ciuis vel peregrini ex-

traneis denegatur. Quoniam ciues ſocietati ciuili ad actiones tenentur affirmatiuas, non autem peregrini, conſequens eſt, vt ius albinagii habita legitima cauſſa exerceri quidem iure poſſit in patrimonio ciuium, non autem in bonis peregrinorum, niſi de ea lege prius fuerint admoniti, aut id iure retorſionis ſtatuatur.

CCLXXXV.

V. Quod de genere traditum eſt, id aeque de ſpecie valet. Igitur officialis inuito imperante dare muneris dimiſſionem haud poterit, niſi ſit ſubiectus temporarius certis conditionibus euocatus, quae non impleantur. VI. Contra nec imperans ius habet cogendi ciues, vt emigrent, niſi ii ratione delicti, veluti ſi turbas foueant, plectendi ſint exilio.

CCLXXXVI.

Immo vero et ciuis innocens tenebitur e ciuitatis territorio diſcedere, ſi eius defenſio cum ſalute publica collidatur, quia ab initio quiſque pollicitus eſt, bonum proprium bono publico ſe poſthabiturum, vt itaque tunc ob officiorum conflictationem ciuis vi poteſtatis eminentis deſeratur, atque ad ſtatum ſuum naturalem redeat.

CCLXXXVII.

CCLXXXVII.

At propter eamdem caussam non desermodo, sed et hosti simpliciter extradi poi terit, omni alio seruandae ciuitatis remedio deficiente, innoxius ciuis. Quid ni enim id liceat; quum saepius tot militum millia praesenti mortis periculo committere necesse sit? *cf.* Warnefr. *de Gest. Longob. L. V. c.* 4.

CCLXXXVIII.

Quoniam vero ius vitae et necis non habet imperans ciuilis, nisi in delinquentes ob necessariam ciuitatis defensionem, ciuem innocentem nec ad euitandum imminens societatis excidium, multoque adeo minus ad efficiendum, vt in vera religione moriatur, vita priuare fas erit. Alia igitur est deditionis, alia necis ratio. Grot. *II. C. 25. §. 3.* Cicer. *Off. I. 45.*

CCLXXXIX.

Hanc nondum infert, qui extradendo iubet ciuem se periculo exponere, quod facere aliunde tenetur, modo adsit sufficiens certitudo, hoc remedio ciuitatem ab interitu liberari posse. Quam tamen rarissime adesse lubenter fatemur. Quis enim scit, an ciue extradito, quem hostis deposcit, salua ideo futura sit multitudo? Lupi certe ab ouibus canes sibi tradi obtentu pacis postularunt, reipsa vero vt oues facilius deuora-

rent. PHAEDR. *Fab. app. XXI.* PVFENDORF. *L. VIII. c. II.* §. 5.

CCXC.

Subditus inobediens et refractarius eſt *laeſae Maieſtatis* reus, ſi iura quaedam maieſtatica ſibi adroget. Idem eſt *rebellis*, ſi directe et animo doloſo armis, tumultu, vel conſpiratione ſecuritatem ciuitatis peſſumdare attentet. Fit *perduellis*, ſi in ipſas perſonas imperantium aliquid moliatur. Hinc *laeſae Maieſtatis*, *Rebellionis*, *Perduellionis* crimina intelliguntur, quorum quantitas ex imputationis principiis patefit.

CCXCI.

Manifeſta proin ſunt haec conſectaria: I. Rebelles bellum gerunt late ſumtum, quia tamen id inter gentes iuſtum non eſt, *ſeditio* potius adpellatur. II. Qui dolo malo imperantis mandato non parent, ſunt *contumaces*, rebelles negatiue. III. Qui aliquid agit contra honorem imperantis et famam, ipſe quoque dat anſam tumultibus; igitur omnis huius generis actio omitti debet, et hinc eius ſtatuam, imaginem, aulam, *ſaluam guardiam* oportet reuereri.

CCXCII.

IV. Cauſſae morali actio imputatur, qui igitur dolo malo per iniuſtam adminiſtrationem ciues turbis inuoluit, inter rebelles

les numerari meretur, ad quos et concionatores referri possunt, si contra regiminis morbos detonando foueant tumultus. Etsi enim mala ita se haberent, tamen aliis longe remediis forent corrigenda. V. Qui *grauamina* demisse exponunt, rebelles dici nequeunt, sed potius querulantes, *minus contenti.*

CCXCIII.

VI. Deus quidem sic laedi non potest, vt eius diminuantur perfectiones, qui tamen honorem ei debitum non praestant, qui attributa solius Dei propria adtrectant, ii ex analogia *laesae diuinae maiestatis* rei dicuntur. VII. Peregrini non proprie fiunt rebelles, sed hostes, nec laesio soli priuato ciui illata ad rebellionis crimen pertinet.

CCXCIV.

Quum poenae suos debeant tenere auctores, quando vnus ex familia perduellionis reatum incurrit, eius vxor et liberi tormentis quidem affici nequeunt; si tamen liberi bonis priuantur paternis, nomen mutare, dignitatem perdere, immo et aliquando ex territorio discedere cogantur, est id remedium securitati obtinendae necessarium, et non poenis, sed infortuniis adscribendum. Docuit nempe experientia liberos atque agnatos delicti ab iis patrati immemores, suorum necem vlcisci voluisse.

CCXCV.

Quare indigna homine eſt HOBBESII doctrina, qui ex eo, quod in bello etiam innocentes occidantur, perduellium quoque liberos eodem iure de medio tolli poſſe argutatur, quae porro liberorum occiſio ſit defenſionis reipublicae ſpecies, ne iidem patrem vlciſcantur.

CCXCVI.

Quam parum autem haec ſe conſequantur, nemo non perſpicit. In bello enim, praeterquam quod aliud non eſſe iuris noſtri proſequendi remedium ponimus, innocentes non ex propoſito noſtro, ſed caſu quodam vitam perdere liquet. In perduelles datur quidem ius belli, latius accepti, id tamen per modum iudicii exerceri debet, in quo adpareat, quale ſit innocentem inter et noxium diſcrimen, atque ideo leniora ſemper praeferenda veniunt defenſionis remedia, quamdiu iis ſecuritas ſatis obtineri poteſt.

CCXCVII.

Si cum rebellibus imperantes pacta ineant, putant aliqui iſta non ſtringere. Verum, qui cum illis paciſcitur, imperans eo ipſo reatus gratiam cenſetur facere, atque adeo ſeruare debet, quod promiſit, quamuis etiam in captiuitate ad id fuiſſet inductus,

ctus: quum ſecus nulla foret ad vnionem cum ſeditioſis redeundi ratio. Quemadmodum autem alios ciues, ita hos in gratiam receptos vi iuris ſupereminentis in extrema neceſſitate iuribus ſuis deſtituere licebit. Grot. *III. c. XIX. §. 7.*

CCXCVIII.

Status, in quo iudicia ceſſant, vocatur *iuſtitium*. Eſt de cetero vel *vniuerſale*, ſi ſit in tota ciuitate, vel *particulare*, ſi in aliqua ſolum ciuitatis parte ſeſe exſerat. Dein aliud eſt *neceſſarium*, ſi ob calamitates publicas inuito imperante inualeſcat, aliud *voluntarium*, ſi eius ratio in imperantis arbitrio reperiatur. Aliud *continuum, perpetuum*, quando nulla eſt ſpes iudicia reſtitutum iri, aliud *temporarium*, ſi nonniſi ad aliquod tempus iurisdictio ſuſpenditur. Gell. *N. A. XX. 1.* Liv. *Lib. X. c. 4. II. C. IV. 1. X. l. 4. tit. dig. de fer.*

CCXCIX.

Quum remedia duriora nunquam adhibere fas ſit, quamdiu leniora ſuperſunt, ac malum minus maiori praeferri oporteat, perſpicuae ſunt hae concluſiones: I. Vbi iuſtitium eſt neceſſarium, attamen particulare, iudicia generatim non ceſſant; niſi igitur ſummum fuerit in mora periculum, oportebit ſuperiora adire tribunalia.

CCC.

II. Aſt ſi ex mora ſummum naſcatur periculum, nec iudex ſtatim adiri queat, quaelibet erit honeſta ratio expediendae ſalutis. Ita licet propriam poſſeſſionem vi tueri, et ſe etiam cum adgreſſoris nece defendere, ſicque pariter in inſula deſerta, vel oceano ius ſuum propria auctoritate perſequi fas eſſet.

CCCI.

III. Si iuſtitium indicatur voluntarium et vniuerſale quidem, ſed temporarium, finito hoc tempore copia iudicis haberi poteſt; itaque exſpectatione extrahendum eſt tempus; at ſi res moram non patitur, ad illam ſpeciem iuſtitium haud extendi ſolet. Quare tempore feriarum de vi et alimentis ius redditur.

CCCII.

IV. Si iuſtitium voluntarium fiat particulare, velut ob denegatam iuſtitiam, nec extremum ſit diſcrimen, minus erit malum iniuriam pati, quam turbas ciere; oportet itaque malum ſilentio inuoluere. Nam ſinguli ius ſuum ob communem quietem vniuerſis renunciarunt. Et quum ſine cauſſa quisque ſibi fingere poſſit ius ſibi non eſſe redditum, tumultus occaſionem quiuis ſumeret. Hinc datis ab imperante debitori

in-

induciis, *moratorium* vocant, creditor adquiescere debet.

CCCIII.

V. Putant multi ciuem iniuſte condemnatum tacita vti poſſe compenſatione; ſed quia facile quisque ſibi de iuſtitia cauſſae ſuae blanditur, dein poteſt compenſans detegi, atque vt fur puniri, pernicioſa eſt haec eorum doctrina, quae bonum priuatum ordini in ciuitate ſeruando poſthabet.

CCCIV.

VI. Quod ſi iuſtitium ſit neceſſarium atque vniuerſale et perpetuum, ſublatus eſt nexus ciuitatis, oritur anarchia, et ciues ad ſtatum naturalem redeunt. VII. Reſtituta ciuitate, quae interim geſta ſunt, integra manent, niſi aperte de iniuſtitia poſſeſſionis conſtet; talia enim facta ſine ſumma perturbatione pro ſpolio non habentur, ſed externe ſaltem iuſta ſunt.

CCCV.

Progredimur ad ſpecialia ſubditorum officia, quae a munere cuiusuis pendent. Quum autem munera ſint quamplurima, quid cuilibet officiali incumbat, hoc ex cuiusuis muneris declaratione erui debet, velut quale ſit officium Belliducis, Miniſtri, Conſiliarii, Magiſtratus, quaeſtoris, iudicis, aduocati, et eius generis reliqua.

CCCVI.

Omnibus quidem communia ſunt haec praecepta. I. Nemo munus ambiat malis artibus, vt pecunia vel adulatione; II. rationem implendi, quod iam licite ſuſcepit, muneris non deſumat ex donis aut xeniolis, quae ipſi promittuntur, vel tribuuntur, ſecus in *crimen repetundarum* incurret.

CCCVII.

Sed iam propria quaedam officia ſtrictim attingemus. I. Qui rebus ad religionem pertinentibus deſtinati ſunt, vera de cultu ſummi Numinis dogmata exponant, conſpicuum ſe populo vitae exemplar praebeant, a negotiis profanis tum maxime a faſtu abhorreant et auaritia, nunquam vero aliter ſentientes gladio perſequendi intemperiis ſe agitari patiantur L. 2. COD. TH. *de Epiſc. aud.*

CCCVIII.

Miniſtri vel Conſiliarii, qui ab imperantibus in partem regiminis ſuſcepti ſunt, tota mente rempublicam, eius initia, progreſſus, iura et vires complectantur; non proprias, non ſuorum opes vel potentiam aut dignitatem ſpectent, ſed ſalutem publicam; ab aſſentatione pariter ac inſolentia et factionibus ſint alieni, ea, quae vſui eſſe videntur, exponant modeſte et ſine partium

um ſtudio, illudque curae habeant, *vt in deliberationibus adſint, vt loco dicant, vt modo.* Cicer. *III. de LL.* 18.

CCCIX.

Militare imperium ii tantummodo ſuſcipiant, qui prudentia, fortitudine, ingenii celeritate excellunt, his vero nihil erit antiquius caſtrorum disciplina. Militem diligenter et tempeſtiue ad miniſterium bellicum, et moleſtias perferendas habilem reddant, eum periculis abſque neceſſitate non exponant, annonam, aut ſtipendia non interuertant, et probe intelligant, ducibus validiorem quam exercitu rempublicam eſſe. Florvs *III. 22.*

CCCX.

Milites ipſi Sacramenti memores ſint, hinc dicto audientes praefecto, ſuisque ſtipendiis contenti, paganos nec vexent, nec expilent, ſtrenue exercitationibus vacent, corpus laboribus indureſcant, nec vires frangant potu, aut libidinibus. Secum ipſis non dimicent, ſed cum hoſte, neque id temere, verum quum tempus neceſſitasque poſtulat, et mortem turpi fuga ducant eſſe potiorem.

CCCXI.

Qui iuris dicundi munere funguntur, de factis idonee probatis decernant, ſecundum

dum leges ; in adeundo ſe faciles praebeant, et patienter audiant vtramque partem. Sed nec excandeſcere aduerſus eos, quos malos putant, nec precibus calamitoſorum illacrymari, nec motum animi vultu detegere oportet. Caueant omnino ab affectibus et corruptelis, iuſtitiam inopi aeque ac potenti diligentiſſime adminiſtrent, lites vero diminuere conentur, non protelare. ECCLESIASTIC. *VII. 6. L. 19. Dig. de Off. praeſ.*

CCCXII.

Praefecti aerario exactas inprimis curent inire rationes, vt impenſas ex reditibus et futuris reipublicae neceſſitatibus dimetiri poſſint; moderatione vtantur et aequa lance, hinc leniſſimum excogitent exactionum modum, inportunam acerbitatem atque incaſſum cadentes ſumtus praecaueant, ſciantque optimum vectigal eſſe tempeſtiuam parſimoniam. Denique in id inuigilent, vt pro dignitate cuique tribuatur, et ne inferiores quaeſtores pecuniam publicam in ſuos conuertant vſus, quod crimen *de reſiduis* dicitur. PUFEND. *de O. H. & C. L. II. cap. vlt. §. 6. ſeqq.*

CCCXIII.

Qui negotia ciuitatis apud exteros gerunt, iis ſumma cautio ſit atque prouiſio, vt rempublicam, in qua verſantur, noſcant adcurate, de hominum ingeniis et moribus coniectandis laborent, iisque, quantum par

eſt,

eſt, ſeſe adcommodent, inprimis commiſſa celent, a formula ſibi præſcripta non recedant, rumores quoslibet nec ſpernant, nec ſectentur, ſtudeant vero potiſſimum gloriam ſui populi virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus tueri.

CCCXIV.

Quibus ciuium animos ſcientiis et diſciplinis informandi ſparta obtigit, indefeſſa ſe commendent diligentia, et morum honeſtate, doctrinas proponendas ſumma attentione examinent, earum fontes et cauſſas inueſtigent, ne ſecus in theſes incidant inanes aut pernicioſas, ea tradant, quae vſum praeſtant humanae vitae, omniaque ſolidis rationibus muniant; generatim veritatem quaerant, non iurgia vanamque oſtentationem. Wolf. *I. N. T. VIII. §. 435. ſeqq.*

CCCXV.

Sed tamen certi inter haec officia ſunt limites, vt nec alter officialium in alterius munia inuolare, nec, quia omnes ab imperantis arbitrio pendent, alter alteri ſuas vices committere queat, niſi id expreſſe vel tacite fuerit permiſſum. Quare nemo etiam vltra limites ſuos iudicare poterit.

CCCXVI.

Inde naſcuntur exceptiones fori incompetentis, vel ex *re*, vel *loco*, vel *perſona*; atque pariter tot hodie vſuuenientes iurisdictio-

ctionum ſpecies, forum ſcilicet *eccleſiaſticum*, *militare*, *maritimum*, *ciuile*, *criminale*, *academicum*, *mercatorium*, *ſalinarium*, *metallicum*, *cambiale*, *foreſtale*, *pupillare*: quae ipſa porro certis reguntur legibus.

CCCXVII.

An iudex ſecundum priuatam ſuam ſcientiam iudicare, vtrumue ſola probata et allegata ſequi poſſit, difficilis eſt diſputatio, quam nos breuibus axiomatibus expediemus. I. Nemo poteſt condemnari, niſi veritas criminis perſpecta ſit. Iudex igitur neque in cauſſa ciuili, neque criminali ſententiam in eum pronunciare attentet, qui reus non eſt probatus.

CCCXVIII.

II. Si iudici liceret ex priuata ſcientia eum, qui probatus eſt debitor, abſoluere in ciuili cauſſa, turbaretur iudiciorum ordo, via pateret ſordibus in ſummum felicitatis externae detrimentum. Ideo ius ſinguli ſuum vniuerſis renunciarunt, pollicerique debuerunt, ſe potius damnum pati velle, quam euertere iudiciorum fidem.

CCCXIX.

III. Sicut in illa ſpecie iudex ſecundum allegata et probata procunciare tenetur, ita in cauſſis criminalibus ſecus eſt. Etenim poteſtas reipublicae nulla, licet eminens, ad vitam vel membra innocentis auferenda pertin-

tingit, iudicis autem poteſtas ex iure reipublicae accipit menſuram. Si itaque probatus nocens ad mortem, vel mutilationem eſſet damnandus, iudex vero eum innocentem eſſe ſciret, non quidem abſoluere poterit: attamen debebit potius munus ſuum deponere, aut extrema quaeuis pati, quam ſanguine innocentis ſe polluere.

CCCXX.

Quoniam iudices ſiue ex malitia, ſiue ex ignorantia legis aut facti erroneam dictare ſententiam, ac laedere vel actorem, vel reum poſſunt, permittitur ſubditis hac ratione laeſis ſententiam a iudicibus inferioribus latam examini iudicum ſuperiorum, vel ipſius imperantis ſubſternere, id eſt, *adpellare*, quod *ius adpellandi* ſubditis ex ipſo nexu ciuili aſſeritur.

CCCXXI.

Adpellatio haud promiſcue concedenda eſt, ne eadem ſubditi ad protrahendas lites abutantur, ſed ratio *quantitatis*, de qua adpellatur, *perſonae* et *modi* eſt habenda. Immo poteſt certis collegiis priuilegium *de non adpellando* tribui, quod tamen omnem ſupplicationem *protractae* aut *denegatae iuſtitiae* non excludit.

CCCXXII.

Vbi vero lis in ſupremo iudicio iam deciſa eſt, parti victae de re, quae fuerat litigio-

gioſa, non amplius diſceptare, ſed ſolummodo contra iudicum vel fraudes et ſordes, vel craſſam ac manifeſtam ignorantiam prouocare, et accuſationem, quam vocant *ſyndicatus*, inſtituere licebit. Quod ſi in probatione deficiat, eo grauior erit huiusmodi temerarie litiganti dictanda poena, quo magis totius intereſt ciuitatis auctoritatem ſupremorum tribunalium, in quae vtique litigantes ipſi compromiſerant, ſartam tectamque conſeruari, et eſſe aliquando litium finem.

CAPVT XI.

DE FORMA IMPERII ET QVIDEM SIMPLICI.

CCCXXIII.

Imperii ciuilis naturam hactenus generatim contemplati ſumus, varias nunc eiusdem ſpecies, ſeu formas examinabimus. Eſt autem forma ciuitatis determinatio ſubiecti ſeu perſonae, cui *Maieſtas ciuilis inhaereat*. Quae determinatio, quando ex vno modo intelligitur, forma *ſimplex*, *pura*, *regularis*, quan-

do

do non nisi ex pluribus modis cognoſci poteſt, forma prodit *mixta*, *compoſita*, ſeu *irregularis*.

CCCXXIV.

Hinc vbi imperans eſt vnica perſona vel ſingularis vel moralis, ſicut in monarchia, ariſtocratia, et democratia, ibi formae ſunt ſimplices; ſi autem duo vel tria ſimul ex dictis ſubiectis imperii ciuilis plenitudine vtantur, forma dicetur *mixta*, ſeu compoſita; atque haec determinata regiminis ciuilis habendi formula et modus nomine *legis* vel *pacti fundamentalis* inſignitur.

CCCXXV.

Quoniam ſtatus democraticus, ſeu regimen populare tunc adeſt, quando ciuile imperium ad omnes ciues collectim ſumtos pertinet, facile patet: I. in democratia, licet ſinguli ciues particulam maieſtatis habere videantur, maieſtatem tamen in nullo ſingillatim reperiri, ſed ſingulos potius ſubditorum iure cenſeri. Quare criminis laeſae maieſtatis, vti et rebellionis rei poſſunt fieri.

CCCXXVI.

II. Regimen populare, in quo ſocii omnes aequali iure vtuntur ſine praerogativa, magis ad anarchiam, et ſtatum naturalem accedit; in ceteris enim formis eadem naturalis aequalitas non ita perdurat. Porro

ciues in democratia *liberos* ſe *republicanos* adpellant, quia communis ſemper deliberatio, commune *ſuffragium* et *concluſum* requiruntur.

CCCXXVII.

III. Populi conuentus ad negotia publica ordinanda inſtitutus *comitiorum* nomine venit. Quum itaque in ſtatu democratico ciues non ſinguli, ſed vniti imperent, horum iure quilibet gaudet, atque jura maieſtatica ope praecipue comitiorum exercentur.

CCCXXVIII.

IV. Quum in iis proponenda et tractanda ſint negotia ciuilia, ſinguli vero ad propoſitionem eorum ex metu perpetuae confuſionis admitti non poſſint; neceſſe eſt, vt locus, tempus, modus deſignetur, quo comitia fieri debeant, deinde, vt quibusdam vel in perpetuum, vel ad aliquod ſaltem tempus detur tam ius *conuocandi* populum, quam ſpectantes ad vſum iurium maieſtaticorum quaeſtiones *proponendi*. Qui autem ſine facta ſibi facultate quid cum populo ageret, eius iura violaret.

CCCXXIX.

V. Nequit populus ſemper aut omni momento conuenire, opus itaque eſt, vt certis perſonis negotia quotidiana, concluſorumque exſecutiones committantur. Quamuis vero officiales aut collegia pertractent negotia ciuilia, quia tamen maieſtatis iura ab

his

his tantummodo exercentur nomine totius populi, qui acta magistratuum irritare hosque ipsos punire potest, per se patet: democratiam tunc nihilominus manere.

CCCXXX.

VI. Species democratiae multum variare possunt, pro diuersa suffragia ferendi ratione, quae scilicet si pendent a numero capitum, seu personarum, *virilia*, si a districtu territorii, *curiata*, si a quantitate bonorum seu mobilium, seu immobilium, *centuriata*, si ab aetate, *seniora* nominantur.

CCCXXXI.

VII. Quum naturale sit, vt maior suffragiorum numerus praeualeat minori, in democratia maior quoque ciuium pars imperium ciuile obtinet, atque inde nata comitiorum *decreta* leges sunt, nisi alius in iis placuerit concludendi modus, veluti si duobus suffragiorum trientibus decisionem adligare lubeat.

CCCXXXII.

VIII. In regimine populari praecipue bonus ordo seruandus est, quod multitudo facillime perturbationem pariat. Ne igitur democratia in *ochlocratiam*, quae est status, vbi omnia a multitudine tumultuarie aguntur, aut in paucorum dominatum, seu *oligarchiam* degeneret, eius status ratio exigit solicitam aequalitatis custodiam, fugam ambitionis,

nis, amoremque patriae excellentiorem; porro ſuffragia potius centuriata vel curiata, quam virilia; et duces aut iudices minime perpetuos, ne imperium ad paucos tranſeat.

CCCXXXIII.

Si in plures transferatur imperium, naſcitur *ariſtocratia*, in qua maieſtatem minor quaedam ciuium pars tenet, *Optimatum*, *Procerum*, *Ordinum aut Primorum* nomine inſignita. Atque haec forma ſequentibus continetur regulis. I. Optimatum corpus eſt ſubiectum, in quo maieſtas reſidet, ſinguli vero optimates ſubditorum conditione cenſentur.

CCCXXXIV.

II. Quare hi nihil poſſunt ſeparatim conſtituere ſed collectim tantum, vt vna perſona moralis conſiderati, qualem in collegio et conuentu gerunt, ſeu *ſenatu ariſtocratico*. III. Obligantur perfecte Optimates, vt de loco, tempore, modo habendi ſenatum inter ſe conueniant, atque ius conuocandi, et quaeſtionem obuenientem proponendi vni cuidam largiantur.

CCCXXXV.

IV. In negotiis, quae ad totius ciuitatis ſcopum pertinent, non autem in iuribus ſingulorum procerum qua talium maior numerus minori praeferri debet. V. Senatus decreta ſunt leges, quibus proin conuenienter viuere ſinguli tenentur.

CCCXXXVI.

VI. Numerus et qualitates optimatum et quomodo hi conſtituantur, an ad tempus ſiue ad dies vitae, an ex certa familia aut ex prouinciis, an ſoli praediorum poſſeſſores legendi ſint, id in legibus fundamentalibus definiri oportet, ſecus ipſe ſenatus arbitrabitur.

CCCXXXVII.

VII. Poteſt in collegio vni aut pluribus ſalua aequalitate concedi praerogatiua; poteſt ergo etiam in ariſtocratia vnus tanquam primus inter pares conſtitui, modo caueatur, ne tunc monarchia aut oligarchia prodeat, et pauci optimates ceteros a regimine excludant.

CCCXXXVIII.

Quare VIII. et in hoc ſtatu virtus, amor patriae, et aequalitatis ciuilis enixe commendandus eſt. IX. Optimates totum populum referunt, ſenatus comitia repraeſentat. Hinc ariſtocratia et democratia quibusdam communi reipublicae nomine notantur. MONTESQVIEU *Eſprit des loix L. II. c. 1. et 2.*

CCCXXXIX.

Status ille, in quo duae ſimul perſonae ciuile gerunt imperium, *dyarchia* dicitur; cuius duae ſtatuuntur ſpecies. Vna ſcilicet, quando ambae in *ſolidum* imperant; altera

dum duae ſolum imperant coniunctim vel communicato conſilio, vel certam quisque ciuitatis partem regendo. Priorem referunt ad monarchiam, poſteriorem ad ariſtocratiam. BOEHM. *Ius pub. un. P. ſpec. L. I. c. 3. §. 19. not. b.*

CCCXL.

Sed vna utique ac indiuiſibilis eſt in vna ciuitate maieſtas. Duobus igitur in ſolidum competere numquam poteſt, et monarchia duorum datae ſupra ſtatus monarchici definitioni repugnat. Quod ſi diuidantur regiones, iam non vna ſed duae fient ciuitates monarchicae. Hinc dicendum eſt dyarchiam, in qua mutuo duorum conſenſu res agitur publica, ad formam magis ariſtocraticam eſſe referendam.

CCCXLI.

Dicunt ariſtocratiam eſſe collegium, ad hoc autem tres ad minimum requiri perſonas; ergo dyarchiam ad illam referri non poſſe. Enimuero ariſtocratia tunc exiſtit, quando nec vnus nec maior ciuium pars imperat, quod ipſum in dyarchia accidit. Atque ita poterit etiam ariſtocratia ſine numero trium perſonarum, et vulgari collegii notione concipi.

CCCXLII.

Quum ciuitas, in qua ciuile imperium vna ſingularis tenet perſona, *monarchia* ſit, ſeu

ſeu *regnum*, euidens eſt, iura omnia maieſtatica atque officia monarchae vel Regi eſſe tribuenda, quae ſupra generatim imperantibus adſeruimus. Itaque in monarchia ſimplici vnus tantum poteſt, quantum potuiſſent vniuerſi in ipſa imperii origine. Quare monarcha ſummitate, et plenitudine poteſtatis ciuilis, atque adeo imperio indiuiſo ac illimitato gaudet.

CCCXLIII.

Hinc ex regni natura ſpecialia haecce emergunt enunciata. I. Iura, quae in Rege, qua talis eſt, reperiuntur, dicta ſunt *regalia*, vnde regalia monarchae ſunt omnia iura maieſtatica. II. Regi ſubſunt omnes ac ſinguli ſubditi ciuitatis, ergo et perſonae, quae de illius ſunt familia, quatenus vt ciues conſiderari poſſunt.

CCCXLIV.

III. Actiones regiae ab actibus Regis ſecernendae ſunt, in illis enim dumtaxat Rex imperio vtitur publico, in his autem vt priuatus ſpectatur. Attamen legibus a ſe latis ipſe, quamquam ciuis ſit, non ſubeſt, ſed eatenus naturali fruitur libertate, nec alium niſi Deum legislatorem agnoſcit. Grot. *II. c. IV. §. 12.*

CCCXLV.

IV. Monarcha iura ſua ad felicitatem populi externam dirigere tenetur; quare is

cum *Despota* confundi non debet, quia hic non solum imperium in personas, sed dominium quoque in res et operas subditorum habet, et despotismus ex abusu monarchiae fere oritur. V. Sed nec rem publicam gubernat, qui eamdem alienat; itaque haec alienatio in imperantis potestate per se non comprehenditur.

CCCXLVI.

Atque hinc simul vulgatae resoluuntur quaestiones, an princeps bona fisci vel aerarii alienare queat, an alienata ei reuocare fas sit, an successor factam a suo antecessore alienationem adprobare obligetur? Si enim alienatio medium est necessarium ad securitatem publicam, tum ius alienandi principi nequit denegari.

CCCXXLVII.

Ast si absque necessitate facta sit alienatio, ea non valet, et ideo bona a successore vindicari poterunt; qui tamen si simul in priuatum principis patrimonium succedat, eatenus tenebitur euictionem praestare. GROT. *II. c. XIV. §. 10. et 11.*

CCCXLVIII

Quum vero saepe oriri queat disputatio, an haec, quam requisiuimus, adfuerit alienandi necessitas, tutissimum erit *ordinum* vel *statuum imperii*, id est, eorum, qui totum populum, vt subiectum et in classes distribu-

butum repraeſentant, conſenſum adhibere; qui etiam ſemper neceſſarius tum eſſet, quando id pactis fundamentalibus fuiſſet conuentum.

CCCXLIX.

Alia et multo grauior eſt quæſtio, an pars populi in ſumma ſaltem neceſſitate inuita alienari poſſit? Quam quidem Grotius* eo fundamento negat, quod qui in ciuitatem perpetuam coierunt, non ea voluntate ſe ſubiecerint, vt ius eſſet corpori partes et abſcindere a ſe, et alii in ditionem dare.

* *II. c. VI. §. 4. ſeqq.*

CCCL.

Contra affirmat Cocceius, * quod in corpore quoque Phyſico pars abſcindi debeat, ſi totum aliter ſeruari non valeat; quodque ab ipſo Grotio admittatur parti, ſi euidenter ſe aliter ſeruare non poſſit, aut non defendatur, ius eſſe a corpore recedere, itaque etiam corpori illi morali ius ſit concedendum alienandae partis, ſi ineluctabili neceſſitate prematur. Addit innumera exſtare exempla, in quibus alienata quadam prouincia pax redimi debuerit.

* *Ad Grot. l. c.*

CCCLI.

Nobis ea quaeſtio diſtinctione dirimenda videtur. Scilicet vniuerſi tunc partem tueri non amplius obligantur, quando defenſio

est impossibilis. Itaque in eo rerum statu partem proiiciendo non tam alienant, quam potius deserunt, suoque in illam iuri renunciant. Ex quo dein tamen haud sequitur, partem eam victori parere cogi, si modo sine gravi totius ciuitatis discrimine, propriis viribus libertatem suam conseruare valeat, cuius rei Siculi insigne olim exemplum praestiterunt. *cf.* MURATORI *Annal. d' Ital. ad an 1296.*

CCCLII.

Adparet inde, quo sensu ipsa monarchia in *patrimonialem* seu alienabilem, et *vsufructuariam*, seu non alienabilem distribui possit. Quas denominationes quum GROTIUS * prodidisset, non aliud voluit, quam id, dari aliquando imperia ciuilia, quae cum facultate alienandi sint connexa, si nimirum vel bello iusto occupata sint, vel ipse populus hoc ius in imperantem transtulerit. GENES. *c. XLVIII. v. vlt.*

* *l. c. III. §. 12. et 15.*

CCCLIII.

Nemo vero obiiciat, ciues in monarchia homines esse liberos, et hinc alienationis incapaces; nec enim ipsae alienantur personae, sed facultas eas moderandi, quare et libertatem suam contra victorem eos vindicare aliquando posse diximus. Ceterum quomodo regnum alienabile a despotico, seu *regno herili* differat, ex superioribus quoque colligitur.

CCCLIV.

CCCLIV.

Monarchae iura ex titulo Regis, Imperatoris, Caesaris dimetiri haud oportet. Sunt enim multi, qui sine his titulis imperium ciuile tenent, sicuti contra alii, qui regio decorantur titulo, veri monarchae nequaquam haberi possunt, quemadmodum duo Spartae Reges olim ab Ephoris tamen iudicabantur. * Est autem in imperantis arbitrio, quibus titulis vti velit, ad quos recognoscendos an exteros quoque cogere possit, in iure gentium patefiet.

* Corn. Nep. *Pausan.* c. 3.

CCCLV.

Nec summa potestas a coronatione, ab insignibus, praestatione *homagii*, qua voce externam subiectionis declarationem significant, aut ab aliis inaugurationum ritibus pendet. Nec ea inde minuitur, si monarchae comitia conuocent, vt subditorum suorum consilia intelligant, vel facilius sua postulata iis declarent; aut si demum acta sua, nisi a coetu quodam probentur, rata esse nolint, quum acta, quae tunc rescinduntur, ipsius Regis imperio pro nullis habeantur. Grot. *I. c. III. §. 18.*

CCCLVI.

Et quia aliud est de re quaerere, aliud de modo eam habendi, monarcha etiam temporarius ad certos annos, vel menses adstrictus,

ctus, qualis *Regnum aeſymneticum* poſſidere dicitur, ſummum imperium tenet, vti ante legem Valeriam Romanus Dictator. Quod non aeque de regno precario, quod omni momento a populo reuocari poteſt, adſerueris; huiusmodi enim Rex nil aliud eſt, quam nudus mandatarius populi. GROT. *l. c. III.* §. *11.*

CCCLVII.

Rurſus alia eſt de tutore Regis inſpectio. Rex enim pupillus imperium habet, quem tutor inſtar mandatarii repraeſentat, ita vt iſte non habeat maieſtatem, ſed exercitio ſolum alieni iuris ſibi commiſſi fungatur. Quapropter finita adminiſtratione ad reddendam eorum, quae geſſit, rationem compelli ſemper poteſt. A qua ſententia licet GROTIUS * et BOEHMERUS ** diſſideant, id tamen inde venit, quod illi ius cum iuris exercitio confundant, in quod, rege impedito, ſaepe ſupremum etiam conſilium incumbit.

* *l. c. III.* §. *11.*

** *I. P. V. P. ſp. L. I. c. 4.* §. *14.*

CCCLVIII.

Si Maieſtas vt ſumma dignitas conſiderata in ciuitate vni inhaeret perſonae, *perſonalis*, vbi vero pro ipſo ciuili ſumitur imperio, *maieſtas realis* vocari ſolet. Haec vi originis eſt penes vniuerſos, qui ſi monarchiam ordinant, etiam imperium ciuile ſeu maieſta-

ieſtatem realem transferunt in monarcham, cui porro et maieſtas perſonalis ſimul obtingit. Quare Regi maieſtatem realem relicta altera illa denegare eſt abſurdum, tunc enim praeter Principis titulum ciui vni tributum, vera democratia remaneret.

CCCLIX.

Inde liquet, eos, qui maieſtatem tribuunt populo, vocis populi fallaciam committere; nunc enim accipitur pro tota familiarum multitudine, quae corpus aeternum conſtituunt; nunc pro multitudine ciuium ſubiectorum diſtincta ab imperante, et omnes perſonas ciuili poteſtati parentes complectitur, quo vltimo ſenſu populo iam nihil maieſtatis inhaeret.

CCCLX.

Itaque facile eſt, *Monarchomachorum*, qui docent, in monarchia ſummum imperium penes populum remanere, ſententiam profligare. Patet quippe ex definitione monarchae, per eum intelligi perſonam ſingularem ciuili donatam imperio, quae nullo modo ab alieno, vt illi volunt, dependeat arbitrio. Quare repugnat populo inferiorem eum facere, qui huic imperat, cunctaque populi iura ſolus complectitur.

CCCLXI.

CCCLXI.

Neque iam nouus audiendus eſt Diogenes, * qui putat, hominum multitudinem vnius ſe ſubiicientem imperio ſana mente carere, adeoque nec paciſci poſſe. Enimuero, qui in naui ſunt, prudenter vni nauarcho parent, et integer exercitus ab vno Imperatore tutiſſime ducitur; inſanus igitur is ſit, qui patribusfamilias, dum turbas praecauent, et malum minus praeferunt maiori, rationem audeat abnegare.

* I. ROUSSEAU *Contract. ſocial. Amſtelod.* 1762.

CCCLXII.

Sed et vnus vel plures homines imperio etiam herili ſeſe ſubmittere poſſunt, adeoque multo magis ciues vnius ciuile imperium eligere. Dein ſi homo ex laeſione illata poenae et ſatisfactionis praeſtandae titulo in iugum iure mittitur, cur non et populus iuſto bello in ſubiectionem veniet? Neque ratio adparet, cur in monarchia Rex populo ſubeſſe debeat, poſtquam nec optimates in ariſtocratia a reliquis ciuibus, nec in democratia a confuſa multitudine comitia dependent.

CCCLXIII.

Accedit, quod ſicut in democratia pars maior minorem excludit, in qua inſuper feminae, homines iuniores, aliique multi ad deliberationes non vocantur, ita eodem mo-

do

do in monarchia multitudo excludatur. Denique ſi integer populus alium in ſubiectione habere populum poteſt, quin nudus ideo alterius ſubiecti populi ſit mandatarius, quonam fundamento monarchae idem ius denegabitur? Grot. *l. c. III. §. 8. ſeqq.*

CCCLXIV.

Nec obloquantur Monarchomachi, nullam exſtare monarchiam, quod conſtituens ſuperior ſit conſtituto; ex quo conſequatur populum, a quo Rex conſtituatur, eſſe ſuperiorem Rege. Eſſet enim id verum, ſi populus in ipſa hac Regis conſtitutione ſe non ſimul eidem ſubiiceret, et aequalitati naturali renunciaret; quod quum faciat non magis manebit ſuperior, quam ſeruus pactitius vel famulus mercenarius ſunt domino ſuperiores.

CCCLXV.

Vrgent imperium eſſe comparatum in populi fauorem, itaque ſemper ad populum pertinere. Id autem ſaepius exigebat ipſius populis fauor, vt ab vno regeretur, qui vel optimatum vel multitudinis impotentiam et furorem coerceret. Sane et tutor conſtituitur pupilli cauſſa, hunc tamen ideo illo ſuperiorem eſſe nemo dixerit.

CCCLXVI.

Prouocant nonnulli ad ſacras litteras, quae doceant punitum fuiſſe aliquando po-

pu-

pulum ob peccata Regum, quos ille in officio non contineret. Aſt populo tum demum poena infligitur a ſummo numine, ſi quocunque modo ſe male factorum reddat participem. Ceterum omnia mala phyſica poenae dici haud poſſunt. II. REG. *c. XIX. v. 11.*

CCCLXVII.

Volunt etiam Regem miniſtrare populo, neque hunc praeſumi tantam vni homini conceſſiſſe poteſtatem. Verum, quod Rex iura ſua adminiſtret, ideo populi miniſter non eſt; non enim alieno, ſed proprio iure ciuitatem gubernat, nec alii niſi Deo ſoli rationem actuum ſuorum reddit. Vnde etiam praeſumtio de voluntate populi corruit, ſi hic ſemel Regem proprie talem conſtituit, quum veritas vtique iam adſit.

CCCLXVIII.

Sunt autem multae cauſſae, quae populum ad eam ſubiectionem adigere poterant; quales ſunt: ſummum diſcrimen a victoris potentia, ne penitus deleatur. Stupiditas aliquarum gentium, quae ſe ipſas conſilio proprio regere haud poſſunt; vt olim Cappadoces, Myſi, Getae. Exemplum vicinorum populorum feliciter ſub Regibus degentium, qua ratione Haebraei allecti Regem poſtularunt. Metus belli ciuilis inter proceres, quapropter et AVGVSTO ſumma poteſtas delata eſt.

CCCLXIX.

CCCLXIX.

Quando Monarchomachos refellimus, non ideo a *Machiauellistis* minus abhorremus. Debet haec secta suum nomen Machiauello Florentino, qui in libro italico, quem *Principem* inscripsit, id euincere conatus est, subditos a Principe laedi non posse, quod nullis iam gaudeant iuribus, postquam ea omnia in Regem sunt translata. An serio id egerit, an vero principatum dumtaxat Florentinis voluerit reddere exosum, ab eruditis disceptatur. Hisce tamen vestigiis institere plures et potissimum Thomas Hobbesius.

CCCLXX.

Verumenimuero habent subiecti ciues iura sua connata, dein iura socialia ex pacto subiectionis adquisita, quo singuli vniuersis, et vniuersi singulis ad mutuam felicitatem promouendam se obstrinxerunt. Nec aliam imperans ex simplici subiectionis pacto adquisiuit potestatem, quam illam, quae vniuersis ad finem ciuitatis obtinendum necessaria erat; quare si sibi maiorem adroget, laedi ab eo socios manifestum est.

CCCLXXI.

Etsi autem ciues aliquando ab imperante laedantur, non tamen ius ei resistendi habent, siquidem resistentia vtrique pacto vnionis et subiectionis repugnaret, quorum vis est, vt singuli bono priuato bonum tenean-

tur praeferre vniuerſorum, et ab omni violenta iuris ſui perſecutione contra imperantis voluntatem ſe cohibere. Alias reus quilibet ſibi perſuaderet, ſe poenae reſiſtere poſſe. *cf. I.* REG. *XXVI. 9.* GROT. *I. c. IV. §. 4. ſeqq.*

CCCLXXII.

Poterit igitur laeſus placidis quidem modis, litteris ſupplicibus, aut tandem fuga ſibi conſulere, nunquam vero priuati ſui commodi cauſſa quietem publicam mediis violentis perturbare. Accedit, quod in dubio praeſumtio pro imperante militet, qui etiamſi forte contra ius ſubiecti faciat, errore magis et ignorantia inuincibili, quam dolo feciſſe videtur, laeſionemque cauſſa cognita tollere velle.

CCCLXXIII.

Magiſtratus quod attinet, quamquam hi ſunt perſonae publicae, imperantis tamen intuitu ſubiecti manent, atque priuati. Hinc difficultates quidem iuſſa exſecutioni dandi oculis rectoris ſubiicere poſſunt, non tamen reſiſtere; quia tota, quam ipſi tenent, poteſtas a monarchae nutu dependet, qui porro reſiſtendi facultatem tribuiſſe nequaquam praeſumitur. *cf.* GROT. *I. c. IV. §. 6.*

CCCLXXIV.

Quemadmodum ciuitatis ſubiecti ſinguli, ita tota eorum multitudo monarcha eſt inferior. Obedientia enim ab omnibus de-

be-

betur non tantum bene, ſed et male rempublicam gerenti. In translatione quippe imperii populus excipere haud potuit, ſe recte ſolum imperanti parere velle, idem enim foret, ac obligationem ad nutum obligati diſſoluendam, adeoque inanem celebrare.

CCCLXXV.

Imperantis itaque iudicio relinquitur, quid e re ſit ciuitatis, et in eo ſe populus imperium transferens adquieſcere velle declarat. Quod ſi male regimini praeeſt, fortunae id aduerſae, humanae imbecillitati, difficillimo Rectoris ciuilis muneri tribui, ac patienter ferri debet. Quid! quod plebs ſaepe mala putat, quae ſunt ſaluberrima? vt adeo infinitis turbis pateret porta, ſi quod multitudini diſplicet, praecipi iam non poſſet.

CCCLXXVI.

Sane in ſtatu naturali bona noſtra immo ipſa vita quouis momento latronum exponuntur iniuriis. Satius itaque fuerit malo ſub Rege viuere; a quo tamen ingens adhuc multitudo ſeruatur incolumis, neque incommoda imminent continua, ſed meliorum interuentu penſantur. Tacit. *Hiſt. IV. 74.*

CCCLXXVII.

In iis deinde negotiis, in quibus ciues ſe imperanti non ſubiecerunt, manet quidem libertas ciuilis, et eatenus ſtatum aequa-

litatis patresfamilias tuentur. Quoniam vero officiorum violatio, quae in regimine ciuitatis continentur, jus belli non tribuit, ita nec illa laesio, per quam monarcha, in quaedam populi iura inuolat ab initio reseruata, huic bellandi licentiam dat, quod pacto id vnionis ciuilis ac maiori bono repugnaret.

CCCLXXVIII.

Patientia itaque vtendum est non ex iure imperantis, sed propter obligationem singulorum erga se inuicem, quatenus socii sunt, pactoque vnionis colligantur. Quid porro si imperans negaret a se pacta conventa esse violata? quid si ius eminenns ex necessitate ortum ostenderet? cuinam tunc iudicium esse relinquendum? *cf.* BOEHM. *I. P. V. Lib. III. c. 2. §. 13.*

CCCLXXIX.

Inde autem non consequitur, pacta cum imperante celebrata esse inutilia, si idem ad fidem seruandam vi adigi non possit. Pacta enim imperantem in conscientia obligant; cuius si praeceptis non obtemperet, subiecti iam non gaudent cogendi iure, cui renunciarunt in ipso subiectionis pacto, sed eius rationem reddet summo Numini. An porro fides violata sit, decidere nequeunt ci-

ues

ues, ſi id negauerit imperans. Psalm. *L. v. 6.* Wolf. *I. P. V. §. 1047.*

CCCLXXX.

Equidem obedientiam inferiores in eo praeſtare non poſſunt ſuperiori, quod legi naturali, aut diuinae certo aduerſatur. At nec tunc reſiſtere ipſis licet, ſed mala ideo illata amore vniuerſorum patienter tolerare, aut fuga, aliaue defenſione innocua, auertere oportet.

CCCLXXXI.

Quare qui religionis vel illatae iniuriae obtentu turbas fouent, aut arma capiunt, ſunt rebelles ac laeſae Maieſtatis rei. Hinc aliud eſt reſiſtere, aliud non obedire; qui non adſtringitur ad obedientiam, tamen ad patientiam obligatur. Ierem. *XXIX. 7.* Grot. *I. c. 4. §. 7. n. 6. 9. ſeqq.* Coccei. *ibid.* Boehmer. *L. III. c. 2. §. 6. ſeqq.*

CCCLXXXII.

Atque hoc ſenſu *ius Regis* eſſe dicitur in ſacris litteris: *Agros veſtros et vineas, et oliueta optima vobis tollere, et dare ſeruis ſuis*; non enim monarcha, qui hoc facit, in foro interno a peccato eſt immunis, ſed ius eatenus habere declaratur in foro externo, quatenus ſubditis facultas reſiſtendi denegatur. *I.* Reg. *VIII. 11. ſeqq.*

CCCLXXXIII.

Regimen imperantis, qui totius euertendae ciuitatis propoſitum manifeſtat, eſt *tyrannis*, et qui exercet reipſa tyrannidem, *tyrannus exercitio* dicitur. Vnde adparet, illum nondum eſſe tyrannum, qui vel imperio vtitur illimitato, vel priuatim ciues laedit; vel demum qui ciuitati integrae ex culpa, ignorantia, ingeniiue defectu, absque hoſtili animo infligit mala. Vti enim a ciuis vel partis minoris laeſione ad ciuitatem vniuerſam non valet argumentum, ita nefarium huiusmodi propoſitum non niſi ex defectu voluntatis intelligitur. DARIES. *I. I. V.* §. *703.*

CCCLXXXIV.

Tali ciuitatis hoſti eiusque euerſori armis reſiſtere populum poſſe docent BARCLAIVS, * WOLFIVS **, ACHENWALIVS ***, aliique multi his potiſſimum argumentis; quod eo in caſu maius malum ſit pati, quam reſiſtere, quodque voluntas imperandi et perdendi ſimul conſiſtere nequeant, hinc Rex tum Regis perſonam exuat, atque imperio ciuili renunciare videatur.

* *Adverſ. Monarch. L. III. c. 8. L. VI. c. 23. 24.*
** *I. N. T. VIII. §. 1060.*
*** *I. P. V. §. 204.*

CCCLXXXV.

Enimuero quinam reapſe tyrannus exiſtat, definire eo difficilius eſt, quo minus con-

conuenit ſubiectis iudicium de imperante ferre; et quo procliuius ſolet multitudo, vel maiorem quandam negligentiam perperam pro derelictione habere, vel etiam remedia violenta, ſanandis reipublicae morbis tantum idonea, in crudelibus lanienis numerare. Quid? quod huiusmodi impio obtentu optimi etiam Reges periuerunt.

CCCLXXXVI.

Fac autem principem totius populi interitum reuera moliri, haud tamen opus fuerit, arma in ipſius perſonam mouere; ſatis enim omnium proſpicitur ſecuritati, ſi nemo eidem ſuppeditet vires, et ſinguli obedientiam in re illicita ac turpi abiiciant. Quod ſi extraneis reſiſtatur hoſtibus, nulla iam ſit iniuria maieſtati.

CCCLXXXVII.

Denique monarcha, qui propriam delere cupit ciuitatem ſanae mentis non eſt; illud itaque adhuc praeſto eſt remedium lenius, vt ſecuro loco includi ac cuſtodiri poſſit, neque enim odium mereretur ſed potius commiſerationem. Ex quibus omnibus patet, ſubiectis tam ſingulis, quam vniuerſis ius armorum in perſonam Regis ſemper eſſe denegandum. *cf.* Grot. *L. I. c. IV.* §. *7. et 11*, Boehmer. *l. c. L. III. c. IV.* §. *34.*

CCCLXXXVIII.

Nec cuiquam facessat negotium exemplum machabaeorum, qui arma contra Antiochum legitimum Regem arripuerunt religionis caussa, illi enim a Deo, cuius in Reges summum ius est, mandatum speciale acceperunt, secus a crimine rebellionis non possent excusari. Etiam Israelitae vasa abstulerunt Ægyptiorum, et Samson sibi interitum parauit, inde vero haud consequitur, licitum esse furtum vel autochiriam. MACHAB. *I. c. III.* GROT. *L. I. c. IV. §. VI. n. 3. et §. VII. n. 5. cf. Essai sur le gouvernement civil. c. XVIII.*

CCCLXXXIX.

Ceterum quando subiectis armatam negamus resistentiam adversus Principem, de eo nobis Principe est sermo, qui pollet ciuili imperio. Si enim nudo vtatur Regis titulo; si imperium ciuile in alterum transtulit, abdicauit, dereliquit; si regnum ad tempus teneat, vel sub conditione, tempus autem sit lapsum, et conditio defecerit, iam desiit maiestas, quam vnice negamus posse a subiectis iure violari. *cf.* GROT. *L. I. c. IV. §. 8. 9. 10. 12. et 14.* WOLF. *P. VIII. I. N. §. 1047., et 1054.*

CA-

CAPVT XII.

DE FORMA IMPERII MIXTA.

CCCXC.

Maiestas plura continet iura, quorum complexus, vt vnum totum ex variis partibus compositum considerari potest. Haec iura maiestatica *partes* imperii ciuilis *potentiales* adpellantur. Imperium deinde hoc, si nulla sui potentiali parte diminutum est, *plenum*, contra si aliqua tali caret parte, *minus plenum* vocatur. Grot. *l. c. III.* §. *16. 17.*

CCCXCI.

Porro vti imperium generatim, ita et ciuile imperium aliud *absolutum* est, si solum ex fine et natura ciuitatis determinetur, aliud vero *limitatum*, cui nimirum pactis aduentitiis inter imperantes et subditos initis certus modus est positus, quo iuris competentis exercitium restringatur.

CCCXCII.

Quum promittens non plus in acceptantem transferat, quam se transferre velle declarauit, imperans ciuilis maiorem haud adquirit qotestatem, quam ei per pactum subiectionis a populo tributa est. Quare absur-

dum foret de limitis pactitii possibilitate, qnatenus ab eo ius rempublicam gubernandi coarctatur, dubitare.

CCCXCIII.

Itaque penes populum vi suae originis imperium semper est plenum, atque absolutum, a quo si in alium transferatur, iterum vel plenum erit ac absolutum, vel tantum *limitatum*, aut *minus plenum*: immo nec repugnat, imperium esse *absolutum* & *tamen minus plenum*, aut denique *plenum*, nec eo minus *limitatum*. WOLF. *I. N. T. VIII. §. 95, seqq.*

CCCXCIV.

Sume ciuitatem, in qua princeps iure belli et pacis solus nullaque adiecta conditione vtatur; leges autem praeuio tantum populi vel optimatum consensu ferre possit, tributa denique indicere, vel ab optimatum, vel a populi arbitrio vnice pendeat; et imperium habebis partim absolutum, partim limitatum, partim quoque minus plenum.

CCCXCV.

Quod si singula quidem potestatis legislatoriae, inspectoriae et exsecutoriae iura vel vni, vel pluribus a populo concedantur, ea lege tamen, vt nonnisi iuxta certam formulam vel omnia, vel quaedam exerceri possint, et iam imperium quidem plenum prodibit, sed tamen limitatum. Sed etiam democratia concipi potest limitata, si quorumdam iurium

vsus

vſus ad ciuis vnius aut plurium conſenſum reſtringatur, vel ſit cautum, vt vota non ſint virilia ſed aut curiata, aut centuriata, nec maiora concludant, verum vnanimia, aut duo trientes.

CCCXCVI.

Obiicit Hobbesivs, * eum, qui ſummum imperium retinet, a remediis ad huius finem adſequendum neceſſariis non decedere, adeoque imperantem, dum talis manet, ſatis oſtendere, non obſtante pactorum limite iura imperii pro re nata libere ſe velle exercere. Enimuero Rex, qui limitatum dumtaxat accepit imperium, nequit abſoluto vti, neque ad remedia expreſſo pacto denegata recurrere; an igitur ciuium interſit a iure per pactum quaeſito aliquid relaxari, id ipſi tantum iudicabunt.

* *De Civ. VII. 17.*

CCCXCVII.

Quoniam forma reipublicae, in qua iura maieſtatis partim ab vno, partim a pluribus, partim a toto populo, aut ſaltem non niſi duobus modis plene obtinetur, eſt mixta, patet tamen imperii miſturam non ex iurium maieſtaticorum limitatione, ſed ex partium potentialium diuiſione oriri, ſicuti populo ab initio placuerit. Vnde palam fit, multas poſſe reipublicae mixtae formas exiſtere, non niſi ex legibus fundamentalibus in-

intelligendas. *cf.* MONTESQV. *Esprit des loix L. IX. c. 1. seqq.*

CCCXCVIII.

Data republica mixta plures exiſtunt perſonae ſaltem morales, quarum quaelibet certam imperii partem vel communem vel propriam tenet, cuius nomine ab alterius hominis arbitrio non pendet. In tali igitur ciuitate iis, quos inter commune diuiſum eſt imperium, eodem pleno, atque abſoluto non niſi coniunctim vtuntur.

CCCXCIX.

Prout vero in poteſtatum ciuilium miſtura vel vnius, vel optimatum, vel populi regimen magis eminet, ita reſpublica iam monarhia, iam ariſtocratia, iam democratia mixta nominatur, quae tamen cum monarchia, ariſtocratia, vel democratia ſimplici ac pura, vel tantum limitata confundi non debent.

CCCC.

Igitur illa praemittitur denominatio, ad quam magis haec forma accedit, quaeque praeualere videtur. Quodſi nulla praevaleat, voce *aequalitatis* addita id deſignatur. Habemus autem has XVI. denominationes: *

I. Monarchico-ariſtocratica.
II. Ariſtocratico-monarchica.
III. Monarchia et ariſtocratia aequalis.
IV. Monarchico-democratica.

V.

V. Democratico-monarchica.
VI. Monarchica et democratica aequalis.
VII. Ariſtocratico-democratica.
VIII. Democratico-ariſtocratica.
IX. Ariſtocratica et democratica aequalis.
X. Monarchico-ariſtocratico-democratica.
XI. Monarchico-democratico-ariſtocratica.
XII. Ariſtocratico-Monarchico-democratica.
XIII. Ariſtocratico-democratico-monarchica.
XIV. Democratico-monarchico-ariſtocratica.
XV. Democratico-ariſtocratico-monarchica.
XVI. Monarchica ariſtocratica et democratica aequalis.

* Gvner. *Com. ad* Daries. §. *767.*

CCCCI.

Imperantem, qui in republica mixta ius exercet maieſtaticum ſibi non conceſſum, nihil agere ex facultatis defectu, ſatis inter omnes conuenit; ſi vero imperium ſit ſolummodo limitatum, actus contra leges fundamentales celebratus iniuſtus quidem Grotio* videtur, ſed non inualidus. Enimuero facultas moralis ad id, quod iniuſtum eſt, ſemper deeſt, nec quisquam ex iniuria alteri fa-

facta ius consequi potest, igitur verius est, in vtraque specie actum omni robore destitui.

* l. c. III. §. XVI. n. 2.

CCCCII.

Sunt, quibus reipublicae mixtae adpellatio valde exosa est. Concedunt ii quidem iurium exercitium restringi et communicari posse, sed illam formam limitatam adpellare malunt, quam mixtam *. At supra ostensum est, partes potentiales iam diuidi, iam restringi posse; si igitur pactorum fundamentalium obligationem admittere coguntur, in aperto est, eos de verbis potius quam de rebus disceptare.

* HEINECC. *ad Grot. l. III.* §. 17. HVBER. *de iur. civ. L. I. c. 28.*

CCCCIII.

Verum aiunt, totum quoddam ex partibus inuicem pugnantibus coalescere non posse, ex quo inferunt, formam mixtam non dari, quum monarchiae definitio aristocratiam excludat, et vicissim haec illam. Nos autem non dicimus formam mixtam dari vllam, quae ex integris simplicibus componatur, sed eam mixtam vocamus, quae ex illis tribus aut binis aliquid participat.

CCCCIV.

Neque illud obest, quod maiestas vna sit, et vti supra demonstratum est, indiuidua.

dua. Eſt enim vna reſpectu totius populi, et ſocietatis ciuilis, et eatenus vna ſemper manet, omnibusque aliis ex vnitate reſultantibus notis inſignitur, quod tamen haud prohibet, vt per partes potentiales inter ipſos ciues diuidatur.

CCCCV.

Id mirum eſt, quod iura maieſtatica omnia inuicem neceſſario connexa eſſe, atque adeo alterum ab altero attrahi dicant, nec vllam propterea per partes potentiales diuiſionem poſſe concipi *. Is enim nexus in origine ratione totius populi eſt neceſſarius, niſi dein imperium veluti dominium, vel penitus, vel conſectario quodam excluſo, poterit in alterum transferri. Quod ſi negatur, iam nec amplius imperium quoad exercitium limitari valebit.

* Hobbes. *de civ. c. VII. §. 4.*

CCCCVI.

Nec etiam ex ea diuiſione ariſtocratia inducitur, quia optimates aequales faciunt collegium, in forma mixta vero plures ſimul imperantes pro parte quisque ſua deprehenduntur. Demum etſi vnio ciuilis per eam formam facilius turbetur, *nihil* tamen *in ciuilibus eſt*, notante Grotio, * *quod omni ex parte incommodis careat, et ius non ex eo, quod optimum*

huic.

huic aut illi videtur, sed ex voluntate eius, vnde ius oritur, metiendum est.

* *L. I. c. III. §. 17. n. 2.*

CCCCVII.

Ratio, ob quam plura inter se connexa sunt, eorum efficit vnitatem; itaque et plures ciuitates vnum fieri possunt, si communi cuidam imperanti subiiciantur. Atque haec vnio vocatur *incorporatiua*, si altera ciuitas veluti pars et accessorium cum altera tanquam toto et principali coalescat, qualis vnio olim inter Romanos et Latinos tum etiam Albanos obtinuit; alia *non incorporatiua* est, quum sua quaeuis iura, suamque formam retinet. GROT. *II. c. IX. §. 9.*

CCCCVIII.

Si plures ciuitates coniungantur absque communi imperio in eum finem, vt perpetuo vnitis viribus communia amoliantur pericula, nascitur exinde *ciuitatum systema*, seu corpus Rerumpublicarum foederatarum, quali olim duodecim vrbes Achaicae, hodie prouinciae tam Heluеticae quam Hollandicae continentur.

CCCCIX.

Ex hac systematis ciuitatum definitione sequentes ducuntur conclusiones. I. Principia supra de patribusfamilias in anarchico statu suppeditata, nunc ad foederatas respublicas adcommodari debent. II. Systema ciui-

ui-

uitatum ciuitas haud eſt, communi deficiente imperio, qua de cauſſa ab vnitis etiam regnis differt. III. Negotia communia per legatos in ſenatu coniunctos tractari neceſſe eſt.

CCCCX.

IV. Quaelibet ciuitas foederata ſuam priſtinam retinet formam ſuaque iura maieſtatica, ſed eo ipſo, quando ab hoſte impetitur, ab omnibus exigere poteſt, vt ſe vnitis defendant viribus; ne ſecus ſyſtema diſſoluatur. V. Quod ſyſtema, quum ſit ſocietas compoſita, ſalus ciuitatis vnius ſimplicis tanquam ſubordinatae praeferri non poteſt. VI. Foederatio haec oritur ex pactis, quae tamdiu ſancte ſeruanda erunt, quamdiu pars altera facit, quod conuentum fuit.

CCCCXI.

Quaenam porro ex ciuitatum formis praeſtantior ſit, vana fere eſt diſceptatio. Etenim ingenium ac populi indoles, clima, natura loci, ac ſitus variam perſaepe ordinationem reipublicae exigit. Quare boni ciuis eſt, contentum degere humana, qua parte locatus eſt in re; formam, in qua viuit, tueri, ac perſonam, quae ipſi a diuina prouidentia obtigit, fortiter ſuſtinere. Quamcunque enim eligas formam, ſua eam commoda, ſua incommoda ſequentur.

CCCCXII.

Atque democratiae quidem commoda ſunt libertas, et ſecuritas ab oneribus ſuperfluis; at tarda ſemper ſunt conſilia, facile inſuper propalata, immo et ſaepe temeraria; tum, ſi adſint demagogi vel tribuni plebis, ſeditiones frequentiores, virtutis denique excellentioris odium, quod Athenienſibus receptus docet Oſtraciſmus.

CCCCXIII.

Fulget ariſtocratia conſiliorum maturitate, quum plus videant oculi, quam oculus; molliore imperio ciuiumque opulentia. Plurima vero ſunt eius incommoda: factiones perpetuae, conſiliorum lentitudo, plebis licet virtute et meritis ornatae excluſio ab omni honore, magnitudo ſumtuum ad alendos plures regulos.

CCCCXIV.

Magis denique perditur libertas in monarchia, perpetuae conſpiciuntur mutationes, resque plena periculi eſt ſub malo et rerum alienarum cupido degere Principe. At praeſtat omnibus haec forma, quod remedia ad ſecuritatem externam neceſſaria in promtu ſint, conſilia magis occultentur, celeris obſeruetur exſecutio, atque virtuti et meritis facilior via pateat, elegantior inſuper in ea viuendi obtineat ratio.

CCCCXV.

CCCCXV.

Itaque ea eſt humanarum rerum conditio, vt etſi Polybio viſum fuerit, *eam rempublicam cenſeri debere optimam, quae ex omnibus iſtis formis ſit compoſita* *, tamen probe monuerit Tacitvs *delectam ex his et conſtitutam reipupublicae formam laudari facilius quam euenire, vel ſi euenit, haud diuturnam eſſe poſſe* **. Quare ſi haec inuicem conferantur omnia, perſpicuum fiet inter has formas, ſi cetera paria ſint, facile monarchiam eminere.

* *Hiſt. I. p. 628.* Cicero. *Rep. L. II.*
** *Annal. IV. c. 33.*

CAPVT XIII.

DE MODIS ADQVIRENDI IMPERIVM CIVILE.

CCCCXVI.

Quemadmodum imperium in genere, ita et imperium ciuile modis ſolum deriuatiuis, conſenſu ſcilicet vel lege obtineri poteſt. Etſi igitur inſtitutio ciuitatis generatim a naturae legibus ducatur, quum tamen eadem a pacto ſubiectionis ſpeciatim pendeat, in propatulo eſt: Patribusfamilias, vtrum

nouam hanc inirent ſocietatem, an vero in veteri ſtatu manerent, conſultandi, et porro, quod maxime bonum videbatur, eligendi poteſtatem fuiſſe.

CCCCXVII.

Nulla igitur eſſe poteſt dubitatio, quin imperii publici tam democratici, quam ariſtocratici, vt et monarchici origo recte omnino ab huiusmodi expreſſo vel tacito electionis actu repetatur, quem tamen in poſterioribus duabus imperandi formis optimatum Regisue acceptatio conſequi debuit.

CCCCXVIII.

Non equidem inficiamur, imperium ſemel conſtitutum in alios ex praeſcripto legis ſaepiſſime transferri, aut etiam nouam aliquando regiminis formam introduci per vim. At praeterquam quod leges praecedentium pactorum fundamento nitantur, de ipſa nobis hic ſermo eſt iuſti imperii origine; quam etſi nonnulli a violentia repetant, attamen vnio voluntatum ſuperuenire debuit; nec enim ſine conſenſu vel vltroneo, vel ſecundum quid coacto ſocietas ciuilis cogitari poteſt.

CCCCXIX.

Ciuitas, in qua perſona ſingularis imperantis eo fine eligitur, vt illa deficiente per nouam electionem alia pro arbitrio ſubſtituatur, dicitur *electiua*, quod ſi citra omnem

nem electionem, in defuncti locum ſubrogetur, *ſucceſſiua* nominatur. Vbi demum ſucceſſor haud pro arbitrio ſed ex certa dumtaxat familia eligi poteſt, ſucceſſio obtinet *mixta*.

CCCCXX.

Vt a prima ordiamur, ciuitatis electiuae naturam hiſce explicamus. I. Ius imperii naturaliter ſolius electi perſonae inhaeret, quare deficiente illa imperium redit ad populum, cui vel alium eligere, vel veterem etiam immutare formam licebit. II. Effectum non ſortitur electio, niſi acceptetur, vnde electum inter et eligentes pactum concipitur. III. Nec minus electioni, quam aliis pactis conditiones certae adiici poſſunt, ex quibus leges fundamentales prodeunt, quae ſpeciatim etiam *capitulationis* nomine veniunt, & omnino ſervandae ſunt.

CCCCXXI.

IV. Poteſt vero populus ius, quod habet eligendi, in certas perſonas transferre, quae deinde per excellentiam *electores* nuncupantur immo electionis requiſita intuitu perſonae, loci, modi, ac temporis definire, eo fine, vt non niſi his obſeruatis electio fiat *legitima*. Electionem igitur illegitimam populus agnoſcere non tenetur. Ceterum ſolo iure eligendi, ius capitulationem facien-

di non comprehenditur, donec id ſpeciatim probetur.

CCCCXXII.

V. Electores qua tales conſtituunt collegium. Hinc naturale eſt, vt per plura ſeu *maiora* imperantem deſignent ſuffragia, quae quidem omnium eligentium reſpectu non eorum dumtaxat, qui eliguntur, numerari ſeu maiora eſſe debent; niſi populo aliud placuerit.

CCCCXXIII.

VI. Nouae electionis exercitium naturaliter a poteſtate imperantis monarchae non dependet. Quare is nec ſucceſſorem populo obtrudere, nec futuri alterius imperantis electionem impedire poteſt; cui tamen, ſi viuente adhuc monarcha eligatur, huius ſe regimini immiſcere eo inuito non licet.

CCCCXXIV.

VII. Monarchia non modo, ſed et ariſtocratia poteſt electiva eſſe. At democratia ſi ſemel ſtabilita ſit, perpetuo ſucceſſiua manet, quatenus leges fundamentales aut ciuium familiis, aut bonorum poſſeſſoribus ius comitiorum attribuunt.

CCCCXXV.

Quum ſucceſſiua imperii adquiſitio certae cuiusdam legis praeſcriptum praeſtruat, lex haec vel libera erit anteceſſoris diſpoſitio, in quem imperium cum iure alienandi translatum fuerat, vel ipſa populi conſenſio, qua

vel

vel ad familiam primi adquirentis, vel ad certum aliud perſonarum genus ius in imperium ſuccedendi, pacti more, deriuatum eſt.

CCCCXXVI.

Succeſſionem, quae priori modo obtinetur, *patrimonialem*, ſeu ſpeciatim hereditariam, quae poſteriori obtingit modo, *non patrimonialem* nuncupamus. Haec item vel erit *familiaris*, ſeu hereditaria iure familiae, vel *non familiaris*, et ſimpliciter legitima, ſi lege cautum ſit, vt alia ſuccedendi ratio habeatur, veluti ſi ſenior ciuis, vel ſenioris filius ſint vocati.

CCCCXXVII.

Iam vero de adquiſitione imperii ſucceſſiua hae tenendae ſunt regulae. I. Quia in perſona Regis eligenda id ſolum agitur, vt eius induſtria, fortitudo, prudentia, aliaeque indiuiduae ſpectentur qualitates, vt adeo ei ſoli ius populum regendi inhaereat, ideo omnis ciuitas praeſumitur electiva, atque tum demum, quando factum populi modum ſuccedendi definientis acceſſit, fit ſucceſſiua. Boehm. *P. ſp. L. I. c. III. §. 32. Diſſentit* Hobbes. *c. VII. §. 15. ſeqq.*

CCCCXXVIII.

II. Ciuitas ſucceſſiua non ideo ſtatim patrimonialis eſt, ſed in regula familiaris eſſe praeſumitur; quum vtique imperium et facultas alienandi quam maxime a ſe inuicem

dis-

disiungantur. Et quoniam non plus translatum censetur, quam quod pacto fuit comprehensum, etsi imperium familiae generatim concedatur, modo succedendi non definito, ciuitas poterit adhuc esse *successiua mixta*.

CCCCXXIX.

Si regnum patrimoniale esse constat, illud insuper bifariam est considerandum; aliud enim patrimoniale dicitur perfecte tale, aliud imperfecte tale. Prius est, quum imperans territoria cum imperio simul diuidere potest, scilicet in partes subiectiuas tribuere, et ipsam gubernandi formam immutare. Posterius si tantum ius transferendi imperium pro lubitu ad Regem pertineat. WOLF. *I. N. T. VIII.* §. *223. et* §. *292. cf.* SALLVST. *Bell. Iug. c. 5. 9. et 19.*

CCCCXXX.

Facultas diuidendi regnum in partes subiectiuas, cum pacto vnionis ciuilis tum primario ciuitatis scopo, scilicet securitati, quam maxime aduersatur; quare etsi quis a populi voluntate Regnum obtineat patrimoniale, attamen perfecte tale illud esse non praesumitur, et porro quaelibet ciuitas natura sua indiuidua est.

CCCCXXXI.

Equidem si regnum patrimoniale ex iure belli descendat, illud perfecte tale simul esse

vi-

videri poſſe, quod ius belli ad iura indefinita referatur. At vero vti hominem captiuum, qua talem, occidere non licet, ita nec victori ciuitatem bello ſubiectam licebit in partes ſecare; niſi nulla alia ratio finem iuſto bello intentum obtinendi ſit reliqua. *cf.* Kevffel, *ad* Grot. *L. II. c. VII.* §. *88. not. l.*

CCCCXXXII.

Etſi vero regnum ſit patrimoniale imperfecte tale, poterit tamen imperans illud, in quem voluerit, per teſtamentum transferre, vt adeo ei vocare liceat filium *ſecundo genitum* prae primo genito, aut filium mere *naturalem* prae legitimo; dummodo vocetur perſona rationis compos, non vero dementia vel furore affecta.

CCCCXXXIII.

Fas quoque erit, filium adoptiuum heredem regni facere, dein extraneum, immo feminam inſtituere, familia excluſa. Sed ſi teſtamentum a maioribus iam factum ſit, ſucceſſor, qui ex diſpoſitione anteceſſoris imperium capit, fideicommiſſo ligabitur, et ſucceſſio, quae antea fuerat patrimonialis, in ſucceſſionem *non patrimonialem* conuertitur. *cf.* Mvratori *Annal. d' Ital. ad Ann.* 1700.

CCCXXXVI.

Rege autem inteſtato decedente voluntas defuncti ex coniecturis veroſimilibus erui debet. Nequit autem praeſumi, defunctum

regni ſui diuiſionem voluiſſe, ſed contra potius indiuiſum vni deferri; qua in re iterum intereſt, an regnum patrimoniale ſolo belli iure, an ultronea populi voluntate fuerit adquiſitum.

CCCCXXXV.

Succeſſio enim in regno patrimoniali armis obtento, ſi quaeuis alia deficiat iuſta diſpoſitio, ex ordine naturali alibi expoſito ſimpliciter eſt deferenda; ita tamen, vt ordo ille naturalis per regni notionem magis determinetur; quare ſi cetera omnia ſint paria, mas feminam excludet. Ille enim ad arma et iudicia plerumque aptior eſt, haec vero imperium ad extraneos transferret.

CCCCXXXVI.

Ex eadem cauſſa perſona vel linea primogeniti ſecundo genitum, hinc nepos ex primo patruum iure repraeſentationis praecedet; nam quum regnum diuidi nequeat, ac primum natus ius prius adquiſiuerit, id mox ad deſcendentes ſuos transmiſit.

CCCCXXXVII.

Si vero regnum patrimoniale populus propria voluntate conceſſerit, non prius ordo ſuccedendi naturalis habebit locum, quam ſi deficiat hypotheticus; quorſum pertinet et mos ſuccedendi eo tempore, in regno receptus, quo imperium primo Regi fuerat delatum. Eo enim reſpexiſſe coniicitur populus,

lus, successionem patrimonialem admittens. Atque haec succedendi ratio duraret, etsi postea inter priuatos diuersa successionis norma ab intestato esset introducta. Grot. *II. c. 7. §. 11.*

CCCCXXXVIII.

Contentione inter filium nothum et adoptiuum orta ille in successione intestata non respicitur, quia naturaliter sequitur conditionem matris; cui consequens est, vt adoptiuus tunc omnino praeferatur. Grot. *II. c.* 7. §. 12. 13. 20. 30.

CCCCXXXIX.

Ius successoris in regno patrimoniali totum a voluntate antecessoris, siue expressa, siue praesumta deriuatur; illum igitur populus excludere, aut nouae regiminis formulae adligare non potest. Quod si Princeps regni patrimonialis decedit, nulla prius dispositione facta, et familia penitus exstincta est, tunc primum populus ad primaeuam redit libertatem. *cf.* Achenwal. *Ius pub.* §. 170.

CCCCXL.

Aes alienum in regno patrimoniali sine necessitate ab antecessore contractum quod attinet, solendum etit a successore, si regnum in partes subiectiuas diuidi et pars alienari possit. At si regnum manere debeat indiuisum, eius partem distrahere expungendi aeris alieni caussa minime licet, et ideo successor ab huiusmodi debitis soluendis, spectata sola iustitia, est immunis.

CCCCXLI.

CCCCXLI.

In ciuitate ſucceſſiua non patrimoniali ſucceſſio ex pacto et prouidentia populi determinatur. Igitur neceſſe eſt pactorum habere rationem, ex quibus principia fluunt, vnde perſona ad ſucceſſionem vocanda cognoſcatur.

CCCCXLII.

Hinc tot ſuccedendi modi ſunt poſſibiles, quot concipi pacta queunt, eaque ſucceſſio erit legitima, quam conſenſus populi per legem fundamentalem inuexerit. Narrant Cathramotitas eum nobilioris ſanguinis filium ad ſucceſſionem vocaſſe, qui a ſuſcepto vltimi Regis imperio primus fuiſſet prognatus.

CCCCXLIII.

Si porro adſit certa, ex qua ſucceſſor ſumi debet, familia, haec vocatur *ſtirps regnatrix*. Quum vero plures ſaepe ſint ex ſtirpe regnatrice, quia diuidi imperium nequit, ordinem ſuccedendi inter eos lege definire oportet; vnde is, quem praeſcriptus ordo attingit, ſucceſſor erit legitimus.

CCCCXLIV.

Quare poſteriores imperantes ius ſuum non ab eo, cui immediate ſuccedunt, ſed ſolummodo per anteceſſores, ex pacto et prouidentia maiorum, id eſt, populi et primi adquirentis nanciſcuntur. Quare hi debita anteceſſorum, neceſſitate publica haud

exi-

exigente, facta ſoluere nullo modo obligantur. Grot. *l. c.* §. *19.*

CCCCXLV.

Succeſſio deinde familiaris eſt duplex, *gradualis*, et *linealis*. Prior eſt, in qua non attenta lineae ratione proximitas dumtaxat ſpectatur gradus ipſius perſonae ſuccedentis reſpectu ad vltimum poſſeſſorem, vel ad primum adquirentem habito; prout nimirum legibus fundamentalibus fuerit definitum. Grot. *II. VII. 24.*

CCCCXLVI.

Poſterior ex lineae praerogatiua pendet, ita vt regnum continuo ab vno ad alterum deuoluatur in linea recta, deficiente autem in ea ſucceſſore, fiat tranſitus ad lineam ceteris propiorem, vt adeo in ea ſucceſſione mortui habeantur pro viuis, et ius ſuccedendi a viuis in mortuos, a mortuis in viuos ſemper transferatur. Grot. *l. c.* §. 22. Keuffel. *exerc. ad* Grot. §. *90.*

CCCCXLVII.

Linealis porro diuiditur in *cognaticam*, *agnaticam* et *mixtam*. In prima primogenitus quidem ſecundo genitum, et mas eiusdem lineae feminas omnes indiſtincte excludit, aſt maſculis deficientibus feminae in ſubſidium vocantur, quae etiam ſecundae lineae maribus praeferuntur.

CCCCXLVIII.

CCCCXLVIII.

In agnatica ſeminae et ex iis nati, etiamſi mares, perpetuo ſunt excluſi. In mixta etiam feminae ſed non niſi poſt omnes quarumuis linearum mares admittuntur. Quae tres modo expoſitae ſucceſſiones *Caſtellana*, *Salica* et *Narbonenſis* ſeu *Auſtriaca* compellari ſolent.

CCCCXLIX.

Iam nunc pronum eſt intelligere varias de ſucceſſione lineali concluſiones, quae ex datis principiis deriuantur. I. ſucceſſio familiaris intra eos ſtat, qui a primo Rege adquirente deſcendunt, nullus ergo eſſe poteſt filiis adoptiuis locus: ſed nec ad adſcendentes vel collaterales pertinet ſucceſſio, niſi id expreſſe fuerit ctum. GROT. *l. c.* §. *15. et 16.*

CCCCL.

II. Liberi naturales tantum, et qui non ſunt ſecundum patriae leges nati ſucceſſionis incapaces exiſtunt, nec enim ex familia dicuntur eſſe ii, quorum ſanguinis nulla ciuilis adeſt certitudo. III. In ſucceſſione pure lineali nepos ex primogenito praemortuo excludit patruum ſecundogenitum; habetur enim, ac ſi ſucceſſio mortuo delata ab eo ad nepotem tranſiiſſet. GROT. *l. c.* §. *16. et 30.*

CCCCLI.

IV. Idem obtinet, ſi nepos tantum adſit ex ſecundogenito, quia tunc tertiogenito

non

non esset locus. V. Primogenito non obest eum ante regni adoptionem fuisse natum, nihilo enim secius in regia fortuna suscepto potior habetur, quia reapse primogenitus eius familiae est, cui toti populus regnum detulit. Exceptio foret, si populo in prima delatione aliud expresse placuisset. Grot. *l. c.* §. *28. 29. & 31.*

CCCCLII.

VI. In successione lineali mixta seu narbonensi frater defuncti vel ex fratre nepos praefertur filiae aut nepoti ex filia etiam natu maiori; sed in cognatica filia et patruum et consobrinum excludit. VII. Non tamen filius sororis filiae fratris praeoptari debet, haec enim iure paterno vtitur, illa materno, et delato iam ad feminas regno in ea permanet linea, donec exstinguatur; nisi lege fundamentali aliud prouisum. *cf.* Grot. *l. c.* §. *32. 33. 34. 36. 37.*

CCCCLIII.

VIII. Quare in hac successione filia vltimi possessoris filias omnes antecessoris praecedit et illarum liberos, nec enim a linea ad lineam fit transitus, nisi sublata penitus linea regnatrice, aut deficientibus personis ad successionem idoneis.

CCCCLIV.

Non obstat in lineali hac successione respici ad primum magis adquirentem, quam ad vltimum possessorem. Nam primus adqui-

quirens ideo attenditur, vt conſtet de eo, an quis inde deſcendat, quod ſi confectum ſit, reſpicitur ſimul etiam linea vltimi poſſeſſoris.

CCCCLV.

IX. Sicuti nepos ex primogenito praecedit patruum ſecundo genitum, ita filia ex primogenito praemortuo amita ſeu filia vltimi Regis potior eſſe debet, mortui quippe in transmittenda ſucceſſione pro viuis habentur, niſi rurſum leges fundamentales contrarium praeſcribant.

CCCCLVI.

X. Ab vna linea ad aliam non fit tranſitus, ſi in illa etiam perſonae ad ſucceſſionem vocatae reperiantur. Itaque ſi duae eſſent filiae vltimi poſſeſſoris, et ſoror prima feminam pareret, ſecunda marem, femina, vtpote regni capax, et in linea regnatrice conſtituta, marem lineae remotioris excluderet.

CCCCLVII.

Fac lege fundamentali marem praeferri; fac ſimul ex mortua ſorore primogenita filiam eſſe ſuperſtitem, et ſororem ſecundogenitam liberis adhucdum carere. Tum profecto filia primogenita ad regnum vocabitur, quae poſſeſſione non cadet, ſi forte deinceps ſoror ſecundogenita marem pariat. *cf.* MOSER *de ſucceſſ. in Regn. Boh.*

CCCCLVIII.

CCCCLVIII.

Quae hactenus de ſucceſſione in regno dicta ſunt, facile ad ſucceſſionem in ariſtocratia transferentur. Haec enim erit electitia, ſi optimates, quos voluerit, cooptet populus, et ſucceſſiua, ſi certis tantum familiis, aut praediorum poſſeſſoribus via ad ſenatum pateat.

CCCCLIX.

Poteſt vero etiam fingi ariſtocratia cum iure ſucceſſionis mixtae, ſi ius optimatum ad electionem certis familiis agrorumue dominis adligetur. Ceterum vti electio Regis a populo facta monarchiam non deſtruit, ita ſalua manet ariſtocratia, etſi proceres aliquando a populo eligantur.

CCCCLX.

Ex his autem perſpicuum redditur, quantum interſit ordinem ac modum ſuccedendi in ipſa reipublicae conſtitutione quam diligentiſſime ſanciri, ne, dum de perſona ſucceſſoris dubitatio oritur, turbis motibusque acerrimis miſceatur reſpublica. Quae definitio nec iure, nec exercitio monarchici aut ariſtocratici comprehenditur imperii, ſed legum fundamentalium eſt materia.

CCCCLXI.

Ac ideo nec ipſe, quantumuis eum abſolutum eſſe ponas, monarcha rationem ſuccedendi determinare, aut ſemel ſtabilitam

immutare, nec vero populus aliam inuita ſtirpe regnatrice, cui ſecus ius quaeſitum adimeret, ſtatuere poteſt. Licebit tamen iis, qui ſunt ex familia regnante, de iuribus ad ſe pertinentibus ſine populi detrimento pactis vel transactione diſponere. Quam in rem ſolida hiſtoriae domeſticae notitia plurimum proderit.

CCCCLXII.

Quapropter litem de ſucceſſione nec Regi ſuperſtiti decidere fas erit, quod ei cauſſa ſucceſſionis haud ſubiaceat, neque tamen iudiciali populi arbitrio videtur ſubmittenda, quia is durante ſtirpe regnatrice omni caret iurisdictione. Attamen ſi de primaeua populi voluntate verſetur quaeſtio, non abs re erit, a populo, qui idem ac olim eſſe cenſetur, deſuper ſenſum declarari, cui deinceps ſtetur.

CCCCLXIII.

Deinde vero, ne bello inter regni aemulos coorto populus in diſcrimen trahatur, extremae hic poterit neceſſitatis fauore vti, eique ſe dedere, cuius cauſſa, re rite perpenſa, videbitur probabilior, quoniam et talem iuris decidendi reſeruationem ſibi feciſſe praeſumitur, poſtquam turbas vitare quidem voluit, nec tamen ius litem hanc de ſucceſſione natam decidendi monarchae conceſſit. Optime profecto huic rei conſuletur,

ſi

ſi lex condatur de modo, quo eius generis controuerſiae vel a populo vel ab vltimo Rege componantur. Kevffel *Exerc. ad Grot.* §. 92.

CCCCLXIV.

Lata ſucceſſionis lege, qui in ea vocatur, is proprio venit iure abſque nouo populi conſenſu, ideoque aliis rurſus pactis aut capitulationibus ſucceſſor adſtringi inuitus nequit. Quodſi integra domus regnatrix exstincta ſit, legi ſucceſſionis nullus vltra locus rit, ſed edibit facultas populo, qua veterem reipublicae formam retinere, immutare, aliam ſucceſſionis formulam eligere, aut nouam familiam adſciſcere, aut denique vltimo Regi ius ſuum committere poſſit.

CCCCLXV.

Sed et illud ſaepe contingit, vt is fiat monarchae ſucceſſor, qui in minorenni adhuc aetate conſtituitur, aliaue de cauſſa rempublicam adminiſtrare nequit, qua in ſpecie tutela aut vicaria adminiſtratione opus eſt, ac in eam rem legibus fundamentalibus quoque proſpiciendum erit.

CCCCLXVI.

Quae ſi non adſint, officium eſt imperantis, cui libera adminiſtratio competit, regno per officialem publicum ſubuenire ſine noua populi voluntate, qui ceteroquin, dum nec excluſit impuberes, nec tutelam

definiuit, hanc ſpartam patris diſpoſitioni reliquiſſe praeſumendus eſt. KEVFFEL. *Exerc. ad Grot.* §. 27.

CCCCLXVII.

GROTIVS aliique putant, Regis perſonae tutorem a patre conſtitui, regno ipſi dari non poſſe, quod id non ad imperium, ſed ad habendi modum pertineat. Verum ius et modus adminiſtrandi regnum pars ipſius eſt imperii, nec habendi modo continetur. GROT. *l. c. III.* §. 15.

CCCCLXVIII.

Princeps autem, dum vel tutorem, vel vicarium nominat, de adminiſtratione dumtaxat non de ciuili diſponit imperio. Hoc enim nec tutor nec vicarius adquirit. Quare poterit Rex vicarium aut tutorem regni eodem iure facere, quo alios officiales conſtituit publicos, poſt mortem quoque duraturos, niſi legitime fuerint a ſtatione ſua reuocati.

CCCCLXIX.

Deficiente lege fundamentali aut Regis defuncti declaratione, naturale quidem eſt filii impuberis actiones generatim ab iis dirigi, quorum, veluti matris, eſt officium deſcendentem educare; ſed ſi nec talis perſona praeſto ſit, totius erit populi de idoneo tutore proſpicere.

CCCCLXX.

CCCCLXX.

Etſi enim ſaepiſſime ii, qui proximum ius ac ſpem habent ſuccedendi, tutelam impuberis nanciſcantur, id tamen pactis et conuentionibus ſingularibus tribuendum potius eſt, quam legi publicae vniuerſali; quandoquidem non praeſumitur populus in huiusmodi tutelam, a qua pupillo nimia imminere poſſent pericula, ab initio conſenſiſſe. *cf.* Boehmer. *I. P. V. p. ſpec. L. III. c. IV. §. 27.*

C A P V T XIV.

DE MODIS, QVIBVS IMPERIUM CIVILE DESINIT.

CCCCLXXI.

Reſtat, vt de modis, quibus imperium ciuile deſinit, diſpiciamus. Horum alii autem ducuntur a populo, qui regitur, ſi nimirum is plane fuerit ſublatus, alii a perſona vel ſingulari, vel morali, quae regimen gerit, quum ſcilicet populo incolumi fundamentum ceſſat, ex quo quis ius perfectum et affirmatiuum in perſonas obtineat.

CCCCLXXII.

Inprimis igitur ciuile exſpirat imperium populi interitu, qui contingit I. ſi partes omnes, ſine quibus corpus hoc artificiale conſiſtere nequit, ſimul auferantur, nec enim

exempla deficiunt populorum, quorum alii lapidibus obruti, alii terrae motu vel chaſmate hauſti, alii ponto ſubmerſi, alii vel incendiis, vel hoſtium armis ad internecionem fuerunt deleti. GROT. *L. II. c. IX. §. 4.*

CCCCLXXIII.

II. Si partes quidem populi ſuperſint, ſed ita diſſoluantur, vt nulla corporis ratio intelligatur, dum vel ſponte a ciuitate diſcedunt ciues, vel violentia quadam ita diſtrahuntur, vt conuenire inpoſterum nequeant; denique III. ſi corpus quidem aliquod ſit reliquum, ſed vel omnis, vel perfecta ſaltem iuris communio euaneſcat, quorum prius accidit perdita ab omnibus ciuibus perſonali libertate.

CCCCLXXIV.

Poſterius euenit, quum ſocietas aliqua quidem manet, aſt plena et perfecta iuris communitas eidem fuit ademta, populo in alterius ciuitatis ditionem redacto; atque haec vnio illa eſt *incorporatiua*, quae tollit genti ſubiectae imperium ciuile; ſi enim amica et aequali conuentione duo ſe vniunt populi, vt vna fiat respublica, neutrius amitti iura dicuntur, ſed inuicem communicari; quemadmodum in ſimili plurium familiarum vnione accidit. GROT. *l. c. §. 6. et §. 9. Diſſentit* KEVFFEL *ad Grot. §. 99.*

CCCCLXXV.

CCCCLXXV.

Ceterum ſi partes non ſimul auferantur, ſed ſucceſſiue ciuium mutatio fiat, tum idem tamen remanet populus, eoque ſenſu ciuitates dicuntur poſſe eſſe *immortales*. Immo ſi vel pauci homines liberi ſupereſſent, ii etiam non modo dominium, ſed etiam, ſi vellent, commune imperium et porro ciuitatis iura tuerentur. Pvfend. *VIII. c. 12. §. 8.* Grot. *II. c. 9. §. 4.*

CCCCLXXVI.

Populus, animo alias terras occupandi vel hoſtium armis aut inedia compulſus e territorio migrans, poteſt omnem ac perfectam iuris communitatem retinere, ac propterea ciuile imperium non magis amittit, quam poteſtatem patriam vel domeſticam paterfamilias, qui veterem habitationem commutaret. Sane non ſtatim homo liber fit ſubiectus, quod per agrum eat vicini, ergo nec populus per alienum tranſiens territorium ideo perdit maieſtatem. *cf.* Cocceivs *ad Grot. l. c. §. 7.*

CCCCLXXVII.

Multo minus, mutata externa tantum regiminis forma, prior eſſe ciuitas deſinit. Nam neque partes eiusdem pereunt, neque totum corpus, neque primaeuum illud, quod ſufficere diximus, pactum vnionis ciuilis ceſſat, alio licet pacto formae ſpecialis adiecto. Quare populus

iis-

iisdem vtetur iuribus ac obligationibus generatim in monarchia, quibus vtebatur in democratia aut ariſtocratia, ac viciſſim. GROT. *l. c.* §. *VIII. cf. tamen* PVFEND. *L. VIII. c. XII.* §. *4.*

CCCCLXXVIII.

Non eadem quidem eſſe intelligitur ciuitas, ſi populus, vel armorum iure, vel vltronea conuentione, vel Principis regno perfecte patrimoniali vtentis voluntate in duas partes ſubiectiuas diuidatur. Attamen tunc non tam ceſſat ciuile imperium, quam potius pro vna duae exiſtunt maieſtates; quod ipſum accidit, ſi colonia a populo ea lege diſcedat, vt non vrbis matricis nomine, ſed ſuo iure ſuisque auſpiciis ſibi nouas aedes quaerat. GROT. *l. c.* §. *10.*

CCCCLXXIX.

Populo incolumi ceſſat ciuile imperium Regis morte, quod tamen vti in ciuitate ſucceſſiua ad legitimum ſucceſſorem transmittitur, ita in electiua ad populum pertinet, quod idem obtinet extincta tota ſtirpe regnatrice. Quare tunc populus nec in ſyſtema ciuitatum, nec in anarchiam incidit, quia in forma etiam democratica ſocietas ciuilis durat, atque vi vnici pacti puri quo ſinguli ſe vniuerſis ſubiecerunt, ſuſtinetur.

CCCCLXXX.

CCCCLXXX.

Ex quo ipſo illi refutantur, qui ciuitatem generatim duobus nonniſi pactis et vno decreto coaleſcere docent, quod eam abſurdam admittere concluſionem cogantur, Rege electiuo mortuo, vel deficiente familia regnatrice, ciuile disiungi vinculum, atque iura populi maieſtatica interim exſpirare. Sed nos trium pactorum neceſſitatem ſupra exploſimus. *cf.* Lynker. *ad Huber. ius ciuit. L. I. c. VII.* §. 7. *not. c.* Boehm. *I. P. U. L. III. c.* 4. §. 5.

CCCCLXXXI.

Status monarchiae, in quo ſedes regia vacat, ſeu tempus illud, quod a deceſſu vltimi monarchae vsque ad noui electionem, excurrit, vocatur *interregnum.* In hoc maieſtas penes populum reſidet, in cuius voluntate ſitum eſt, an iura maieſtatica ſibi perpetuo retinere, an nouum Regem eligere, an rempublicam interea per alios, id eſt *regni vicarios,* adminiſtrare velit. Horum vtpote reipublicae adminiſtratorum, publicorumque regni officialium iura ex lege fundamentali et populi conceſſione dimenſionem accipiunt.

CCCCLXXXII.

Etſi deinde populus electoribus quibusdam ius eligendi conceſſerit, id ius maieſtatem haud comprehendit, alterum enim ab

altero facile poteſt ſeparari. Nec putandum eſt, quum a nulla ciuitate ſubiectum maieſtatis excludi valeat, penes electores eam tunc reperiri oportere, quaſi ipſi imperium ciuile gerant, nec ſecus aliis id conferre poſſe videantur.

CCCCLXXXIII.

Subiectum etenim maieſtatis eſt populus, cuius nomine electio peragitur. Ac licet electores imperium ciuile concedant, non tamen id iure proprio, ſed eiusdem populi eos deſignantis nomine fit; quemadmodum ciuis, in quem compromittitur, huius compromiſſi poteſtate eligit. Plane, ſi electores maieſtatem haberent, iuribus quoque maieſtaticis nequaquam deſtituerentur, quum tamen vicario regni adminiſtratio dari, et contra aliis ius eligendi tribui poſſit. *Diſſentit* DARIES. *I. I. V.* §. *780*.

CCCCLXXXIV.

Abdicat imperium, qui populo expreſſim declarat, ſe iuribus renunciare maieſtaticis, *derelinquit*, qui factis indubitatis monſtrat, ſe inpoſterum populum gubernare nolle. Vtroque actu imperium amittitur, atque poſt amiſſionem Rex in territorio manere pergens ſtatum ſubditi amplectitur. Ita praeter alios Carolus V. Caeſar imperium abdicauit. Contra Poloniam tacite dereliquit Henricus Saleſi-

lesius, quod idem de Carolo XII. Rege Sueciae ad Turcas profugo adfirmari nequit.

CCCCLXXXV.

An monarcha inuito populo regno discedere possit, disceptatu · Qui negant, pacti vrgent vinculum, a quo nisi mutuo consensu resiliri nequeat. Qui adfirmant, his mouentur rationibus, quod populus etiam ab alio aeque bene possit gubernari; nec qui regimen suscipit ideo ad vltimum vitae momentum, se id retenturum esse promittat, quod ipsum neque populus intenderit. Wolf. *I. N. T. VIII. §. 366.*

CCCCLXXXVI.

Igitur innoxia abdicatio omnino licebit, non autem intempestatiua, qualis imminente bello vel in aetate futuri successoris pupillari susciperetur; quae etiam tum esset illicita, si expresse conuentum foret, ne iure quis abdicandi vtatur. Tale pactum Polonis cum Michaele Wieznowiczio intercessit.

CCCCLXXXVII.

Cessat etiam imperium alienatione vel cessione iure facta; si nimirum Rex patrimoniali regno gaudebat. Quodsi regnum fuerit vsufructuarium, alienatio inuito populo irrita et nullius est effectus. Imperans tamen maiestatem ideo non amittit; nec enim derelinquendi animum simpliciter, sed tantum sub conditione habuisse censendus est, si in alium

trans-

translatio permittatur. Ceterum an pars territorii ſiue alienari, ſiue deſeri aliquando poſſit, ſupra dictum eſt. *cf.* BOEHMER. *L. III. c. 4. §. 9.*

CCCCLXXXVIII.

Verum illud ſaepe acerrime diſputatum eſt, an ſeu renunciatio ſeu derelictio liberis noceat. Res diſtinctione dirimitur; pro liberis nondum natis, nec in vtero materno exiſtentibus, quod iſti nec ius, nec iuris adquirendi ſpem habeant, renunciatio valet. Pro iam natis, aut ſaltem conceptis Regi fas non erit, renunciationem interponere, quia iam natis ius, foetui ſpes iuris per natiuitatem adquirendi interuerti nequit. GROT. *II. c. IV. §. 10. et II. c. VII. §.* 2. KEUF. *ad Grot. §. 91.*

CCCCLXXXIX.

Ad renunciationem pro liberis nondum conceptis faciendam non opus eſt conſenſu populi, nec enim in prima regni delatione ius a populo in necdum conceptos transferri potuit, quod iis ab eodem ſit adimendum. Sed nec nuda patris abdicatio ſine liberorum mentione facta his nocebit, quod eos pater, ſi poſſit, et velit, expreſſis verbis excludere debeat. WOLF. *I. N. T. VIII. §. 366. ſeqq.*

CCCCXC.

Sed ais: venire ius liberorum a populo, eique adeo renunciari a patre non poſſe. At quamuis a populo ius proficiſcatur, id ta-

tamen ita fuit conceſſum, vt ab adſcendentibus ad deſcendentes transmittatur. Iam vero ſi eo, quo liberi concipiuntur, tempore, pater nullum ius habuit, nihil quoque fuit, quod transmitti potuerit.

CCCCXCI.

Porro adimitur ius imperii exheredatione in regno patrimoniali, de quo Rex pro arbitrio diſponere poteſt. Nihil vero operatur exheredatio paterna in regno non patrimoniali. Quum enim tunc filius iam conceptus ius ſuum a populo per patrem adquiſiuerit, nihilominus ad ſucceſſionem veniret; neque patris eſt determinare regni habendi modum, nec ius de regno diſponendi ad maieſtatem ſpectat.

CCCCXCII.

Dicunt quidem, filium rebellem a patre morte omnino puniri poſſe, adeoque multo magis poenam mortis in exheredationem commutari. Enimuero ius vitae et necis ius eſt maieſtaticum, quo imperans pater ſicut cuiuslibet alterius ciuis, ita quoque filii intuitu gaudet, aſt ius diſponendi de ſucceſſione imperio ciuili comprehenſum non eſt.

CCCCXCIII.

Sed etiam furore vel dementia Regi ſuperueniente imperium deſinit, modo nulla plane ſpes adfulgeat, eum ad ſanam mentem rediturum. Eo enim ſtatu impoſſibile fit ſinem

nem ſocietatis adſequi, atque eatenus imperans pro mortuo eſt habendus. Qua ratione nuperrime Carolus Hiſpaniarum Rex auditis imperii ordinibus Philippum filium regni incapacem declarauit, filiisque natu minoribus ſucceſſionem detulit.

CCCCXCIV.

Contra maieſtas non deſinit tum, quum leges fundamentales ab imperante violantur. Non enim ex ea violatione plus ſequitur, quam imperantem plura, ac ſibi conceſſa fuerint iura adrogaſſe, vnde porro inferri nequit, eum etiam iura, quae vere habuit, amiſiſſe. Igitur ſatis eſt, irritum eſſe actum ſuſceptum ab eo, qui facultate agendi carebat.

CCCCXCV.

Pactum Rectoris ciuitatis cum ciuibus initum, vt violatis legibus fundamentalibus imperio cadat, dicitur *clauſula. vel lex commiſſoria.* Quae vtique ſaluis legibus naturalibus regiminis delationi ſuperaddi poteſt, quum paciſcendi modus a ſolo contrahentium arbitrio pendeat.

CCCCXCVI.

Quoniam vero, an leges fundamentales violatae ſint, facti eſt quaeſtio, dein licet ipſum factum manifeſto commiſſum ſit ab imperante, tamen ius eminens ob ſummam reipublicae neceſſitatem obtendi poteſt, neque addita lege commiſſoria imperium ſtatim amit-

ti-

titur, etſi aliquid fiat, quod pactis conuentis aduerſatur. Ideo viri a principe et populo deſignati, debitaque ad id poteſtate inſtructi de facto eo cognoſcant, et leges fundamentales cuſtodiant.

CCCCXCVII.

Factum eſſet manifeſtum, ſi Rex contra conuentionem a regno diſcederet, ſiue vxorem duceret peregrinam: igitur ſi factum princeps ipſe fateatur, negetque neceſſitatis cauſſam, tum tacite ſe regno abdicat. Aliter ſi ſtatuas lex commiſſoria erit inefficax; deeſſet enim modus ſufficiens de facto iudicandi, idemque foret, ac ſi res pro pretio ab incerta perſona determinando venderetur.

CCCCXCVIII.

Etiam depoſitionem a ſubditis attentatam, *dethronizationem* vocant, ad modos amittendi imperii referre aliqui non dubitant. Quum tamen ſubditi iudicium ſibi in imperantem adrogare nunquam poſſint, ille vero, qui totam euertere ciuitatem molitur, eo ipſo furore aut dementia correptus eſſe videatur, vt eum non iam deponi, ſed velut incapacem cuſtodiri oporteret, euidens eſt, depoſitionem ad modos, quibus maieſtas pereat, minime pertinere.

CCCCXCIX.

Neque magis error, malitia, aut dolus in religione commiſſus principem throno deiicit,

iicit, quod nemo in terris eo ciuiliter ſit ſuperior, atque licet peccet, modo alios non laedat, iure ſuo aut rebus priuari nequeat.* Sed et illi, qui licitam putant eſſe reſiſtentiam, propterea et depoſitionem admittere neceſſe non habent, quod ab illa ad hanc nulla valeat conſecutio.

* *cf.* EGINH. *Annal. ad a.* 750.

D.

Quaeritur et illud, an veniente vſurpatore regnum perdatur. Vſurpator autem vel inuaſor is dicitur, qui ſine iuſta belli cauſſa, vi vel dolo maieſtatem ſibi praeripere conatur; qualis etiam, vt a tyranno ſeparetur exercitio tali, *tyrannus titulo tenus* dici ſolet. Hic ſi ſit extraneus, *invaſor* in ſpecie, ſi ſubditus, *rebellis* eſt. Ita Alexander M. inuaſor, Caeſar et Cromuellus rebelles adpellantur.

DI.

Quum ex ſola maiori virium phyſicarum quantitate fortior facultas moralis haud intelligatur, nec detur ius victoriae, niſi acceſſerit pactum pacis, conſequens eſt: vt ſecuta inuaſione ac vſurpatione totius territorii, propterea non deſinat ciuile imperium, ſed tantum eius impediatur exercitium, donec inita pace et ipſi ciuitatis regimini legitime fuerit renunciatum.

DII.

DII.

Quia vero Rex eiectus rempublicam administrare nequit, ideo ſubditi, qui ſeſe inuaſori ſubiecerunt, vbi is in quieta fuerit poſſeſſione, eidem tenentur obedire, non quidem ex inuaſoris iure, quod nullum eſt, ſed ob vniuerſale bonum, ex quo ille etiam, qui ius imperandi habet, velle non poteſt, vt populus intereat potius, quam inuaſori ſe ſubmittat. Quare et vi obligationis rectoriae tenetur iuramentum fidelitatis interim non vrgere.

DIII.

Quamprimum autem ſubditi a legitimo ſuo imperante defendi poſſunt, iam obligabuntur ad eum redire, quia iuri alteri quaeſito in perpetuum praeiudicare nequeunt. Quodſi populus ipſe antea in democratia conſtitutus fuiſſet, vitium, quod ab initio vſurpationi inerat, ſubſequente ſaltem tacito populi conſenſu deleretur.

DIV.

Itaque fides inuaſori data ius legitimi Regis minime tollit, ſed propter conflictum obligationis ſe conſeruandi cum obligatione Rectori ciuitatis, qui ius ſuum exercere nequit, praeſtandi obedientiam, ita fieri oportet exceptionem, vt minus malum maiori praeferatur. Sane ſi pereat populus, ius quoque imperantis penitus exſtinquitur, ſi au-

tem vitandi interitus cauſſa obediat vſurpatori, ſpes tamen adfulget legitimo Regi, vt mutato rerum ſtatu, priſtina maieſtatis iura exercere poſſit.

DV.

Inde intelligitur, an et quando vſurpator iure occidi queat. Si enim ipſa duret inuaſio, omnia belli iura in extraneum adgreſſorem exercere, contra ciuem rebellem vero ſimul exſecutionem iuris puniendi, non minus quam contra viarum graſſatorem cuilibet committere licebit. Poſtquam autem inuaſor iam rerum potitus eſt, et armata populi deſiit reſiſtentia, ſtandum omnino erit expreſſo vel tacito parendi pacto, neque quidquam hoſtile interea tentandum. Quare lex fundamentalis, aut expreſſum Regis eiecti mandatum de occidendo vſurpatore tunc demum valebit, ſi quieta imperii adminiſtratione nondum vtatur. GROT. *I. c. IV.* §. *16. 19.*

DVI.

Quod demum ea concernit, quae vſurpator geſſit, haec tenenda eſt regula: quae ad imperii adminiſtrationem pertinent, ſiquidem quaſi nomine legitimi imperantis ſuſcepta videntur, nonniſi eo modo reſcindi poterunt, quo etiam ea, quae a legitima poteſtate geruntur, ob vtilitatem publicam, vel neceſſitatem immutari, aut ob iuſtam poenam irrita reddi valent. Reliqua firma manent, ne alias reſpublica ſummis perturbationibus miſceatur.

POSITIONVM
DE
IVRE CIVITATIS
PARS II.
SEV
IVS GENTIVM.



CAPVT XV.

DE IVRE GENTIVM GENERATIM.



DVII.



Abſoluta illa parte iuris ciuitaris, quae mutua imperantium et ſubditorum officia, ſiue iura maieſtatica *immanentia* complectitur, ad alteram iam partem progredimur, quae de officiis agit diuerſarum ciuitatum inter ſe, ſeu de iuribus maieſtaticis *tranſeuntibus*, quorum complexus nomine *iuris gentium* iam inde a vetuſtiſſimis temporibus innotuit. LIVIVS *XXI. 10.* CORN. NEPOS, *Themiſtocl. VII. 4.*

DVIII.

Scilicet gentis adpellatione integra familiarum multitudo continetur, quae *vel* genere et agnatione, *vel* patrio ſolo ac moribus, *vel* ſimul perpetuo liberae ſocietatis vinculo

ad mutuam ſecuritatem ſub eodem communi imperio inter ſe colligatae ſunt. Atque haec poſtrema ſignificatio propria eſt huius loci. *cf. L. 195. §. 2. de V. S. L. 6. de capt. et poſt. rev.* SERVIVS *ad Virgil. Aen. 1. 67.*

DIX.

Igitur nationes, populi liberi ac ciuitates, ſiue regna ſint, ſiue respublicae etiam foederatae, quacunque demum regiminis forma vtantur, communi gentium nomine veniunt; cui quidem nec nexus clientelae, nec pactum de alterius maieſtate comiter veneranda, nec obligatio ad annuum tributum, nec contractus feudalis, ſed ſtatus tantum ſubiectionis obſiſtit. Vnde prouinciae, quae alterius imperio parent, etſi ſingularibus praerogatiuis ſint inſtructae, gentium nomen tueri haud poſſunt.

DX.

Patresfamilias, qui conuenerunt in ciuitatem, quoad actiones ſuas permiſſas ab arbitrio quidem totius ſocietatis pendere, atque eatenus ſtatum aduentitnm amplecti voluerunt; quod autem ad peregrinos homines vel coetus attinet, quibuscum nulla inita eſt ſubiectionis, ſeu vnionis ciuilis pactio, cum his antiquus, hoc eſt, naturalis ſtatus inuicem retentus eſt, qui non omnem quidem ſocietatem, ſed illam tantum, quae cum imperio humano copulata eſt, excludit.

DXI.

DXI.

Inde compertum eſt, naturalia iura, quibus gaudebant ſinguli ante vnionem ciuilem, facta hac vnione, intuitu extraneorum non fuiſſe diminuta, ſed quoad eius fieri poterat, cum ſociis communicata, integra ſemper apud ciues vniuerſos permanſiſſe.

DXII.

Sed nec vlla oriri poteſt dubitatio, quin obligationes ac leges naturales, quae ad vnumquemque hominem ſegregem antea pertinuerunt, etiam omnibus in ciuitatem congregatis, totique adeo genti, tanquam corpori myſtico et perſonae morali incumbant, vt haec non modo curam habere debeat religionis ac philautiae, ſed etiam prodeſſe aliis gentibus ac potiſſimum ab earum laeſione abſtinere.

DXIII.

Sane rationis praecepta ab omni mutatione abhorrent, vt nec inſtitutis hominum conciliis tolli, nec arbitrio poteſtatis ciuilis euerti vllo modo poſſint; quin immo ſocietatem naturae regulis aduerſam vetitam irritamque eſſe ſatis conſtat. Vnde conficitur, iura et obligationes gentis, quaſi totum quoddam ex iuribus et obligationibus ſingulorum veluti totidem partibus coaleſcere, gentem itaque fortius, quam hominem obli-

gari, nec eamdem prorſus vnius atque alterius obligationem eſſe.

DXIV.

Et quia cuilibet homini, ac ſocietati noua quaedam iura adipiſci, nouasque contrahere obligationes licet, nil profecto repugnat, quin etiam gentes eodem modo ſibi ipſis proſpicere, vel fidem ſuam aliis populis adſtringere valeant. Immo vero ſunt multa iura, multaeque obligationes, quae etſi non cadant in ſingulos, tamen in totam cadunt ſocietatem, vtpote quae coniunctis viribus ampliora loca occupandi, et poſſidendi ius habet, atque aliorum neceſſitatibus excellentiori quadam ratione ſubuenire apta eſt.

DXV.

Ita partem maris, fluuium, inſulam in poteſtatem ſuam redigere gentes poſſunt, homines ſinguli non poſſunt; contra hi celebrant nuptias, patria vtuntur poteſtate, alios adoptant in filios, quae iura toti genti, vt vni perſonae morali et corpori myſtico conuenire nemo dixerit. Quare etiam ſuum gentis a ſuo hominis eſſe diuerſum facile eſt intelligere.

DXVI.

Atque hoc pacto confectum eſſe arbitror, vt in quacunque demum ſignificatione iuris vocabulum vſurpetur, etiam ius gentium exiſtere intelligamus, Eſt enim et inter gen-

gentes, vel quae easdem repraesentant, comitia ciuium, senatus optimatum et Monarchas aliquid, quod conuenit, ac oportet facere, cuius porro agendi vel omittendi facultate morali populi omnes et eorum Rectores vtuntur; sunt leges, quibus iidem suas actiones attemperare debent, atque istarum legum complexus, seu *scientia eorum, quae inter gentes licita sunt, vel illicita, iurisprudentiam gentium* constituit.

DXVII.

Equidem officia ciuitatis et gentis tam erga Deum, quam erga se ipsam in iure publico vniuersali cum iuribus maiestaticis internis examinauimus; ea igitur huius non sunt loci, in quo iura maiestatica externa pertractanda veniunt; nec si quis a prioribus discesserit populus, ideo dicitur ius gentium violasse. *cf.* Ickstatt. *I. G. L. I. c. I. P. 7*

DXVIII.

Neque huc pertinet illa iuris gentium acceptio, qua *ius, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit*, designatur, quasi quo iure omnes gentes vtantur; hoc enim nil aliud quam ipsum est ius naturale hominum simpliciter tale, atque idcirco nomine iuris gentium a nonnullis insigniri consueuit, vt sic iuri naturae brutorum, si ita adpellare fas est, opponatur. §. *1. Inst. De I. N. & G. L. 9. D. de I. et I. L. 84. D. de R. I.* Cicero *Off. III. 1.*

DXIX.

Quoniam iura ac leges populorum inter ſe, vel ex ipſa eorum eſſentia atque natura, ſiue ſimpliciter, ſiue ſub certis circumſtantiis conſiderata, vel ab aliis externis tantum factis deriuantur, tenemus cauſſam, cur ius gentium aliud *naturale* ſeu philoſophicum, aliud *poſitiuum* ſen hiſtoricum dicatur, curque ius naturale gentis, aeque ac ius naturale hominis primo in *abſolutum* et *hypotheticum* abeat, dein vero iisdem generalibus exiſtendi ac cognoſcendi principiis, iisdemque proprietatibus vtatur.

DXX.

Itaque ius naturale gentium in diuina eſſentia et voluntate fundamentum habet, rationis vſu intelligi, atque ex finibus rerum creatarum manifeſtiſſimis deduci, et demonſtrari poteſt, eidemque immutabilitas, neceſſitas, aeternitas, atque vniuerſalitas non minus ac iuri naturali hominum recte tribuitur.

DXXI.

Nunc ad illam perplexam ceteroquin quaeſtionem, vtrum ius naturae et gentium ſit vnum, idemque ius, an vero vti obiecto, ita et regulis ab inuicem diſtinguantur, in promtu erit reſpondere. Ius enim gentium *poſitiuum*, ſi aliquod eſſe admittatur., ab omnibus iuris naturae partibus differre, nemo

mo ſanus negauerit; contra ius gentium *naturale* ex eisdem profluere fontibus, e quibus ius naturae hominum hauritur, et easdem porro eſſe generales vtriusque diſciplinae regulas rurſus apud omnes in confeſſo eſt. Quum tamen natura hominis a natura gentis vtique ſit diuerſa, ideo fit, vt exiſtant omnino concluſiones non paucae, quibus etſi actiones ſingulorum hominum haud regantur, iis tamen facta integrarum gentium adplicanda ſint.

DXXII.

Scilicet vti ex vno fonte plures riuuli promanare poſſunt, ita et ius naturale in quatuor partes diſtribui alibi vidimus. *Prima* actiones hominum, *ſecunda* actiones ſociorum generatim, *tertia* officia ciuitatum interna, et *quarta* officia ciuitatum externa explanat, quas ſingulas partes non ſatis diſtinxerunt primi huius diſciplinae conditores*. Sane aliter naſcuntur homines, aliter gentes; hae aliter ac illi viuunt, creſcunt, atque intereunt, et porro aliter etiam perfici aut violari poſſunt. Cicer. *de rep. L. III. cf.* Daries. *Obſ. I. N. VI.*

* Grot. *L. I. 14.* Hobb. *XIV. 4.* Pvfend. *I. N. & G. II. III. 23.*

DXXIII.

Vtrum vero ius gentium dicatur ius naturae ad negotia gentium adplicatum vti volunt Hobbesivs * Heineccivs ** alii, aut potius

ius

ius naturae per notionem gentium magis determinatum, vt placet DARIESIO ***, inanis eſt verborum velitatio, quoniam concluſiones inde deductae ideo non ſunt in dubium reuocatae. At vtrumque potius coniungendum videtur, vt adeo rectius ius gentium definiatur, eſſe *ius naturae ad negotia gentium adplicatum, atque per notionem earum magis determinatum.*

* *XIV. 4.*
** *El. I. N. L. I. §. 21. ſeqq.*
*** *Obſ. VI. §. 14.*

DXXIV.

Nec minor eſt doctorum hominum diſſenſus in ſtatuendo iure gentium poſitiuo, quippe quod nonnulli merum putant eſſe figmentum, contra alii in peculiarem redegerunt diſciplinam; quamquam et hi duplici ratione diſcrepant inter ſe, primo an huiusmodi leges communes ſint, ac vniuerſales, an vero tantum particulares, et quorumdam populorum propriae, deinde quibusnam principiis, et fundamentis eædem potiſſimum innitantur.

DXXV.

Qui primus iurisprudentiam gentium voluntariam fundauit HVGO GROTIVS * pacta expreſſa et mores adduxit omnium vel ſaltem multorum populorum, quibus, vt maius adderet robur CHR. WOLFIVS **, naturalem gentium

tium democratiam finxit, cuius ea esset vis, vt quidquid maiori numero placeret, aut non placeret, id etiam reliquae personae morales maximae huius ciuitatis amplecti, aut repudiare tenerentur. Quae duae opiniones, quoniam haud satis firmae videbantur Vattelio *** ipse ad conuentiones ob mutuam necessitatem, atque vtilitatem praesumtas prouocauit.

* *De I. B. et P. I. I. §. 12. n. 2.*
** *I. G. Prol. §. 19. 20.*
*** *Droit des gens. proleg. §. 21.*

DXXVI.

Enimuero pacta inter omnes populos diserte aut tacite celebrata in medium produci eo minus possunt, quod plures sunt nationes, quae vix nomine, nedum societate et commercio aliis innotescunt; democratiam vero naturalem quod attinet, ea tunc primum firmo staret talo, si vti vnusquisque paterfamilias toti ciuili coetui, ita et singulae gentes earum vniuersitati suas voluntates subiecissent, quod quum factum fuisse ostendi nequeat, naturale est, vt haec ciuitas maxima non a populari, sed a Dei vnius imperio pendeat,

DXXVII.

Denique pactorum praesumtio, quoniam haec veritati semper cedere debet, etiam contraria cuiuslibet populi declaratione infirmari-

ri poſſet, aut ſi conſenſus lege naturali praeſcriptus, et ideo firmus et irreuocabilis eſſe dicatur, leges exiſtent neceſſariae ſolius rationis lumine et ſine alio facto cognitae, perperam porro cum iuribus miſcebuntur poſitiuis. Vnde intelligitur, ius gentium voluntarium et vniuerſale eſſe nullum.

DXXVIII

Illud tamen nemo iuerit inficias, eſſe magnum huiusmodi conuentionum aliarum ſuper alias coaceruatarum cumulum, eſſe etiam conſuetudines, vſu et moribus inter Europae populos potiſſimum intoductas; ad quarum cuſtodiam ſingulae gentes eo fortiori iuſtitiae uinculo obſtringuntur, quo minus iuris ſemel agniti poſſeſſione alios detrudere licet.

DXXIX.

Equidem talium pactorum morumque complexum leges eſſe negat PVFENDORFIVS, HEINECCIVS aliique, quod eo nomine non niſi praecepta ſuperioris venire arbitrantur; aſt iam alibi oſtenſum eſt, hos non tam rerum, quam verborum controuerſia torqueri. Quamquam quas inter conſuetudines ſaepe recenſent corruptelas, probe ab inuicem ſecernere oporteat. ICKSTATT. *I. G. L. VI. c. I. ſeqq.*

DXXX.

DXXX.

Pluribus indiget ſubſidiis iſta diſciplina, ſiquidem praeter ius naturae, ius publicum vniuerſale, et ius gentium philoſophicum comparandae etiam ſunt notitiae rerum publicarum, et hiſtoriae populorum, tum pacta, foedera, ſanctiones pacis, ceremoniae et obſeruantiae regionum penitus ſunt noſcendae, quod non niſi magno cum acumine longaque praxi obtineri poteſt. *

* *cf.* Ev. Otto *Not. Rerump. Traiect. 1739.* Moser *Ius gentium temp. pacis. Tubing. 1752. Et tempore belli. Franc. 1763.* Achenwall. *Conſtit. Regnor. Europ.* lingua germ edit. *Götting. 1762.*

DXXXI.

Quam praeſtabilis autem ſit iuris gentium naturalis ſcientia, quamque interſit humani generis eamdem rite pertractari, vel inde ſatis colligitur, quod homines iam admodum pauci ſint, qui poſt introductas ciuitates lege tantum vtantur naturali: contra gentes primaeui adhuc ſtatus tenaces communi hoc omnium iure potiſſimum cenſentur, cuius porro ignorantia aut violatio non vni modo alteriue homini, ſed integris ſocietatibus infelicitatem ipſumque interitum maturare poſſet. Grot. *I. B. et P. proleg. §. 2.* Boehmer. *I. P. V. P. ſp. cap. III. §. 17. ſch. a.*

DXXXII.

DXXXII.

Ceterum cum iure gentium *ratio ſtatus* confundi non debet; haec enim non id, quod iuſtum, ſed quid in ſpeciebus obuenientibus vtile ſit, declarat. Quapropter, quae alibi de diſcrimine inter ius naturale et politicam generatim tradita ſunt, etiam ſpeciatim ad ius gentium et rationem ſtatus oportet adplicare.

CAPVT XVI.

DE AEQVALITATE GENTIVM, ALISQVE CVM EADEM CONNEXIS IVRIBVS.

DXXXIII.

Quandoquidem gentes ſingulae vt totidem perſonae morales, quae viuunt in ſtatu naturali, quaeque adeo iuribus primaeuis fruuntur, conſiderandae ſunt, conſequens eſt, vt eaedem tum ſeſe immunes ab omni periculo conſeruare, tum vero independentiam ab alterius arbitrio et plenam cum reliquis gentibus aequalitatem moralem tueri iure poſſint. Quare quidquid aliae aliarum in cauſſis iuſtum aut aequum crediderint, id in-

in ſuis quoque cauſſis vt valeat, etiam pati tenebuntur. Phaedr. *l.* 25.

DXXXIV.

Inde manifeſte conficitur, vt quisque populus non modo animo, corpori, bonis, rebusque ſingulorum ciuium ab externis etiam iniuriis praecauere obligetur vi vnionis ciuilis, ſed etiam vt iuribus iis gaudeat, quibus efficere poſſit, vt haec ipſa vnio et forma reibublicae, leges fundamentales, iura maieſtatica, et eorum vſus perdurent; contra illa omnia, quae vinculum ciuile diſſoluere, et ita interitum ſibi adferre poſſent, auerruncentur.

DXXXV.

Ex aequalitate ciuitatum earum quoque independentia facile intelligitur. Quare illae actiones ſuas libere, ac nemine alio conſulto determinare poſſunt, dummodo ab aliarum laeſione abſtineant; hinc in his terris nulli Domino aut ſuperiori, nulli iudici aut iurisdictioni ſubiiciuntur, ac porro ab obſequio et poena ſtricte tali ſunt immunes.

DXXXVI.

Denique et formam imperii, quae magis placet, eligere, eamdem mutare, titulos, quos volunt adſumere, iuraque omnia maieſtatica ex proprip arbitrio exercere valent, ita vt nemini ſiue homini, ſiue genti factorum ſuorum rationes reddere obligentur.

O DXXXVII.

DXXXVII.

Itaque inſpecto iure gentium abſoluto titulum Imperatoris, Regis, Ducis in ſuo et ab aliis independente territorio impetrare non oportet. Quod vero aula romana Reges *Apoſtolicos*, *Chriſtianiſſimos*, *Catholicos*, *Fidei defenſores*, *Fideliſſimos* nominauerit, aliis ex principiis, nimirum ſocietatis eccleſiaſticae natura repetendum eſt. Ex eodem quoque fundamento conſequitur, vt ciues alterius nationis in loco nullius vel tertii deprehenſos, aut eorum naues vel merces gens ſuae iurisdictioni ſubiicere haud poſſit.

DXXXVIII.

Quum denique inter gentes, ſi primaeuus ſpectatur earum ſtatus, omnimoda aequalitas moralis obtineat, nulla cuiusquam praerogatiua, nulla praecedentia habere locum poteſt, quin potius durante eo ſtatu pares de omnibus obligatiores, iuraque paria enunciari debent. Itaque vnicuique eadem exiſtimationis ſimplicis, iuſtae ignorantiae, ſuasque mediis non iniuſtis perfectiones augendi iura ſuffragantur.

DXXXIX.

Sane quisque populus, quaecunque demum fuerit regiminis forma, iisdem iuribus maieſtaticis tam immanentibus, quam transeuntibus gaudet; quae igitur in ſingulis ſeiunctis exiſtit, diuerſitas nulla eſt, ſi prae-

praetermiſſa omni hypotheſi inter ſe comparentur. Id ipſum valet de gentium Rectoribus, qui per ingreſſum in alienum territorium nec maieſtatem amittunt pro ſua regione, nec propterea alterius iurisdictioni ſubiiciuntur.

DXL.

Ad iſtas autem gentium perfectiones tam cultura virtutum intellectualium et moralium quam nouae hominum et virium acceſſiones pertinent. Quare neminem puto fore tam plumbeum, qui neget, poſſe vnamquamque gentem fouere artes bonas moresque, ſuam ſine aliarum laeſione augere potentiam, et ciuibus ſuis, ne iuſta eis lucra intercludantur, patrocinari. Inde et iura promanant, tam res, ſi ſint nullius, occupandi, quam ſi quorumdam ſint propriae modis legitimis, veluti pactis, commerciis externis, ac hereditatibus conquirendi.

DXLI.

Fuere quidam, qui a gentium antiquitate earum quoque proedriam, ab artium et diſciplinarum flore, ac puritate religionis maiorem exiſtimationem, a vehementiori autem potentia, aut plurium regnorum nexu etiam praerogatiuam comprobari poſſe iudicarunt. Enimvero a ſola inaequalitate temporis ad inaequalitatem iuris non valet collectio, virtutes vero intellectus aut volunta-

tis non simplicis ac naturalis, sed adquisitae et accidentalis existimationis sunt mensura.

DXLII.

Denique vti maior potentia physica maiorem potentiam moralem haud inuoluit, ita ceteris qualitatibus non tam ius perfectum, quam aptitudo et meritum ad aliquam praerogatiuam aduentitiam innititur. Ecquis enim id sustinere ausit? homini docto, vel giganti plura competere naturalia iura quam indocto vel pygmaeo.

DXLIII.

Nec dicas cum DARIESIO * et VATTELIO **, principem sedem non esse nisi prioritatem loci, quo, qui prius eum occupauit, nequaquam sit expellendus. At nil profecto vetat aequalem cuiusuis locum iudicare, mensae adsidere rotundae, vel eodem loco alternatim vti. Porro vti nemo iure coget inuitos populos cum aliis in idem territorium conuenire, ita nec vi externa compelli alter ab altero potest, vt suam religionem iudicet esse puriorem.

* *I. I. V. §. 956.*
** *L. II. c. III. §. 37.*

DXLIV.

Fac autem ciuitates in illum casum demitti, vnde nisi res vel bona aliarum ciuitatum vsurpent, exitum videant nullum: vtique illae ex iure, vel vt alii loqui malunt,

fa-

fauore neceſſitatis ſalutem expedire, et rebus alienis vti, aut etiam abuti poterunt, dummodo obſeruent limites, quos ab hominibus in pari diſcrimine verſantibus tranſiliri poſſe alibi negauimus.

DXLV.

Itaque naues alienas arripere, detinere, iis vti, aut loca munita ſeu fortalitia vicinorum occupare, accedere ad portus alienos pro aqua et alimentis, ſedes quaerere, ſi propriae vi nobis ſint ademtae, emere merces neceſſarias, iure perfecto licebit, quoties non commoditas aut vtilitas, ſed vera ac ſumma neceſſitas id poſtulat. Modo omnia prius remedia adhibeantur leniora, alter populus eadem neceſſitate haud prematur, et quamprimum fieri poterit, plena ſuccedat reſtitutio. *cf.* Ickstatt. *Ius gent. l. II. c. VIII.*

CAPVT XVII.

DE GENTIVM HVMANITATE.

DXLVI.

Quum paullo ante oſtenſum ſit a nobis, obligari omnes populos ſibi inuicem prodeſſe, tantoque magis a mutua laeſione

abſtinere, palam fit, officia gentium alia eſſe *humanitatis* ſeu imperfecta, et coactionis expertia, alia *iuſtitiae* ſeu perfecta, et quae vi quoque poſſint extorqueri. Priora hoc capite, poſteriora capite ſequenti exponemus.

DXLVII.

Certe nulla in medium proferri gens poteſt, cui non aliquando ab aliarum gentium rebus vel operis ſaltem aliqua maior perfectio adferatur; igitur hoc cuique natura praeſcripſit, vt omni conatu ad communes vtilitates conſpiret. *Namque magis eſt ſecundum naturam pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis aut iuuandis maximos labores moleſtiasque ſuſcipere, quam viuere in ſolitudine, non modo ſine vllis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus abundantem omnibus copiis.* CICER. *de Off. III. 5.*

DXLVIII.

Ex his aperte conſequitur, etiam gentes comes, humanas, miſericordes eſſe oportere non modo erga amicos, verum etiam inimicos; ſiquidem et horum odium a lege naturali penitus abhorret. Ideo fit, vt tam in proſperis rebus, veluti nuptiarum, natiuitatis, coronationis, pacis, quam etiam in aduerſis, vt mortis, perduellionis, incendii, terrae motus, vicini populi ac eorum Rectores, aut gaudium aut dolorem, ſibi inuicem teſtari conſueuerint.

DXLIX

DXLIX.

Atque haec amoris ſignificatio nec propter bellum, quo duo populi inter ſe ſunt implicati, nec ob oppoſitas de modo colendi Deum ſententias, exceptionem admittit; vti enim vetitum eſt odium inimicorum, ita et huiusmodi officia non in determinata religione, ſed in ipſa gentium natura ſatis ſundantur.

DL.

Tum vero mutuus populorum amor ſeſe prodit potiſſimum, ſi alter alterius intellectum, voluntatem, ac ſtatum externum perficere adlaboret, quorſum inprimis pertinet cura, vt verae de Deo eiusque attributis ſontentiae omnibus et doctrina et exemplo inſtillentur. Praeterquam quod enim contrariae in religione opiniones manifeſtum errorem aut ignorantiam ſaltem alterutrius gentis arguant, perpetuis etiam litibus atque odiis praebent occaſionem; quum contra ex vniformi rectaque diuini cultus cognitione nouum quoddam idque fortiſſimum ſocietatis vinculum ducatur.

DLI.

Atque duplex quidem hic concurrit officium, vnum ſcilicet erga ſupremum Numen, cuius gloriam vti a ſingulis hominibus, ita et ab omnibus gentibus illuſtrari oportet; alterum vero erga alios homines, quos ab

errore adeo pernicioſo liberari maxime intereſt humani generis. Quare collegium de propaganda vera religione inſtitutum laudari ſatis nequit. PSALM. *CXVI. v. 1.*

DLII.

Aſt quanta non eſt illorum impietas, qui proprii commodi cauſſa fouere ſatagunt errores, et quamcumque Dei colendi rationem ſatis putant eſſe idoneam, ſi modo phyſica ciuitatis potentia inde accipiat incrementum! Sane, quae a nonnullis adductae ſunt rationes pro promiſcuae religionis tolerantia, id vnice probant, vim, metum, ac coactionem ad tredendam notitiam ſummi numinis ineptos eſſe magiſtros.

DLIII.

Proximum huic eſt, vt populi ſcientias atque artes ad communem felicitatem propagare, et nouas in dies veritates collata opera detegere contendant. Ideo viros doctos, veluti Geometras, Aſtronomos, Medicos, Hiſtoricos ad peregrinas regiones ſaepe ablegari nouimus, quibus porro liber acceſſus, ceteraque ad optatum finem perueniendi remedia non niſi ſumma iniquitate denegantur.

DLIV.

Neque vero deſunt exempla populorum, qui bonas leges ab aliis acceperunt. Sufficiat hic Romae materiam XII. tabularum e Grae-

Graecia accerſentis meminiſſe. Ac profecto ſtudia litterarum et ingenuae artes homines reddunt cultiores, atque mores ſolent emollire. Ovid. *Pont. II. IX. 48.*

DLV.

Perfectio ſtatus externi in aucta gentis exiſtimatione et gloria, rerumque omnium abundantia continetur; nihil igitur praetermittere oporteret, quo aequius aliorum de aliis ſit iudicium, quoque nullae non nationes ea, quae ad ſuam neceſſitatem, vtilitatem, aut etiam iucunditatem pertinent, facilius conſequantur. Quum vero non omnia omnis ferat tellus, conſequens eſt, vt ex copia vnius regionis alterius inopiae ſiue gratis et ex beneficentia, ſiue ſaltem ex contractu permutatorio ſuccurrendum ſit.

DLVI.

Poſtulat igitur humanitatis ratio, vt aliis non ea praeſtentur modo, quae accipientibus ſunt vtilia, dantibus autem parum damnoſa, veluti conſilium in dubio negotio, medicina graſſante morbo, opera pro pace concludenda, ſed etiam quae non ſine detrimento tribui poſſunt, vti eſſet annona penuria ingruente, aut miles, quo iniuſtus hoſtis depellatur. *cf.* Livivs *XXXIII. 33.*

DLVII.

Quum in mutua rerum communicatione, quae per contractus explicatur, con-

ſiſtat *commercium*, hoc non modo inter ſingulos homines, ſed etiam inter populos maximae eſſe vtilitatis elucet; ſecus enim rerum multarum vſu, quas vita humana deſiderat, locorum interuallo arcerentur. Et quia obligatio ad finem neceſſitatem idonea impendendi remedia inuoluit, nulla gens de eo, quod ad commerciorum florem conferre poſſet, quidquam a ſe deſiderari patiatur.

DLVIII.

Quamobrem I. emporia, nundinae, et portus conſtituantur tuti, quo merces inuehi, commodeque permutari ſine magna mora poſſint. II. Priuilegia ſiue emendi res inuectas, antequam aliis eas emere liceat, ſiue ſiſtendi merces in flumine publico, vt eas vendere aut ſecus tributum praeſtare neceſſe ſit, vulgo *propolium*, et *ius ſtapulae*, non facile concedantur, leges vero in extraneos iniuriae, nimiaque vectigalia abrogentur.

DLIX.

III. Nominentur *Conſules*, ſeu perſonae, quae in emporiis, et portubus priuilegia nationis ſuae cuſtodiant, et lites inter mercatores ortas breuiter et ſine magnis ſumtibus definiant; et ſi quae ſunt alia, quae commerciorum florem promouere apta ſunt, a ſingulis populis conſtituantur.

DLX.

DLX.

Sed dicet fortaſſe aliquis ſtultum fore, atque a politices regulis alienum, iis praebere auxilia, qui haec ipſa in noſtrum interitum conuertere aliquando poſſunt. Enimuero non aliud inde conficitur, quam vt tenendus ſit beneficii et permutationis modus. Sane facilius populi, quam homines ſuis ſe viribus ſuſtinent, aliorum itaque indigentiam ita ſubleuare oportebit, vt tamen officia, quae quisque ſibimet ipſi debet, haud praetermittantur.

DLXI.

Nemo igitur tam male ſuas ſecum inibit rationes, vt arma hoſtibus ſuppeditet, aut annonam, vel vt artem aptiora conflandi tormenta, conſtruendi habiliores naues bellicas, ſale condiendi piſces, aliaque arcana opificia cuiquam ſtatim prodat. Etenim prodeſſe aliis haud obligamur, ſi grauius inde in nos redundaturum eſt incommodum. Phaedr. *Fab. V. in app.*

DLXII.

Quapropter cuiusuis populi iudicio relinquendum eſt, an et quomodo valeat aliis opem ferre; et quoniam nemo adhuc inuentus eſt, cuius vires omnium neceſſitatibus leuandis eſſent pares, licebit profecto, quod vni tribuitur, id ipſum alteri ſine vlla iniuria denegare. Qua in re gratitudinis potiſ-

ſimum

ſimum eſt habenda ratio, vt paribus in cauſſis ii, a quibus plura in nos ſunt profecta beneficia, ceteris praeferantur.

DLXIII.

Ex quo facile comprehendere licet, populi eſſe iudicium, an arbitri munus inter duos, qui bellum gerunt, ipſe ſuſcipere poſſit, an commercia nullo pacto ſpeciali definita cum vicinis proſequi, vel reſtringere, mutare, aut etiam penitus tollere velit. Quid enim ſi merces aequo pretio emi vel vendi nequeant, aut ſi res vel perſonae morbo peſtilenti forent adfectae, nonne in finibus noſtris XXX. vel XL. dierum mora detineri aut plane arceri poſſent? GROTTIO. * igitur non adſentimur, dum nimis generatim profugis receptum deberi, et quod vni conceſſum, alteri quoque concedendum putat.

* *J. B. et P. l. II. c. II. §. 16. et 22.*

DLXIV.

In eo quoque mutua ſeſe exſerit comitas, atque facilitas populorum, ſi negotia in alieno territorio geſta, quaeque propriis non aduerſantur legibus, in ſuo pariter quisque firma, validaque eſſe patiatur; qui enim id facere detractat, conqueri minime debent, ſi et aliae gentes acta, quae alibi perfecta ſunt, alicuius valoris et roboris eſſe negauerint. Quod quum commercia

atque

atque amicitias ciuitatum mirum quantum perturbare poſſet, omnium ſane intereſt, nulla huiusmodi inhumanitatis exempla vnquam praeberi.

DLXV.

Atque inde eſt, quod habilitas et qualitas, quae perſonae in vna ciuitate competit, veluti iura nobilitatis, pubertatis, maiorennitatis, aut familiae, etiam in alia ciuitate agnoſci conſueuerint. Porro teſtamenta, matrimonia, aliosque contractus, ſi ad formam loci, in quo celebrantur, ſint adcommodati, parum aequum foret, alibi effectum ſuum haud ſortiri.

DLXVI.

Denique nec diſpoſitio de bonis ſub alterius poteſtate ſitis impugnatur, niſi a legibus, quae ratione rerum immobilium ibi perlatae ſunt, abhorreat. Vti enim ciuibus nuptiae cum peregrina, ita et extraneis comparatio immobilium iuſte poſſet prohiberi. Quare non ſimpliciter cum Chr. Wolfio,* facimus putante teſtamentum iudiciale apud vnam gentem factum ab alia quoque eſſe admittendum, quod ea noſtram debeat iurisdictionem agnoſcere; valet enim gentis iurisdictio in ſuo cuiusuis territorio, non extra illud.

* *Inſt. I. N. §. 1137.*

DLXVII.

Quamquam vero officia, quorum hoc capite meminimus, tantum imperfecta ſint, et a coactione libera, quippe quae in propoſitione de iuuandis aliis continentur, vt porro, qui iis non adhaereſcit, iniquitatis quidem, non autem iniuriae argui poſſit: quum tamen multae ſint cum harum legum cultu connexae vtilitates, et contra earum transgreſſoribus non leuia incommoda ab aliis populis immineant, fortiſſimae ſemper adſunt rationes, quae gentes ad comitatem et humanitatem reciproce exercendam exſtimulent. *cf.* KOEHLER. *I. N. ſpec. VII. §. 16. 48.*

DLXVIII.

Ex quibus ſatis demonſtratum exiſtimo, eſſe officia imperfecta, quae a gente qua tali aliis gentibus praeſtantur, quamuis in alia omnia eat DARIESIUS *. Aſt negari tamen nequit, officia haec aliquando perfecta fieri poſſe, ſi ſumma ingruat neceſſitas, vel pactum acceſſerit, vt alio in loco a nobis fuit oſtenſum.

* *I. I. V. §. 950.*

CAPVT XVIII.

DE IVSTITIA GENTIVM ABSOLVTA.

DLXIX.

Quas ad candorem et humanitatem factas esse intelleximus gentes, quin etiam iustitiae regulis a natura sint imbutae, nullo modo potest dubitari; constat enim, praecepta de non laedendis aliis et de suo cuique tribuendo ad easdem aeque ac ad singulos homines pertinere, ex quo insana illa quorumdam doctrina de naturali bello nationum omnium in omnes abunde exploditur.

DLXX.

Atque ius istud, quod perfecta populorum inter se officia exponit, ius gentium *cogens*, siue proprie tale nuncupatur, et in illa continetur propositione: *Quod sibi fieri nolunt gentes, aliis ne faciant.* Quae vero gens haec officia violaret, ea in regulas iustitiae impingere, atque adeo alias laedere censenda esset.

DLXXI.

Itaque iniustae sunt gentes. I. quae de aliarum aequalitate et independentia, vel alio quodam iure maiestatico quidquam detra-

trahere conantur II. Quae legitimam imperii formam a populo quopiam electam mutare, aut quaqua ratione euertere ſtudent. III. Quae territorium turbant alienum. IV. Quae externorum ciuium perſonas aut etiam res violant. V. Denique, quae facultati, qua nulla non ciuitas pollet, iuſtis modis maiores adipiſcendi vires, adferunt impedimentum. Si quid porro horum fiat, gens laeſa eadem habebit iura in laedentem, quae homini iniuria adfecto contra iniuriantem competere alibi demonſtrauimus.

DLXXII.

Atque ex his liquet, gentem non modo nihil, quod in alterius gentis contemptum aut contumeliam vergeret, facere, ſed neque maiora honoris ac exiſtimationis ſigna, titulosque peculiares naturaliter ab altera praetendere poſſe, praeterquam ſi pacto vel more manentem quemdam titulum aut praelationem iam ſit adepta.

DLXXIII.

Quum vero, qui in vnum liberalis eſt, alteri propterea iniuriam non faciat, etiam populus vni populo nouum adſcribere titulum, certum adſignare locum, res inter ſuos ciues permutandi facultatem dare poteſt, quae tamen omnia reliquis gentibus ſine iniuria denegabit. *cf.* GROT. *I. III.* 21. *1.*

DLXXIV.

DLXXIV.

Nec minus inde colligitur, eam gentem ab iniustitiae labe liberari non posse, quae exterorum negotiis vltro se immiscens iudicium de iisdem adfectat, quae proprium Dei colendi modum aliis vi obtrudere nititur, aut peregrinam religionem cum contumelia ac vituperio gentis illi addictae detestatur, quae demum alienorum subditorum querelas suae cupiditati praetexens re opera aut consilio eorum sustentat contumaciam. Si enim arma in imperantem sumere subditis nunquam licet, quomodo horum nomine aliis, quibus nulla infertur iniqua conditio, id facere licebit?

DLXXV.

Ex eodem quoque fundamento consequitur, vt populo vni licitum haud sit, alteri populo qualitates Regis eligendi praescribere, aut eum Regem damnare, qui plures haberet vxores, vel durioribus poenis quosdam subditos adficeret. Sane nemo sibi iudicium in actiones aliorum potest adsumere, quin eorum aequalitatem atque independentiam laedat.

DLXXVI.

Quum porro tam turbatio alieni territorii, quam violatio ciuium incidat in laesionem gentis, consequens est, vt ius regionem ac res ciuium possidendi, iisdemque

vtendi, ac fruendi ſaluum cuique relinqui debeat, et hinc vt nemo, refragante Rectore ciuitatis, ſibi harum rerum poſſeſſionem adrogare, aut perſonas ciuium vel militiae vel nuptiarum, vel cuiusquam alterius ſcopi cauſſa abducere iure poſſit. Quodſi huiusmodi actus ceteris populis permittantur, quisque facile intelliget, etiam conditiones, ſub quibus ea permiſſio facta eſt, rite eſſe implendas.

DLXXVII.

Et quoniam non ii modo nos laceſſunt iniuria, qui rem noſtram vel eius partem ſubtrahunt, ſed etiam, qui ne iure noſtro vtamur, nobis ponunt impedimentum, perſpicuum plane eſt, nullam gentem, ne cum extraneis commercia excolat, aut ab amicis obtineat auxilia, aut aliter modis licitis ſuam augeat potentiam, poſſe prohiberi.

DLXXVIII.

At ſi populo res ſuas cum hac potius quam cum illa gente permutare placeat; ſi propriis mercibus maius ſtatuat pretium, quam eas comparare volentibus aequum eſſe videatur; ſi denique ab actibus, quos promiſcue aliis ciuitatibus indulget, vnam ciuitatem ſine contumelia excludat; quia id iure ſuo facit, ideo aliae gentes laeſiones ſibi illatas eſſe fruſtra quererentur.

CA-

CAPVT XIX.

DE IVRIBVS GENTIVM CIRCA DOMINIA ET PROPREITATEM.

DLXXIX.

Qui rerum dominia a mutuo tantum hominum conſenſu repetuut, nec tamen ad communem huiusmodi conuentionem ab vniuerſo humano genere initam prouocare audent, ii nullam inter diuerſas gentes proprietatem dari arbitrantur. Quoniam vero originem proprietatis ſine peculiari vlla conuentioné ex iure occupandi profluxiſſe alibi docuimus, ambigere profecto non licet, quin etiam ciuitates et populi, quippe qui ſingularum perſonarum iure vtuntur, proprietatis modo vel originario, vel deriuatiuo adipiſcendae ſint capaces.

DLXXX.

Perperam itaque Bynkershoek * rerum dominia iuri ciuili adſcribit, quod ciuium ſit conuentio, vt quisque ſua habeat tuita ſeparatim, etiam citra poſſeſſionem praeciſe naturalem; quem fere ſequutus eſt Gribnervs **. Quis autem gentibus abiudicabit dominium, quas territorium ſuum poſſidere, omnem inde vtilitatem percipere, ac de eo-

dem pro arbitrio diſponere poſſe conſtat? At inane foret hoc dominium, ſi illud a perpetua detentione phyſica rei cuiuslibet penderet. Etſi igitur id corpore et animo adquiratur, ſolo tamen animo retineri poterit. *cf.* BARBEYR. *ad Puf. l. IV. c. IV. §. 4. n. 2.*

* *De domin. mar. c. I.*
** *Pr. I. N. L. III. c. III. §. VI. n. 2.*

DLXXXI.

Adquiruntur autem dominia a gentibus modo originario, quando I. res nullius II. actu adprehenduntur III. animo ſibi habendi; quae adprehenſio per vniuerſitatem facta condominium producit, ſeu communionem poſitiuam tamdiu duraturam, donec vel in minores ſocietates, vel in ſingulos ciues certae portiones deſcribantur.

DLXXXII.

Inde petere licet rationem, cur res aliae dicantur communes ſeu *nullius*, aliae *publicae* ſeu populi, aliae *vniuerſitatis*, id eſt ſocietatis minoris, aliae *ſingulorum*. Sed vti publicae res poſſunt fieri ſingulorum propriae, ita et ſingulos in publicum res ſuas conferre non repugnat. *Pr. Inſt. de rer. diviſ. l. 2. pr. D. eod.*

DLXXXIII.

Quemadmodum paterfamilias fundo occupato non modo fructus omnes ſiue induſtriales, ſiue naturales inde percipere, ſed etiam in eo venari, piſcari, aucupari, theſau-

ſaurum fodere cum excluſione aliorum poteſt, ita quoque populus, qui regionem vacuam animo ibi ſedes figendi ingreditur, certisque limitibus circumſcribit, tum totius terrarum et aquarum tractus poſſeſſionem, et proprietatem generalem adquirit, tum praeterea ius occupandi omnia, quae ſupra et ſubter ſunt, anteuertere praeſumitur, vt adeo nihil in eo teritorio ſit incluſum, quod non ad illud vti pars ad totum ſpectare, ſiue de territorio eſſe videatur.

DLXXXIV.

Igitur Sam. Cocceivm * non moramur, cui dominium generale videtur, purum eſſe figmentum, ficulneo enim illo vtitur argumento, quod poſſeſſio actu corporali adprehenſa, ratione totius regionis deficiat. Etenim ad hancce poſſeſſionem adquirendam ſatis fuerit, populum terminos vel *arcifinios*, vti montes, fluuios, vel *limitatos* veluti leucas pedeſue fixiſſe. Nam neque patrifamilias opus eſt, vt ſingulas glebas teneat, vel circumambulet, modo limites ponat aut ſepem.

* *Not. ad Grot. II. II. 4.*

DLXXXV.

Quapropter, quidquid in territorio reperitur, ſiue ſuapte id exiſtat *natura*, vti ſunt montes, ſyluae, paſcua, et quaeuis inculta

loca, dein flumina, riui, aluei, inſulae, ſtagna, lacus, paludes, quaeque his accedunt beſtiae volatiles, terreſtres, ac natantes, nec non metalla et alia foſſilia, ſiue hominum *induſtria* producantur, vti caſae, domus, arces, villae, oppida, urbes, vineta, agri, ceteraque manu et arte facta, et cuncta rerum iura, id omne proprium eſt totius gentis, qua inuita porro nec res iacentes ſeu adeſpotas occupare, nedum in regione morari, immo nec illam ingredi licebit.

DLXXXVI.

Equidem GROTIVS * in ea fuit opinione, poſſe aduenas ſolum vacuum et ſterile intra territorium populi ſitum recte occupare, quod occupatum non videatur, quod non excolitur, et hinc non niſi imperium priori populo ſaluum permaneat. Enimuero quidquid eſt in territorio incluſum, etiam eſſe de territorio nec GROTIVS diffiteri poteſt, ſiquidem occupationem etiam per vniuerſitatem fieri ipſemet agnoſcit **. Laederet igitur gentem, qui haſce res vacuas ei adimere conaretur, quae vel paſcendis gregibus, vel ſaltem auertendis hoſtium incurſionibus inſeruiunt. Quod ſi animalia fera ex altera regione in alteram ſe transferant, quoniam haec incertae ſunt originis, natu-

nam

nam novi territorii, velut acceſſorium ſequentur. *cf.* Livivs *V. 36.*

* *L. II. c. II. §. 17.*

** *L. II. c. II. §.*

DLXXXVII.

Quum vero occupatio in rebus nullius tantum fieri poſſit, nemo non intelligit, eam ad loca ab alio populo, vel etiam familiis ſegregibus inhabitata nequaquam pertinere; immo ſi ſingas nationem maxime ſtupidam, proprietat: abutentem, religionis denique atque humanitatis expertem, ea tamen rerum a ſe adquiſitarum non excidit dominio, vt adeo nefas foret, hoc tantum nomine eam ſuis fortunis ſpoliare, *cf.* Leibnitivs *Cod dipl. p. 165. & 203.*

DLXXXVIII.

Et quoniam, quae nullius ſunt, non ante fiunt propria, quam vbi ſufficienti facto a nobis adprehenduntur, manifeſto conſequitur, vt quamuis tota ſocietas maiora terrarum ſpatia occupare, et adquirere poſſit, quam ſinguli ſocii, tamen quae a ciuili multitudine in poteſtatem phyſicam redigi ac poſſideri nequeunt, ea quoque abhorreant a gentis proprietate; cui porro nec fundos cultura et cura, omnique alio vſu vaſtiores, multoque adeo minus oceanum adprehenſionis et cuſtodiae impatientem primaeuae communioni ſubtrahere licebit.

DLXXXIX.

Contra portus, littora, nauium ſtationes, vadoſae orae, ſinus, freta minora, aliaeque maris partes, quae territoria populorum adluunt, iisque ſunt incluſae, libertatem a dominio non omnino tuentur. Praeterquam quod enim mare terrae proximum non ſit inexhauſti vſus, ſed capiendis piſcibus, margaritis, cochleis, corallis, ſuccino, ambrae faciendoque ſali maxime inſeruiat, illud etiam gentes teſte experientia certis terminis definire, tum vicinis claſſibus ac tormentorum exploſione poſſidere, ac defendere conſueuerunt. Atque inde fit, vt poſſeſſoribus inuitis ab exterorum nauibus ea loca non modo non teneri, ſed neque praeteruehi permittantur.

DXC.

Solus animus adquirendi, niſi et vera ſequatur adprehenſio, nullum cuiquam tribuit peculiare ius, igitur aliquid vidiſſe tantum vel ſcire, vbi illud ſit, vel medio non idoneo adprehendere ad obtinendam poſſeſſionem corporalem haud ſufficiet. Quare ſi gens vna inſulam vacuam detegeret, aut etiam grandioris tormenti globum in illam vibraret, altera vero eamdem ingrederetur animo ſibi habendi, huius, non illius inſula fieret propria.

DXCI.

Imperium in regionem vacuam cum dominio occupari communis quidem eſt doctrina, verum non ſatis, vt videtur, adcurata, ſiquidem imperio in res non proprie vtimur, ſed in perſonas, quae etſi per loca deſerta vagari deprehendantur, priſtinam tamen tueri poſſunt libertatem, atque ab omni occupatione ſemper ſunt immunes.

DXCII.

Quod ſi nulli homines ſegreges in terris occupatis reperiantur, tunc gens non tam nouum occupare imperium, quam potius vim antiqui in eos proferre videtur, qui prouincias ita adquiſitas, ſiue perpetuae habitationis cauſſa, ſiue etiam ad tempus acceſſuri ſunt.

DXCIII.

Scilicet alienum ingrediens territorium honeſtas conditiones, ſub quibus eſt admiſſus, tenetur implere; quum igitur gens nemini aditum ad ſuas terras aliter concedere intelligatur, quam ſi primo legibus negatiuis de non nocendo ciuitati generatim, dein etiam legibus adfirmatiuis, quae diſerte in aduenas feruntur, morem gerat, conſequens eſt, vt quicunque degit in territorio, niſi manifeſte probetur exceptio, etiam ſub territorio eſſe, hoc eſt, ab imperio et iurisdi-

ctione domini territorialis pro tempore commorationis pendere censeatur.

DXCIV.

Ex quo conficitur, vt I. imperans caussas controuersas in suo territorio agnoscere, atque decidere iure possit, ac porro, vt eius sententia in peregrinos lata iusta praesumi debeat; II. vt delinquens in alieno territorio poena in foro delicti statua adficiatur; III. vtilius albinagii, quo exteri iure successionis in bonis defuncti ciuis, vel peregrini excluduntur, humanitati quidem gentium repugnet, non autem iustitiae, si nouerint peregrini sub hoc tantum onere aditum sibi in alienam regionem patere. WOLF. *Inst. I. N* §. *1138.*

DXCV.

Inter dominii consectaria et illud numeratur, vt quisque rerum suarum moderator sit et arbiter, quae porro in alios in totum vel pro parte iure transferuntur; nulli igitur dubitamus, quin populis de montibus, insulis, pascuis, aliisque publicis rebus pro lubitu disponere, hinc easdem cum vel sine pacto antichretico oppignorare, seruitute adfirmatiua vel negatiua adficere, aut etiam penitus alienare, immo et derelinquere sit permissum. * GROT. *II. XV.* §. *VII. n. 3.*

* *cf.* ENGELBRECHTI *Commentat. De seruit. iur. pub. recusa Lipsiae 1739.*

DXCVI.

DXCVI.

Ex his autem colligitur, patrimonia gentium modis deriuatiuis, veluti conuentionibus aut testamentis sumere incrementum quidem posse, frustra vero huc reuocari vsucapionem, aut praescriptionem, postquam inuentum id esse iuris ciuilis alibi satis est ostensum. Interea tamen in pari caussa gentes vi dominii putatiui vel possessionis, cuius nulla in contrarium exstat memoria, sufficienter se tuentur.

DCXVII.

Quoniam vero negata vsucapione praetensiones gentium maiorem vim obtinent, ac firmitatem, optandum sane foret, vt voluntate populorum arbitraria quaedam vsucapio statueretur, idque eo magis, quod etiam ii, qui vsucapionem iuri naturali adscribunt, eam inter gentes longe difficilioris esse probationis, quam inter singulos homines haud diffitentur.

CAPVT XX.

DE OFFICIIS INTER GENTES, QVAE VTILITATIS SVNT INNOXIAE.

DXCVIII.

De officiis innoxiae vtilitatis inter gentes ardua est controuersia, an ex iustitia vel solum ex aequitate debeantur. Etsi enim plana ac facilis est generalis regula in prima parte iuris naturalis tradita, ad quam et actiones hominum adplicandae sunt, scilicet officia adfirmatiua imperfectis, negatiua perfectis esse accensenda; tamen duae plerumque nascuntur facti quaestiones, primum an alterius desiderio sola patientia nostra satisfiat, deinde vero an non hancce patientiam multa, eaque grauia incommoda consequantur. Haec igitur prius sunt penitus dilucidanda, quam quisquam in iure libertatis naturalis se interpellari conqueratur.

DXCIX.

Nullum sane adparet periculum, si viae, fluuii, aut portus publici pateant extraneis, veluti studiosis, artificibus, aut mercatoribus, qui tantum transire, aut sibi de aqua dulci aliisque alimentis prospicere, fractasue

na-

naues reparare cogitant; quod ipſum et in mercibus nec vetitis nec nocuis, et quarum commercium gens territorii domina ſibi non reſeruat, immo et in milite per manipulos diuiſo, atque inermi videtur obtinere.

DC.

Quum vero ſaepius contingere ſoleat, vt iuſta adſit cauſſa recuſandi officium, quod poſtulatur, veluti ſi contagii vel exploratorum metus ſit, aut congruum vectigal non ſoluatur, hinc petere prius oportet praeſtationem officii, vt adpareat iure, an iniuria denegetur. Quodſi tamen nauis reparatio vel alimenta eſſent neceſſaria, tum propter ſtatum colliſionis etiam gratis et cum detrimento hae praeſtationes poſſent vindicari.

DCI.

Atque his potiſſimum ambagibus inuoluta eſt frequens illa quaeſtio, vtrum exercitus, qui vel novas quaerit ſedes, vel contra iniuſtum hoſtem mouetur, facultatem per alienas regiones tranſeundi inuitis habitatoribus iure adripiat? qui enim armatam multitudinem in ſuum territorium admittit populus, ei maius tum ab ipſis tranſeuntibus, tum ab horum aduerſariis impendet periculum, quam quod datis pignoribus, conducto idoneo praeſidio, vel aliis etiam cautelis propulſari poſſe videatur. Itaque niſi tranſire volentes omnimodam regioni ſecuri-

curitatem praeſtent, a tranſitu vtpote non innoxio ſine iniuria arcentur.

DCII.

Neque hisce aduerſatur, quod aiunt, ius vnius alterius metu haud infirmari, dein vias publicas in communione primaeua vtique permanſiſſe. Ius enim ab vtilitate ducitur innoxia, at in noſtra ſpecie ſemper fere aliquod aliorum ſubeſt detrimentum; communio autem viarum, quas populus aperire in ſuo ſolo, et propriis ſumtibus reficere debeat, vanum eſt commentum. *cf. tamen* GROT. *II. II. 13. 4.*

DCIII.

Illud autem nunc in propatulo eſt, perperam iniuſtitiae accuſari populos, qui domo eiectis domicilium, aduenis ſolum deſertum ac ſterile, peregrinis feminarum inopia laborantibus connubia cum ſuis denegarent; haec enim officia ſemper eius ſunt generis, vt rarius ſine maiori moleſtia, nunquam nuda patientia praeſtentur.

DCIV.

Sane ſi rex regi, et ciues conciui filiam negare iure poſſunt, nulla videtur eſſe ratio dubitandi, quin eodem etiam iure vti poſſint gentes, intuitu aliarum gentium, praeſertim barbararum. Accedit aequalem fere naſci numerum marium et feminarum; ſi igitur maior harum copia ex regione extraheretur, mul-

multi ex propriis ſubditis ſine vxoribus eſſe deberent. *cf.* Vattel. *II. c. IX.* §. *112.*

DCV.

Et quamquam improba neceſſitas ius quaerendae habitationis tribuere expulſis poſſit, nuptias tamen armata manu expetere eo minus vnquam licebit, quo minus eas a ſingulis hominibus, aut etiam a ſingulis virorum ſocietatibus iniri abſolute eſt neceſſe. Sed et ipſe matrimoniorum finis exigit, coniuges non violentia et odio, ſed precibus atque amore inter ſe conciliari.

DCVI.

Etſi vero gentes iniuſtae non ſint, quae peregrinos ſecluſo ſtatu neceſſitatis in ſuum territorium haud recipiunt, tamen contra aequitatis regulas peccari ab iis aliquando poſſe certum eſt. At nec inhumanitatis quidem alicuius argui poſſent, ſi anguſtum eſſe territorium, ſi a religionis diuerſitate turbae metuerentur, ſi ignaua foret multitudo vel infida, quae abuti beneficio et ipſos antiquos habitatores expellere poſſet.

C A-

CAPVT XXI.

DE CONVENTIS ET SPONSIONIBVS PVBLICIS.

DCVII.

Quemadmodum gentes etiam, quae opibus, armis et potentia maxime valent, tamen aliarum gentium auxiliis aliquando indigeant, et porro eadem ſibi inuicem polliceri atque accipere permittantur, ſatis, vt arbitror, explicatum eſt ſuperioribus capitibus; proximum igitur eſt, vt de variis hiſce promiſſionum acceptarum, ſeu *conuentorum* generibus agamus, quae quoniam inter populos aut eorum Rectores qua tales ſanciuntur, *publica* nominari conſueuerunt. *cf. l. 5. D. de pact.*

DCVIII.

Ab hiſce vero probe ſecernere oportet pacta, quae ciuis cum ciue, aut ciuis cum populo extero, immo et imperantes inter ſe ineunt in negotiis priuatis, veluti ſi filia a rege alteri regi deſpondeatur. Quamquam et haec, quatenus quaelibet gens ciuium ſuorum iniurias auertere, et praecauere debet, eatenus ad publica referri poſſe videantur.

DCIX.

DCIX.

Publicae illae conuentiones, ſi ad ſingularem tantum et tranſitoriam praeſtationem tendant, generale *pactionis* nomen retinent, ſi vero obligationem quamdam durabilem et ſpecialem ſocietatem inter duas vel plures gentes ſtabiliant, *foederum* adpellatione continentur.

DCX.

Quoniam pactionum innumerae propemodum ſunt ſpecies, communi illa regula omnes dimetiendae ſunt; nihil ſcilicet tam congruum eſſe humanae iuſtitiae ac fidei, quam ea, quae ſemel placuerunt, ſeruare, ne ſecus iura in populos rite translata iisdem cum iniuria et laeſione inuitis auferantur.

DCXI.

Foederum autem ſumma partitio inde ducitur, quod alia *ſimplicem* tantum et naturalem *amicitiam*, alia *arctiorem* quamdam et arbitrariam *coniunctionem* inter paciſcentes inducant. Ac priora quidem, etſi nihil praeter id conſtituant, quod iam iuris eſt naturalis, et hinc infamiam aliquam habere fuerint viſa, tamen cum hoſtibus, et iis, qui peregrinos hoſtium accenſent numero, vtiliter ſanciri conſueuerunt.

DCXII.

Posteriora naturalibus officiis aliquid saltem superaddunt, et vel ad commercia, nauigationem, transitum, vel ad iuris defensionem aut persecutionem, aliaque plurima belli et pacis negotia spectant *v.* PVFEND. *de I. N. & G. VIII. c. IX. §. 2.*

DCXIII.

Vti vero ad foedera prioris generis, quae etiam *pudenda* a nonnullis nominantur, referri debet pactum de non laedenda gente, seu *foedus amicitiae*, ita *non pudenda* plane sunt innumera, veluti I. de vectigali pro mercibus non soluendo, vel non vltra certam quantitatem, II. de alterius subditis suis sedibus non recipiendis, III. de delinquentibus mutuo extradendis, IV. de arce in confinio alterius populi non habenda, aut aliis monumentis.

DCXIV.

V. Tum vt aliquod mercium genus genti tantum stipulanti vendatur. VI. Vt mutua sit inter duas gentes successio, seu foedus confraternitatis. VII. Vt alteri populo in propugnaculis alterius populi praesidium habere liceat pro tuendis finibus. VIII. Vt certus equitum, peditum, vel nauium numerus ducatur contra communem hostem. IX. Vt res vel personae captae soluto certo

to pretio reſtituantur. X. Ne iter alterius hoſti praebeatur, et quae ſunt reliqua.

DCXV.

Quae arctioris coniunctionis cauſſa iciuntur foedera, ea iterum *aequalia* ſunt, vel *inaequalia.* Aequalibus a paribus et aequis vtrinque conditionibus, inaequalitas vero aut ſolum a diſcrimine praeſtandorum, aut etiam ab honoris, particulae libertatis, imperiiue ciuilis imminutione proficiſcitur, de quorum altero ſalua ſaepe priſtina foederatorum dignitate, de altero eadem incolumi conueniri nullo modo poteſt.

DCXVI.

Quoniam vero inaequalitas praeſtationum ab inaequalitate contrahentium, et horum inaequalitas phyſica a morali admodum eſt diuerſa, patet, aequalia foedera etiam a potentiore cum minus potente pangi poſſe, ſi ambo ſcilicet ad aequipollens obſtringantur. Contra inaequale foret foedus, ſi inaequalis eſſet praeſtatio, vel ex parte potentioris, vt ſi ſolus nummos, ſubſidia, milites, naues, aut ſaltem in maiori numero praebere teneretur, vel ex parte minus potentis, ſi hic tributum pendere cogatur. Procop. *B. P. p. 105.*

DCXVII.

Ex parte autem minus digna oritur inaequalitas I. ratione honoris, ſi foedere ſit

comprehensum], vt alter populus alterius populi maiestatem comiter conseruet. II. Ratione libertatis, si vnus moenia diruere, nauigatione abstinere, loco quodam decedere, certam gentem bello non adgredi, aliamue seruitutem iuris gentium constituere debet.

DCXVIII.

III. Ratione imperii, si pars quaedam potentialis maiestatis vel eius exercitium a voluntate vel consensu alterius gentis dependens efficiatur: veluti ne bellum cuiquam facere, vel copias conscribere liceat iniussu alterius gentis. *l. 7. §. 1. 8. de capt. & postl. reuers.* LIV. *XXX. 37.* DIONYS. HAL. *VIII. 15.*

DCXIX.

Porro foederum quaedam *in rem* fieri dicuntur, quaedam *in personam*; horum duratio vita paciscentium circumscripta est, illa etiam ad successores pertinent. Quum tamen foedera omnia tendere debeant ad vtilitatem publicam, eorumque ius fluat ex imperio ciuili, quod non nisi sublata penitus gente exspirat, naturale est, vt foedera etiam a monarchis nomine totius populi percussa, et realia esse intelligantur, donec vel ex verbis, aut ex caussa contrahentium, vel ex natura negotii contrarium adpareat. GROT. *II. XVI. §. 16.*

DCXX.

DCXX.

Ex *verbis* colligitur perſonale foedus, ſi ad dies vitae principis ineatur, ex *cauſſa* contrahentium, ſi militare imperium ſenior vel peritior foederatus obtineat, denique ex *natura* negotii, ſi, vt hoc vtar, tutelae geſtio promittatur. Aſt nomina tantum paciſcentium fuiſſe adiecta minime ſufficit, quum plerumque perſona pacto inſeratur, non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur, cum quo pactum initum ſit. Nec perſonale ideo efficitur foedus, ſi ad tempus, veluti ad quinquaginta annos, vel ad certum reipublicae ſtatum fuerit reſtrictum; ſiquidem in vtraque ſpecie obligatio ad ſucceſſores tranſire poteſt. *v. l. 7. §. 9. D. pact.*

DCXXI.

Ad quamcumque autem claſſem foedera reuocentur, illud apertum eſt, omnia eſſe publicarum conuentionum ſpecies, et porro fidem in iis legitime datam, ſi *caſus* exiſtat *foederis*, omnino ſeruari oportere. Immo vero quia foederati non ſolum praeſtationes tranſitorias ſibi ſtipulantur, ſed durabilem quamdam ſocietatem, quam incorruptam eſſe atque inuiolatam eo magis intereſt humani generis, quo magis publicae vel communi gentium ſaluti eiusdem abruptio aduerſatur, ideo foedera eminentiore quodam modo ſeu κατ' ἐξοχὴν *ſancta* nominari meruerunt.

DCXXII.

Etſi vero ad mutua gentium officia et illud pertineat, vt aequitatis habeatur ratio in foederibus pangendis, ea tamen, quae ſine errore ac dolo et a conſentientibus facta ſunt, aequa cenſentur, licet fuerint inaequalia; plures enim ſubeſſe poſſunt iuſtae cauſſae, ob quas ab aequalitate recedatur. Quare nulla tunc competit reſtitutio praetextu laeſionis.

DCXXIII.

Si foedera in dubitationem adduci contigerit, omnium primo verba eorum rite perſpicere oportet; vti vero in ceteris pactis, ita et in foederibus ea tenenda eſt verborum ſignificatio, quam recta interpretatio ſuggerit, et ideo foedus, ne populo bellum inſcio altero facere liceat, neceſſariam defenſionem haud excludit. Quodſi bellum contra alterius ſocios ſuſceptum non iri promittatur, praeſentes intelliguntur ſocii, non futuri. GROT. *II. XVI. 13.*

DCXXIV.

Et quemadmodum alia pacta, ita foedera quoque non expreſſe modo, ſed et tacite fieri poſſunt; nam et in his quaedam natura inſunt, quae impleri iuſtum eſt, licet haud fuerint expreſſa. Hinc praeſtare promiſſa auxilia nequit, qui domi ſuae hoſtem habet. Ex eadem cauſſa, qui receptus eſt

eſt a gente, tacite promittit, ſe aduerſus eius ſocietatem nihil eſſe facturum, et petens colloquium hoc ipſo etiam pollicetur, id collocutoribus innoxium fore.

DCXXV.

Quum officia de non laedendis aliis ſed iis adiuuandis ipſa nitantur naturae lege omnibus populis communi, ſine vllo religionis diſcrimine, conſequens eſt, primum, vt et cum gentibus a veri Dei cultu alienis foedera non modo nudae amicitiae et commerciorum, ſed etiam bellica propter ſalutem publicam naturaliter pangere liceat, dein vt ſi haec fuerit rite facta, non minus ſint implenda, quam contractus, qui a priuatis Chriſtianis hominibus cum Saraceno vel Iudaeo inirentur.

DCXXVI.

Qua in re quoniam nihil immutatum reperitur in lege diuina poſitiua, quae eiusmodi foederibus plerumque ineſſe ſolent vitia, aliis externis cauſſis repetenda ſunt. *v.* Gen. *XIV. 13. & XXXI. 44. I.* Macc. *c. 8. & 12.* II. Reg. *XXVII. 2.* III. Reg. *12. cf.* Grot. *II. XV. §. 8. 11.*

DCXXVII.

Concurrunt aliquando plura foedera, potiſſimum bellica, atque inter ſe confligunt, quocirca quodnam praeferri debeat, dubitatur. Sciendum igitur eſt, priorem tempo-

re foederatum, niſi eius cauſſa aperte iniuſta ſit, iure eſſe potiorem, ſiquidem ius ei ex foedere quaeſitum per pactum cum ſecundo initum auferri nequit. Qui tamen foedus init ſecundum, et prius ei contrarium diſſimulat, dolo malo agit, omnemque adeo indemnitatem laeſo praeſtare tenebitur. *v.* Liv. *VII. 31.*

DCXXVIII.

Si autem nulli faueat temporis praerogatiua, tum vel arma moventur in extraneum, et auxilia vtrique foederato, eadem ſimul imploranti pro rata ſunt praeſtanda; vel vero ipſi foederati inuicem ſe bello laceſſunt, et in cauſſis dubiis, quales plerumque praeſumuntur, neutri fas erit milite ſuccurrere, ne ſecus copiae eiusdem gentis contra primum pactum vnionis inter ſe committantur.

DCXXIX.

Ne autem populi facile a ſuis conuentis diſcedant, cauetur tam modis communibus, quam publicarum pactionum propriis. Quoniam modi communes, ſcilicet *adſeueratio*, *iusiurandum*, *pignus*, et *fideiuſſio*, alibi ſunt expoſiti, eos quisque nullo negotio huc poteſt adplicare.

DCXXX.

Inter modos proprios vero primum referuntur *obſides*, ſeu perſonae conſenſu vnius imperantis in alterum translatae, vt apud

eum

eum *obsideant*, rerum praestandarum quasi pignus; quod quum vitam innocentis adfi-cere nequeat, euidens est, illud non nisi in libertate obsidis, si eum dans fidem fefellerit, obtinere. *cf.* Liv. *XXVIII. 34.* Grot. *III. XI. 18.* Schilter. *Comment. de iure obsid.*

DCXXXI.

Ex data definitione colligitur, veri nominis obsides non dari nisi a republica, tam *voluntarios*, quam *inuitos* etiam feminas *; quae vero vi et armis in securitatem contributionum abducuntur, personas mancipii magis quam obsidis iure censeri. Ceterum quoniam peregrini non nisi pro eo tempore, quo commorantur in territorio alieno, se subiiciunt eiusdem imperanti, nec ad aliud seobligant, quam ad non turbandam securitatem illius territorii, hi etiam obsides dari inuiti non poterunt.

* Livivs. *II. 13.*

DCXXXII.

Itaque etsi obses tamquam accessio obligationis honesta accipientis custodia iure contineatur, e qua porro nec ipsi euadere, nec fugientem recipere reipublicae liceat, attamen is statim seruus non fit, atque adeo, et res suas, et actiones ceteras liberas pro arbitrio moderatur. Cogere enim illum velle ad praestandas operas idem foret, ac creditorem re oppignorata vti. Quamprimum

vero gentis, a qua traditus est obses, adparuerit perfidia, hic etiam talis esse desinit, et in captiuitatem ac seruitutem redigitur sine iniuria.

DCXXXIII.

Putauerat quidem GROTIVS *, tunc tantum non licere obsidi fugere, si ab initio aut postea, quo laxius haberetur, fidem dederit. Sed pauci eius opinioni subscripsere; siquidem imperans voluit, potuitque ciuem suum generatim obligare, ne aufugere. Illud vero Imperatore COMMODO dignum fuit rescriptum: *Ob sidum bona sicuti captiuorum omnimodo in fiscum esse cogenda*; haec enim, praeter libertatem tunc tantum debentur pro eo, quod interest, quando obses fideiussor simul vel expromissor fuit. *L. 31. D. de iur. fisc.*

* *III. XX. 54.*

DCXXXIV.

Ex quo non difficile est intelligere, quatenus, obside mortuo ad haeredes eius obligatio transeat. An vero obses, si fiat successor eius, qui dedit, praestita alia cautione dimittendus sit, id ex circumstantiis singularibus determinari debet. *L. 15. D. de capt. et postl. reuers.* *cf.* PVFEND. *VIII. c. VIII. §. 6.* *et* VATTEL. *II. c. XVI. §. 257.*

DCXXXV.

DCXXXV.

Porro ex dictis efficitur, vt, ſi cauſſa, ob quam datus fuerat obſes ſit ſecuta, vel etiam is, cuius ad tempus redimendi gratia venerat, moriatur, ipſe ſoluto aere alieno a ſe contracto diſcedere omnino permittendus ſit. Sane iniuſtum foret, obſidem etiam ſine conſenſu ſuo, et ita alterum ex ſolo facto alterius obligari, aut eum in vnam cauſſam datum in aliam retineri poſſe.

DCXXXVI.

Nec quidquam in contrarium probat paritas pignoris, quoniam denegata illius reſtitutio ſoli noceret debitori, aſt incommoda eſſet noua haec detentio obſidi, qui eatenus fideiuſſori potius comparandus eſt. Quid quod id nimiis cauillationibus aperiret viam? Quodſi tamen contraria opinio nonnullis praeplaceret, certe ciui ita detento redemtio, et plena indemnitas a ſuo imperante indiſtinctim deberetur. *cf.* VATTEL. *II. c. XVI. §. 249.*

DCXXXVII.

Firmantur quoque pactiones publicae promiſſione adiectitia, *guarantiam* vocant, vni vel vtrique contrahentium ab extraneo populo potiſſimum facta fidem datam ſeruatum iri; qui enim hoc modo ſe in conuentionem interponit, vulgo *guarandus*, is tacitum ſimul init foedus de ope illi ferenda, qui

con-

contra pacta laederetur, aduerſus iniuriae auctorem.

DCXXXVIII.

Illud autem ex huius foederis natura intelligitur, non deberi auxilium, niſi imploretur ab indigente, nec in alia cauſſa, quam de qua conuentum eſt, nec contra alias perſonas, quibus foederati nequeunt intercedere, ne iure ſuo vtantur. Atque hoc eſt, quod aiunt guarantiam non intelligi praeſtitam, niſi ſaluo iure tertii, resque inter alios actas aliis non praeiudicare.

DCXXXIX.

Differt tamen guarantia a foedere defenſiuo, illa enim proprie alteri principali conuentioni adiicitur, hoc etiam per ſe iniri et intelligi poteſt; differt etiam a fideiuſſione, qua gens in ſubſidium ſe ſoluturam, quod altera debet, pollicetur. Commune vero id eſt omnibus hiſce conuentis, quod et eo inconſulto, de cuius fide metuitur, celebrari poſſint. *cf.* I. L. WALDNER *de Freudenſtein diſſ. de firmam. conuent. publ. Gieſſae.* 1753.

DCXL.

Obligationes et iura foederatorum ceſſare generatim remiſſione, mutuo diſſenſu, lapſu temporis, re iam peracta, atque ob alterius perfidiam, ex regulis alibi traditis abunde liquet. Speciatim porro deſinunt foedera perſonalia interitu perſonae, realia popu-

pulo penitus exſtincto. Perperam vero a mutatione rectoris ciuitatis, formae regiminis, vel diuerſo imperii modo introducto ad diſſolutionem foederis duceretur concluſio, niſi voluntas paciſcentium ad certum reipublicae ſtatum adligata fuiſſe doceatur. *v.* Liv. *V. c. I.*

DCXLI.

Remittere obligationem creditor poteſt debitori, non autem tertius, niſi iure imperii, a quo quum gentes ſint liberae, foederatus quidem ipſe recte iuri ſuo renunciat, non pro eodem alius. Et quum in ipſo foedere ſatis ſit efficaciae, durat illud etiam ſine iureiurando, quod in foro naturali ii tantum relaxant, quorum eſt vinculum iuſtitiae remittere.

DCXLII.

Regi a tota natione expulſo deberi auxilia, quae ipſe ſibi vel eius anteceſſores in hunc euentum fuerant ſtipulati, non autem ea, quae tantum contra externos hoſtes foederati promiſerant, extra dubitationem eſt; aſt ſi neutrum horum fuerit dictum, an rex exul ſuppetias a foederatis gentibus iure perfecto implorare valeat, diſputatur. Adfirmant nonnulli, quia ius regni manet penes eiectum, vtcunque poſſeſſionem amiſerit. *Vid.* Grot. *II, XVI, 17.*

DCXLIII.

DCXLIII.

Sed verior videtur negantium ſententia; qui enim genti opem ferre pollicitus eſt, is quidem in id conſenſit, vt vires ſuas cum viribus illius coniungeret, non vero vt contra easdam omnes aut maiorem partem dimicaret. Quare ratio prius obiecta id tantum euincit, foedus non prodeſſe rebelli populo, aut vſurpatori. *cf.* LIV. *XXXIV. 32.*

DCXLIV.

Quum vero expulſio rectoris ciuitati; ſemper illicita eſſe praeſumatur, vtique a gente, quae eidem ſuccurrit, rebellibus inferri iniuriam perperam arbitratur VATTELIVS *. Vrget quidem COCCEIVS, ** foedus initum eſſe cum capite et membris, igitur regem adiuuari non poſſe magis, quam ſubditos, quod neque id facere liceat, ſi duo eodem tempore foederati inter ſe decertant. Enimuero praeterquam quod Maieſtas, cui ius foederum competit, non in ſubditis eſt, ſed in Monarcha, etiam exemplum de foederatis fallit, ſi vnius cauſſa praeſumatur iniuſta.

* *II. c. XII. §. 196.*
** *Ad Grot. l. c.*

DCXLV.

Diſtant a foederibus *ſponſiones* publicae; quae ſunt conuenta a miniſtris ciuitatis de rebus ad eamdem pertinentibus ſine vllo manda-

dato imperantis et vltra fines praepoſitionis celebrata. Quoniam Magiſtratus non maiori gaudent poteſtate, quam ipſis fuit conceſſa, nec quisquam alterum inuitum pactis obligare poteſt, in aprico eſt, imperantem ex huiusmodi ſponſione, niſi expreſſa, vel tacita eius acceſſerit ratibabitio, ad nihil prorſus teneri, nec ad id, quod intereſt, nec ad rem reponendam in eum ſtatum, in quo erat ante ſponſionem. Attamen lucrum, quod ſpe ratihabitionis ex re alterius perceptum eſt, reſtitui iuſtitia naturalis exigit. *cf.* Grot. *II. XV.* §. *16. n. 1.* 2.

DCXLVI.

Rem ſaltem in priſtinum ſtatum eſſe reſtituendam plures arbitrantur; aſt hi iuſtitiam confundunt cum aequitate, cuius ſane immemores eſſe videntur gentes, quae ſponſionem non iniquam improbant. Si tamen hoc acciderit, imputare ſibi debent, qui occaſionem rei bene gerendae imprudentes incautique praetermittunt. *cf.* Liv. *IX.* 9. Sallvst. *Iug. c.* 42. *ſeqq.* Pvfend. *VIII. IX.* §. *12.*

DCXLVII.

Cui poteſtas aliqua data eſt, ei quoque conceſſa videntur illa, ſine quibus poteſtas explicari non poteſt: quare quae geruntur, intra fines mandati ſaltem taciti, ſponſiones non ſunt, ſed conuentiones publicae. Contra ſi imperans conuentionem faceret legibus fun-

fundamentalibus aduerſam, quoniam ea ſine ratihabitione populi eſſet inualida, ac nullius roboris, naturam ſponſionis indueret. *cf.* WALTHER *diſſ. de contract. ſummorum Imperant. Gieſſae 1728.*

DCXLVIII.

Quanta vero ſit ſponſorum obligatio, generatim definiri nequit, ſed ex diuerſo conuentionis modo declarari debet. Qui enim tantummodo factum incertum, et ab aliena voluntate pendens promiſerunt ſtipulantibus eius rei conſciis, omni adhibita induſtria, ne improbetur ſponſio, fidem ſuam videntur liberaſſe. At ſi rem ratam habitum iri diſerte pollicentur, ac forte praeſeferunt facultatem contrahendi publico nomine, iis, niſi certa pactitia poena defungi poſſint, omne damnum culpa, doloue datum, vel proprio aere, vel ſi hoc non ſufficiat, etiam libertate luere cogendi ſunt. *

* LIV. *IX. 5. et 10. XXI. 18. et ſupplem. lib. LV. 16.* VALER. MAX. *IV. c. 8. n. 1. cf.* VATTEL. *II. XIV.* §. 2. 11.

CAPVT XXII.

DE LEGATIONIBVS

DCXLIX.

Quoties populi liberi vel eorum rectores communicare inter se debent, debere autem saepissime de foederibus, commercio, aliisque humanitatis et iustitiae officiis supra vidimus, Ministro *internuncio* plerumque agere coguntur. Sane litteris conficere negotia res est plena ambagibus; colloquia vero cum singulis instituere, si inter ipsos principes non minoribus laborat incommodis, certe inter ciues vniuersos plane repugnat.

DCL.

Personae, quibus tamquam subditis gentes sua negotia cum aliis gentibus coram et solenniter gerenda committunt, *Legati* vel *Oratores* vocantur. Iura igitur et obligationes illorum, qui legatione seu munere legati funguntur, ex duplici officio dignoscenda sunt, nimirum procuratoris et ministri publici.

DCLI.

Ex quo recte arguitur, I. legatorum nomine haud censeri, qui subditi nullo modo sunt eius gentis, cuius agunt internun-

cios, nec qui ſubditi quidem ſunt, et negotia gentis externa tractant, ſed in territorio, nec qui extra territorium res agunt ſuae gentis, ſed ſine ſoleuni mandato; II. miſſionem in legatis non ſemper requiri, ſiquidem nonnunquam ii eliguntur, qui degunt in territorio gentis, cum qua tractare iubentur; III. feminas legationis haud eſſe incapaces.

DCLII.

Tam procurator quam miniſter publicus negotia ſibi commiſſa non proprio, ſed populi committentis iure et nomine adminiſtrant, illius ſuſtinent perſonam, hanc porro in rebus ſuae curae demandatis repraeſentant, atque iſta repraeſentationis qualitas eſt, quae legati *characterem*, quem vocant *repraeſentatitium*, conſtituit. *Vid.* CIC. *Philip. VIII. c. 8.*

DCLIII.

Eſt autem haec vis repraeſentandi alia *generalis*, et communis omnibus legatis, quae nimirum a ratione ſolius negotii, alia *ſpecialis* et arbitraria, quae ſimul a ratione dignitatis mittentis, miſſi et mittendi modo deriuatur. Variat igitur haec aeſtimatio pro diuerſitate negotiorum, formulae miſſionis et populorum moribus; hincque variis externis honorum ſignificationibus inſignis eſt.

DCLIV.

DCLIV.

Ex ea, quam dedimus, legati definitione non obscurum esse arbitramur, iure legationum illos tantum inter se gaudere, qui summae potestatis sunt compotes, siue regna sint, siue respublicae, siue proceres imperii electiui durante interregno, immo et qui dispari iunguntur foedere vel vinculo feudali. Quando vero in bellis ciuilibus duo inter se decertant regni aemuli, tum ius legationis vel a possessore, quem in re dubia sequi debent gentes, vel diuiso in duas partes populo, quoniam duae pro tempore fiunt respublicae, ab vtraque factione separatim exercetur.

DCLV.

Vnde iam facili negotio cognosci poterit, qua ratione differant a legatis veri nominis *agentes*, *deputati*, et *commissarii*; illi enim negotia imperii vel ciuium priuata, intra vel extra ciuitatem procurant, isti vero a subditis ad imperantem, et hi ab imperante ad subditos mittuntur. v. Livivs *VI. 7.*

DCLVI.

Ne autem cuique personam legati per fraudem induere liceat, oportet oratores certa quadam muniri *tessera*, quae testimonium sit publicae fidei, vnde imperans, ad quem venit legatio, cognoscere possit, quis, a quo, in quam rem, quonam denique charactere

et poteſtate legatus mittatur; quae teſſerae, quoniam inſtrumentorum tabulis ſeu codicillis publicis continentur, etiam *litterae credentiales* audiunt. Ab his vero ſecernendi ſunt illa ſcripta *mandata*, ſiue manifeſta ſint, ſiue arcana, quorum ſcopus eſt, legatos idoneis conſiliis et legibus ad negotia gerenda inſtruere.

DCLVII.

Quum tamen nemo magis alterius facto vel contractu obligetur, niſi quatenus ſe obligare velle ipſe declarauerit: ideo ſi fines mandati in litteris credentialibus expreſſos legatus egrediatur, ciuitatem mittentem non obligat. Aliud foret, ſi conuentio ſecretae tantum inſtructioni repugnaret.

DCLVIII.

His praeſtructis pronum eſt intelligere varias legatorum differentias. Qui enim perſonam et dignitatem repraeſentant mittentis cum charactere ſpeciali, ii legati *primi ordinis*, reliqui *ſecundi ordinis*, dicuntur. Porro ambo vel *ordinarii* ſunt, *adſidui*, ſeu perpetui, ſi animo reſidendi apud gentem veniant, et rebus variis obuenientibus adhibeantur, vel *extraordinarii*, temporales, ſi vnius potiſſimum negotii geſtio, veluti celebratio nuptiarum, gratulatio, illis ſit commiſſa. Denique vel cum plena mittuntur poteſtate *plenipotentiarii*, vel ſine illa *formularii* dicti; his

tra-

tractare tantum, illis etiam concludere ſub conditione, ſi ratum habeatur, licet. *Vid.* Canzivs *diſcip. mor.* §. 3415.

DCLIX.

Quoniam vero legatorum eſt, vel cum imperante, ad quem mittuntur, vel cum primariis eius miniſtris tractare negotia, facile patet, cur huic muneri praeſertim cum charactere ſpeciali illi potiſſimum ſint admouendi, qui dignitate eminent inter ſuos, ne ſecus naturali vtriusque gentis aequalitati detrahi aliquid videatur. Wolf. *I. G.* §. *1050.*

DCLX.

Is eſt, vel eſſe debet omnibus, qui legatos mittunt, propoſitus finis, vel laeſionem illatam aut inferendam auertere, vel alterum populum ſanctiore quodam amicitiae et ſocietatis gradu ſibi deuincire; igitur legationis inauditae reiectio nunc iuſtitiae ſtricte tali, nunc tantum aequitati repugnat.

DCLXI.

Aſt neutrius officii immemor eſſet gens, quae legatos cum charactere ſpeciali et rei gerendae non neceſſario, vel ab hoſtibus miſſos dicis cauſſa, vel ſibi minus gratos, eoque indignos munere, vel in rempublicam periculoſos, vel denique honeſtis conditionibus ſubſcribere nolentes aditu prohiberent. Quid! quod etiam lubenter olim receptos, cum ex iisdem cauſſis territorio amouere,

tum re iam peracta comiter dimittere licet? qui enim hodie inualuerunt legati adſidui, quoniam continua non ſunt negotia, moribus et decoro gentium arbitrario vnice debentur. *cf.* GROT. *II. XVIII.* §. *3.*

DCLXII.

Atque hoc pacto aduerſas ſibi multorum ſententias conciliari poſſe arbitramur. Neque enim admiſſio legati ſemper eſt voluntatis, vt docet GVNDLINGIVS *, nec ſemper neceſſitatis, quod DARIESIO ** viſum eſt. Scilicet a cuiusuis pendet arbitrio, alterum domo ſua recipere, cum eo colloqui, deliberare, paciſci; at ſine iniuria impediri nequeunt, ne cauſſam ſuam exponant, qui agunt de auertenda laeſione, veluti ſi bona naufragio amiſſa quaerunt, ſubditos fugitiuos perſequuntur, de re dubia tranſigere cupiunt, vel rem repetunt ex foedere.

* *I. N. c. XXXVI. §. 169.*
** *Iurispr. Vn. §. 973.*

DCLXIII.

Non ergo dicas cum GVNDLINGIO *, uti nemo cogitur, vt legatum mittat, ita nec quempiam obſtringi, vt accipiat; debitum enim exigere eſt merae facultatis, non vero debitum ſoluere. Quare in dubio legati ſaltem in finibus territorii non iure gentium voluntario, vt putat GROTIUS **, ſed iure

gen-

gentium naturali erunt audiendi. Livius *XXI. 10. XXX. 26.*

* *Loc. c.*

** *II. XVIII. §. 1.*

DCLXIV.

Commeatus est *facultas alicui facta, vt ad locum certum ire, et inde redire tuto possit* *. Nemo itaque dubitauerit, quin quod iuris vinculum gentes tenet in admissione legatorum, illud etiam in concedendo commeatu easdem obstringat. An autem et quatenus legatis per alterius populi territorium iter facere volentibus liber ac securus transitus naturaliter debeatur, vel an semper a gentis arbitrio et pacto id iuris repetendum sit, hoc traditae supra de officiis innoxiae vtilitatis regulae docebunt.

* *Vid.* Festvs *voc. remeare.*

DCLXV.

Quemadmodum dato commeatu populus pleniorem facultatem suum ingrediendi territorium indulget legato, ita acceptis literis credentialibus ius quoddam firmius personam agendi publicam, suamque ciuitatem repraesentandi eidem impertitur; tunc porro legatus non modo desideria suae gentis exponere, eius nomine promittere, acceptare, atque adeo ad mandati formulam publica pangere conuenta, sed etiam ea omnia facere posse credendus est, sine quibus delato si-

bi muneri commode praeesse non liceret. Caueant itaque summae potestates, ne hancce legatorum dignitatem et iura vel infringant ipsae, vel a suis subditis infringi patiantur.

DCLXVI.

Ast si orator sine literis commeatus alterius ingreditur territorium, iure vtitur solummodo priuati peregrini; non ergo protinus sufficerent litterae credentiales, quibus alterius gentis subditi fidem habere non tenentur. Quare si more priuati quis ab hoste veniat, vel ad hostem mittatur, illum comprehendi posse minime est dubitandum.

DCLXVII.

Quo eminentiora vero legatis competunt iura, eo grauior quoque illorum est violatio. Praeterquam quod enim cuilibet homini ius securitatis lege naturali vbique terrarum debeatur, sunt legati non modo subditi, sed etiam mandatarii alterius gentis, tum summae potestatis, cuius publica negotia administrant, effigies.

DCLXVIII.

Quamobrem quae ipsis inferuntur laesiones, non possunt non in ipsam imperantis ciuilis maiestatem redundare. Sed etiam huiusmodi facinora arctissimum laxant humanae societatis vinculum, quod nusquam fieri omnium interest populorum; et hinc mirum non est, *sanctos* semper ac inuiolabiles

les habitos esse legatos, quos ab iniuria ius gentium tutos praestat, vindicatque.

DCLXIX.

Ex quo illud iam manifesto colligitur, sanctitatem legatorum non modo gentium moribus, siue hominum praesidio munitam, sed etiam lege naturali, seu diuino iure vallatam esse, quod praesidium nec ipsis etiam hostium legatis denegatur, si semel sunt admissi. Cic. *de arusp. resp. c. XVI. cf. l. fin. D. de legation.*

DCLXX.

Violatur autem sanctitas haec legatis competens non solum dictis factisue laesionem inferentibus, verum etiam solo neglectu, si nimirum cum honore aliis ministris exhiberi solito non recipiantur. Rector enim ciuitatis alterum, cuius imaginem repraesentat orator, vt sibi aequalem spectare tenetur *cf. II. Reg X.*

DCLXXI.

Equdem maiorem esse obligationem admittentis legatum, ne eum violet, quam illorum, per quorum terras tantum transit, non est dubitandum; attamen et gentibus, quae litteas dederunt commeatus, immo et aliis, quæ legatum norunt imperantis non hostis, grauius imputatur laesio, quam si legatum ese ignorarent. Atque hoc sensu character legati vbique videtur obtinere. *cf.* Grot. *II. XVIII. §. V.*

DCLXXII.

Etſi hancce legatorum ſanctitatem nemo iam negare auſit, acriter tamen de eorum independentia in vtramque partem et rationibus et exemplis diſputatur. Sed verior nobis videtur eorum ſententia, qui legatum ab imperio et iurisdictione eius, apud quem degit, pronunciant penitus immunem.

DCLXXIII.

Primum enim oratores, proprii imperantis ſunt miniſtri, ab huius nutu pendent, eique omnium actionum ſuarum rationem reddere tenentur; dein gentem nullius arbitrio ſubiectam et cuique alteri aequalem durante legatione repraeſentant; denique non vt peregrini priuati, ſed vt perſonae publicae, quae cum extraneis in ſtatu naturali viuunt, alienum ingrediuntur territorium. Nefas igitur foret, rerum priuatarum obtentu eos in negotiis publicis gerendis perturbare.

DCLXXIV.

Sunt, qui legatorum fori priuilegium reſtringunt ad vſum et ſcopum legationum, ceteros vero priuatos actus iurisdictioni loci ſubiiciunt, tam ciuili, quam criminali, quia, vt aiunt, negotia legato demandata nihilominus perfici poſſint. * Enimuero neceſſariam non eſſe omnimodam immunitatem ad legationis eſſentiam facile largimur, at ſi nulla

la facta ſit exceptio, eam per ſe ineſſe omnino ſtatuendum eſt.

* Cocceivs *ad Grot. II. XVIII. 4.* Wolfivs *I. G. §. 1059.*

DCLXXV.

Vti enim peregrinus priuatus non niſi ſub lege ſubiectionis admitti praeſumitur, ita pro legato, qui etiam in loca tranſitus imaginem imperantis aequalis refert, contraria pugnat praeſumtio, vt quamuis ſit in territorio, tamen ſub territorio non eſſe cenſeatur, quae legati conditio *extraterritorialitas* vulgo audit, *ne ab officio ſuſcepto legationis avocetur, et ne impediatur legatio.* * Quod ipſum etiam gentium moribus comprobatum eſt, quamuis multi veteres interpretes, legibus romanis, quae de legatis vrbium municipalium loquuntur, ſint decepti. ** *cf.* Bynkersh. *de foro legat. c. VI. ſeq.*

* *L. 24. ſ. 2. et l. 26. D. de iud.*

** *L. 22. et l. 25. eod.*

DCLXXVI.

Ne tamen modo adſerta independentia in perniciem ciuitatis, in qua degunt, legati abutantur, et ſub hac tanquam vmbra impunes deliteſcant, ſufficientia adhuc lege naturali prodita ſunt remedia, quibus aequalis contra aequalem iura ſua perſequatur. Scilicet laeſione iam illata, aut contracto aere alieno, legati nunc vrbe et finibus faceſſere iu-

iubentur, nunc coram proprio conueniuntur imperante, qui si iustitiam administrare recusaret, ea adhibenda essent remedia, quae laeso in laedentem naturali iure competunt*.

* LIV. *V.* 36. GROT. *II.* 18. §. 4. WICQVEFORT. *in libro l'Ambassadeur. l. I. sect. XXVII. seqq.* VATTEL. *l. IV. c.* 7. *§.* 94. *seqq.*

DCLXXVII.

Atque in hoc quidem melior videtur esse legati conditio, quam ipsius imperantis; hunc enim in laesione deprehensum quum careat superiore, cui reddat rationem suarum actionum, meritasque persoluat poenas, remittere haud est necesse, sed statim ad praestandam debitam satisfactionem iure compelli potest.

DCLXXVIII.

Verum si laesio a legatis nulla illata sit, sed inferenda iustis ex caussis metuatur, tum periculi auertendi gratia, publica tenentur custodia, et interrogationibus subiiciuntur. Quod si in vim armatam sese efferat eorum audacia, haec etiam morte adgressoris non per modum iudicii sed per modum necessariae defensionis cohibetur. *Vid.* GROT. WICQVEFORT. et VATTEL. *ll. cc.*

DCLXXIX.

Sed etiam iuris aequalitati, vt et aliis fauoribus pro se introductis renunciare gentes possunt. Quare si sub iis tantum conditio-

tionibus admitti dicatur orator, vt vel criminali, vel ciuili, vel etiam vtrique foro territorii, ad quod accedit, subiiciatur, atque in id consentiat gens mittens, nemini est obscurum, naturalem illam, et subintellectam immunitatem restringi aut omnino cessare posse. Nec ideo tolletur legationis essentia, quae in eo saltem consistit, vt possint gentes sua desideria sibi inuicem tuto exponere.

DCLXXX.

Porro restricta censetur legati conditio, si subditus sit loci, in quo legationem obit, quum non sit in eius arbitrio priorem conditionem exuere; aut si consensu suae gentis munus quoddam in eo territorio, in quo est legatus, susceperit. Perperam vero huc referunt nonnulli ius talionis, seu paris vindictae, hanc enim, supra traditum est, fere semper legi naturali repugnare. *cf.* Bynkersh. *l. c. cap. XI. et XXIII.* Grot. *l. c. §. VII.* Valer. Max. *l. VI. c. 6. §. 2.*

DCLXXXI.

Quum admisso legato ea omnia concessa intelligantur, quae ad finem sui muneris obtinendum requiruntur, per se patet, ea, quae de sanctitate et immunitate legatorum dicta sunt, ad *comites* quoque, *vxorem*, *liberos*, *scribas*, *famulos*, *cursores*, *veredarios*, tum ad *vasa* seu suppellectilem, nec non ad *aedes*,

quas

quas inhabitat, et *currus*, quibus vtitur, pertinere. Haec enim omnia communi veniunt legationis nomine, donec legato vel perſonas acceſſorias miſſas facere, vel res alienare viſum fuerit. *V.* LIV. *l.* 24. *l.* 7. *D. ad Leg. Iul. de vi publ.*

DCLXXXII.

Itaque comites legati domeſtico ſubſunt imperio, a quo coerceri, non tamen poena capitali adfici poſſunt, ſi delinquant, ſed vel vincti mittuntur in patriam, vel iudici loci extraduntur, vt ferat ipſe ſententiam, aut latam exſecutioni mandet. Contra ſecretarius et ſcribae legationis, quum officiales ſint mittentis, non iam familiae, ſed legati iure cenſentur.

DCLXXXIII.

Quoniam vero ſolutio vectigalium non tollit aequalitatem, quae inter gentes obtinet, ea etiam a legato praeſtari debent, ſi exigantur; haec enim ipſa exactio oſtendit, eum non niſi ſub hac conditione admitti. Ex eadem quoque cauſſa merces vetitas vel periculoſas introducere ei minime eſt permiſſum.

DCLXXXIV.

Quod ad bona legati mobilia attinet, ea pignoris cauſſa, aut ad ſolutionem debiti capi non poſſunt, vt omnis vis abſit a legato, et plena ſecuritate fruatur. Quod ſi aes alienum ſoluere detrectat, ea remedia vſur-

pan-

pantur, quae aduerſus debitores extra territorium poſitos vſurpari ſolent. *Vid.* Grot. *l. c. ſ. IX.*

DCLXXXV.

At bona immobilia, quum iam antea iuri territorii fuerint ſubiecta, veniente legato naturam ſuam haud immutant. Hinc quamuis legatus proprias aedes inhabitans tutum in iis habeat praeſidium, tributa tamen eum pendere non minus oportet, quam ſi alibi haberet domicilium.

DCLXXXVI.

Poteſt etiam legatus in ſuis aedibus religionem ſuam exercere, ſed perfugium dare, et aſylum delinquentibus idem foret, ac iisdem delicti gratiam facere, et ſe alieno regimini immiſcere. Nulla igitur gens talem tenetur perferre iniuriam. Quare ad auertendum publicum periculum tentatis nequidquam mediis lenioribus, ſubditos, ni dedantur, ex aedibus legati extrahere licebit.

DCLXXXVII.

Finitur legatio, ſi negotium fuerit impletum, ſi auocetur legatus a ſuo imperante, vel ab eo, ad quem miſſus eſt, dimittatur. Non vero ſi ipſe muneri ſuo renunciauerit, quum non nudus is ſit mandatarius, ſed ſimul officialis publicus. Finitur porro morte vel legati, vel qnodammodo alterutrius ciuitatis. Etſi enim interea aut populus, aut

ſuc-

ſucceſſor in locum defuncti veniant, tamen legatio nouis literis credentialibus muniri et inſtaurari debet. Aedes autem etiam mortuo legato ſeruant immunitatem, donec ſcripturae et vaſa legationis ſint in tuto.

DCLXXXVIII.

Si bellum inter ambas gentes ante oriri contigerit, quam legati diſceſſerint, nihilominus illi ſunt inuiolabiles, eorumque laeſio *hoſtium ius, et ſacra legationis, et fas gentium rumperet* *. Ceterum priuilegia legatorum non ante exſpirant, quam dum in patriam ſunt reuerſi.

* TACIT. *Ann. I.* 42.

DCLXXXIX.

Atque haec de officiis legatorum in iure gentium naturali fundatis, dixiſſe ſufficiat; quod enim attinet legatorum numerum, ingreſſum, audientiam, primam ſalutationem, ſtipendia, titulos, gratuita hoſpitia, ceremonias, munuſcula, rationem tractandi negotia, lites de principe ſede, et alia huiusmodi, haec omnia ex pactis et moribus populorum arbitrariis repetenda ſunt. Idcirco plura de his commemorare noſtri non eſt inſtituti. *cf.* MOSER *Ius gent. temp. pac. Lib. III. c.* 1. *ſeqq.*

CA-

CAPVT XXIII.

DE EO, QVOD IVSTVM EST INTER GENTES CIRCA BELLI INITIA.

DCXC.

De bello ac variis illius diuiſionibus egimus generatim in iurisprudentia ſimpliciter naturali; reliquum eſt, vt traditas ibi regulas ex natura et notione gentis latius euoluamus. Quam in re noua ſtatim ſeſe offert belli partitio in *publicum*, *priuatum*, et *mixtum*; publicum eſt, quod inter ciuitates, *priuatum*, quod inter priuatos propria auctoritate geritur, *mixtum*, quod ex vna parte publicum eſt, ex altera priuatum.

DCXCI.

Et quia in ſocietate ciuili ius decernendi de bello non ad ſingulos ciues pertinet, ſed ad ſupremam poteſtatem, ideo ratione formae bellum publicum apud probos auctores *iuſtum* quoque, priuatum vero *iniuſtum* nuncupatur.

DCXCII.

Quamobrem etiam romani hoſtem in ſenſu ſtricto eum vocabant, qui habet *rempublicam, curiam, aerarium, conſenſum, et concordiam ciuium, et rationem aliquam, ſi res ita tulerit, pacis et foederis.* * Reliqui vero, qui

arma arripiunt, nisi necessaria subsit defensio, vel *rebelles*, vel *latrones* nominantur. Quorsum etiam magistratus, qui sine concessione imperantis saltem tacita, ac milites; si ui sine consensu praefectorum exercent hostilitates, referendi sunt.

* CICER. *Philipp. IV. c. 6. l. 19. ʃ. 2. l. 21. ʃ. 1. l. 24. D. de captiv. l. 118. de V. S.*

DCXCIII.

Sed alio significatu etiam bella publica nunc iustis nunc iniustis accensentur, prout vel cum legitima ratione, vel sine illa sunt suscepta. Quum igitur iustifica bellandi caussa sit sola laesio aliter indeclinabilis, consequens est: vt nec gentes bellum iustum gerere aliter censeantur, quam si illud remedium euaserit necessarium, quo securitatem, indemnitatem, aut defensionem iurium vel ad vniuersos simul, vel ad singulos saltem ciues pertinentium consequantur. Quare si nulla inferatur populo iniuria, aut haec aliter possit euitari, bellum fiet ratione caussae seu finis iniustum.

DCXCIV.

Ex quo prono fluit alueo, duo potissimum sub belli initiis in conspectu esse habenda, primo an vera subsit laesio, dein an non alio modo possit declinari: ac porro ad finem belli iustum spectant ea tantum, quae *defendi, repetique et vlcisci fas sit* *. Inde iu-

iustitia vel iniustitia belli, tam defensiui, quam offensiui, siue hoc *reparatiuum* fuerit, siue *punitivum*, abunde colligitur. Ceterum cognitis caussis belli iustificis, quaenam sint iniustae, contraria ratione facile concludi potest.

* Livivs *V. 49.*

DCXCV.

Inde quoque est, quod bellum iustum esse possit *ratione formae*, sed *ratione caussae* iniustum, et vicissim; immo in prima acceptione plerumque vtrinque est iustum, nunquam in secunda, iura enim non dari sibi inuicem repugnantia alibi docuimus. * Sed et bella iusta intuitu caussae saepe sunt iniqua, et *hamus aureus piscantibus.* Avr. Vict. *de mor. Imper. c. I. cf.* Grot. *II. c. 24. et* Montesqviev *Esprit des loix l. X. c. 2.*

* *Dissentit* Daries *Observ. I. N. LXVIII.*

DCXCVI.

Quamquam gentes, quae pietatem, philautiam, et humanitatem neglectui habent, etiam a iustitia strictius accepta facillime recedant, illud tamen satis cuique perspectum est, actiones impias, inhonestas, vel iniquas ab actionibus iniustis, siue laesionibus proprie discrepare. Quamobrem nec gentis idololatria, superstitio, hypocrisis, aliaque in Deum crimina, nec eiusdem stupiditas, aut rei familiaris incuria, nec denique summa in adiuuandis aliis torpedo legiti-

timae ſunt bellorum cauſſae. Atque adeo falluntur ſummopere illi, qui hoc ſenſu bella ſtatuunt punitiua.

DCXCVII.

Equidem bellum ad poenam licere docet GROTIVS *, ſi delicta manifeſtis naturae legibus aduerſentur, quem ſequitur DARIESIVS ** ex illa ratione, quod obligatio alios perficiendi ius det ad media ad hunc finem ducentia. Enimuero primo media officiis contraria eſſe non debent, dein falſum eſt, religionem et humanitatem armis promoueri.

* *II. XX. §. 38. ſeqq.*
** *Obſ. I. N. LXVI.*

DCXCVIII.

Nec quidquam iuuat aduerſarios Hebraeorum exemplum, qui varios populos facinoroſos vi deſtruxerunt. Aderat enim expreſſum Dei mandatum, quod vti per ſe non praeſumitur, ita nec falſa fingere vaticinia, nec vera in eum ſenſum detorquere licebit. GROT. *II. XXII. 15.*

DCXCIX.

Sed ex eo quoque, quod blaſphemia, et aliquando ingratitudo puniantur legibus ciuilibus, nulla poteſt duci ad bellum punitiuum concluſio. Nam poenae ideo in republica decernuntur, quod haec vitia ipſi ſunt pernicioſa ſocietati, cui ſinguli ſe ſubiecerunt ciues; vt porro ſi imperanti, cuius

eſt

eſt obligationes naturales imperfectas perfectas facere, non paruerint, poenam omnino mereantur.

DCC.

Illud tamen facile conceſſerim, cauſſam bello iuſtam praebere religionem aliis iniurioſam, veluti vt immolentur peregrini et humanae victimae; quo ſenſu Chriſtianis foedera contra in fideles ineunda, ſcilicet *graſſante armis hoſte impio*, veriſſime tradidit Grotivs * male a quibusdam reprehenſus.

* *L. II. c. XV. ſ. 4.*

DCCI.

Etſi vero concederetur expedire populo, vt alteri pareret, hocce imperium tamen nemo ſibi poteſt adrogare in inuitos, quum cogere alterum non liceat ad id, quod ipſi eſt vtile futurum, nec ſolum alterius commodum ius perfectum in eiusdem actiones nobis tribuat. Grot. *II. c. XXII. ſ. 11. ſeqq.*

DCCII.

Et quoniam qui obligationi ſuae ſatisfacit, aut iure ſuo vtitur, nemini infert laeſionem, nefas certe foret, arma aduerſus eos populos ſumere, qui bona et perſonas ſuorum ciuium, veluti nuptiis ac commerciis augere, et fines imperii occupatione, pactis, hereditatibus aliisque modis legitimis dilatare ſatagunt. Neque enim mala ſtatim

inferre velle praeſumitur, qui inferre poteſt. Quare tum demum nimiam potentiam pro futura ſecuritate imminuere licebit, ſi *formidabilis* ſit, et *tremenda*, ea ſcilicet, quae aliorum damnis creſcat, vel ſaltem animum prodat hoſtilem.

DCCIII.

Vnde iam corruit DARIESII * argumentum, quod pateat ab experientia, debiliores a potentioribus opprimi. Nam hoc verum eſt de iis, qui mediis iniuſtis nimiam potentiam ſunt adepti; ſecus ſatius fuerit, ſe domi munire, pangere foedera, petere cautiones, et ſignum hoſtilis animi praeſtolari, cetera vero diuinae committere prouidentiae.

* *obſ. LXIV.*

DCCIV.

Sane qui alterum impedit, ne vires ſuas iuſtis mediis augere poſſit, ei facit iniuriam, et ius belli tribuit, quod ratione cauſſae iuſtum eſſe nequit ex vtraque parte. Ac profecto contraria doctrina viam aperit perpetuis bellis, illudque parit abſurdum, etiam hominem debilem vel pauperem ius belli indiuitem et robuſtum ſemper habere. *v.* GROT. *II. I. ſſ. 5. & 17. II. XXII. ſſ. 5.* PVFEND. *VIII. VI. 5.*

DCCV.

Stant in *aequilibrio* gentes, quarum vires ita inter ſe ſunt diuiſae, vt aliae aliarum

im-

impetum ſuſtinere ſatis valeant. Quoniam multa et maiora fieri poſſunt potentiae incrementa ſine turbatione aliorum, ſola aequilibrii conſeruatio iuſtam non tribuit belli cauſſam, quae tum primum ſeſe exerit, quum illum, qui rumpit aequilibrium, potentia adquiſita abuti, et in aliena iura euagari velle eſt compertum. *cf.* NEVREVTER *diſſ. I. N. de iuſtis aequilibrii finibus Mogunt. 1746.*

DCCVI.

Quae quum ita ſint, id quisque exploratum habere debet, rationes ſuaſorias, quae nimirum a ſolo priuato commodo et vtilitate ducuntur, veluti cupiditate amoenioris ſedis, inuentione rerum ab aliis occupatarum, deſiderio libertatis, non ſufficere ad bellum iure inferendum; haec enim non ante deliberationem habent, quam ſi quaeratur, an ſatius ſit diſſimulare, quam depellere iniuriam. Bella autem gerere ſolius voluptatis ac vanae gloriae cauſſa, immanis feritas eſt, quae belluarum, ne dicam hominum excedit modum. IVTTIN. *XXV.*4.

DCCVII.

Itaque ius ſolius conuenientiae, ſiue opportunitatis, quam *rationem ſtatus* perperam dicunt nonnulli, merum eſt commentum; nec enim vtilitas ex parte tantum eſt metienda, ſed ex toto ac conſequentibus, ne iura ſecus fingamus repugnantia. Si vero ad id,

quod mihi ab altero tribui eſt vtile, ius habeo perfectum, alteri idcirco, quia idem a ſe non auferri ſibi expedit, ius perfectum ſit non patiendi, vt adimatur, neceſſe eſt. Quare ratio ſtatus tum demum valebit, ſi quaeratur, num bellum per ſe iuſtum etiam cum vtilitate ſuſcipi poſſit.

DCCVIII.

Quoniam autem rationes iuſtificae palam proferri, ſuaſoriae vero a belligerantibus occultari maxime ſolent, ſatis in aperto poſitum eſt, cur illae *praetextus*, hae vero *cauſſae* a POLYBIO et SVETONIO nominentur. *cf.* GROT. *II. XXII.* §. *1.*

DCCIX.

Et quum non ex quacunque laeſione, ſed ex ea demum, quae aliter declinari nequit, ius belli effloreſcat, cauebit profecto arma imperare populus, quam diu praeſidium aliud, quo ſe tueatur, inuenturus eſt. Hinc ſi de iure dubio ſit quaeſtio, et neuter litigantium idonea fungi probatione poſſit, illas inire leniores vias oportebit, quas naturae leges ſingulis hominibus nullius iurisdictioni ſubiectis praeſcribunt.

DCCX.

Etenim incommoda ſtatus naturalis, quamuis ea inter ſocios ſuſtulerit ſocietas ciuilis, inter plures tamen ciuitates hodiedum perdurant, nec eadem per commune Chri-

ſtia-

ſtianarum gentium tribunal iam a GROTIO * propoſitum, nec per comitia ſtatuum Europaeorum Abbati S. PETRI probata, nec per monarchiam vniuerſalem, quam optauerat GVNDLINGIVS**, ſatis videntur praecaueri poſſe.

* *II. XXII. §. VIII. n. 4.*

** *Diſſ. de ſtatu nat. in fin.*

DCCXI.

Igitur ad eum finem adhiberi deberent ſermones aut concilia legatorum, et ideo vel audiendus arbitrator, vel conciliatori, *mediatorem* vocant, locus in congreſſu dandus, vel etiam arbiter ſeu diſceptator depoſcendus, vt ſi non liceat litem componere, transactionem inire, facere compromiſſum, ſorti denique honeſtae rem totam committere permittatur.

DCCXII.

Ad ſortes licitas perperam refertur certamen inter ſingulos, binos, ternos, pluresue condictum ea lege, vt, cuius populi athletae illa pugna viciſſent, huic alter populus rem litigioſam praeſtaret, quaſi probatione iam ſequuta. Etſi enim innumera extant huiusmodi dimicationum exempla, tamen quum in cauſſis controuerſis leniora praeſto ſint ſortium genera, nefas foret vtrique parti ad duriora prouocare. Duellis vero proprie accenſeri nequit illa pugna, qua

populus, cuius res iam deſperata eſt, certam cladem incerto paucorum periculo redimere tentaret, hoſte hanc optionem permittente. *cf.* GROT. *II. XXIII. 10.* & *III. XX. 43.*

DCCXIII.

Equidem non pauci inueniuntur, qui, vtut damnent certamen ſingulare inter priuatos, tamen cum ALCIATO * exiſtiment, illud inter populos decerni poſſe, vt ſine magna clade et ſine multo ſanguine controuerſia finiatur. ** At ſpecioſa haec corruit argumentatio, ſi cogitemus, licere quidem inter duo mala minus eligere poſita vera conflictatione officiorum, non extra illam.

* *De duell. l. III.*

** ICKSTATT *I. G. l. IV. c. II. ʃ. 25.* DARIES *obſ. LXVIII. ʃ. 36. ſeqq.* CONCINA, *Theol. Chr. Tom. II. p. 101.*

DCCXIV.

Neque pro contraria ſententia quidquam probant pugnae Dauidis cum Goliatho, et S. Wenceslai Regis Bohemiae cum Radislao comite de Garime. Vti enim prius exemplum ſpeciali Dei inſpirationi tribuunt ſacrae litterae, ita et poſterius, ni falſa ſit tota illa hiſtoria, eidem cauſſae ab hiſtoricis adſcribitur. *cf.* P. GERDIL *traité des combats ſinguliets c. VII. p. 112.*

DCCXV.

Vbi igitur certa eſt et aliter indeclinabilis iuris gentium violatio, vel in re dubia nul-

nullus placido litem finiendi modo relinquitur locus, ius exiſtit violentae exſecutionis; in quo genere tamen illud maxime fugiendum eſt, vt ne remedia duriora prius, quam leniora impendantur, et ne belligerantes malis grauioribus, quam quae ad auertendam laeſionem neceſſariae ſint, hoſtes ſuos adficiant. Inde fit, vt populi, antequam incurſionem faciant in aduerſariorum fines, bellumque gerant offenſiuum, prius amico modo iniuriae ceſſationem poſtulent, et porro ſi fieri poſſit, ad retorſionem iuris, et pignorationes confugiant.

DCCXVI.

Fit autem iuris *retorſio*, ſi quo iure imperantes vel conciues noſtri apud extraneos vtuntur, eo et extranei apud nos vti compellantur. Hoc quemadmodum ſummam habet aequitatem, quoties vel iniquae ſunt in peregrinos leges alicuius ciuitatis, vel ſaltem a noſtris diuerſae, ita ſi ab vno populo in alterum populum vel ſingulos ciues aliquid iniurioſe decernatur, lenior haec ſaepius poteſt eſſe via, atque idonea ad bellorum ſtrages euitandas. Sint tamen ita comparati retorſionis actus, vt ad iuris laeſi expletionem, et obtinendam ſatisfactionem pertineant.

DCCXVII.

DCCXVII.

Itaque ſi ciuibus noſtris pars hereditatis detrahitur, vel cenſus imponitur emigrationis, idem cum extraneis obſeruare licebit; aut ſi noſtrates a nuptiis, muneribus, nundinis in altera ciuitate excluduntur, huius quoque ciues excludi rite poſſunt. Qua de cauſſa plures gentes ius Albinagii in Gallos antea vſurparunt. Quid vero ſi conſueti honorum tituli imperanti vel tranſitus innoxius ſubditis denegetur, nonne et aliis haec ipſa poterunt denegari?

DCCXVIII.

Sed quoniam talio ſeu par vindicta inepta eſt defenſionis ratio, manifeſtum fit, eam iure retorſionis haud contineri. Quare legatos vel obſides alienos occidere nefas foret, etſi noſtri ab aliis interficiantur. Sane huiusmodi factum malo, quod iam illatum eſt, auertendo, aut reparando minime eſſet idoneum. Nec vlla fingi ſpecies poteſt, in qua homini alterum hominem innocentem, et a quo nulla imminet laeſio, liceat ſua auctoritate trucidare. GROT. *III. II. 6.*

DCCXIX.

Pignorationes ſunt actus, quibus res vel perſonae ſubditorum populi vnius ab altero populo *prenſantur*, id eſt, pignori capiuntur, donec ſibi de iniuria ſatisfiat. Itaque duplex eſt pignorationum genus, aliud rerum

ſeu

ſeu *repreſſaliae* in ſpecie, aliud perſonarum ſeu *androlepſia.*

DCCXX.

Quum populus perſona ſit, ac corpus morale, in quo ciues ſinguli, veluti totidem membra, eorum vero bona tamquam partes in toto ciuitatis patrimonio continentur, conſequens eſt, vt ſi de mitioribus debiti conſectandi remediis deſperetur, tam repreſſaliae, quam androlepſia non tantum moribus, ſed etiam naturali gentium iure recte vſurpentur.

DCCXXI.

Obtinent potiſſimum repreſſaliae in ſpecie, ſi ſuprema gentis tribunalia legitime requiſita iuſtitiam adminiſtrare denegent, vel protrahant iniuſte. Contra ſi homines noſtri cauſſa in alterius territorio detineantur, adhibetur androlepſia. Quare bona per repreſſalias capta iure rerum oppignoratarum, perſonae vero per androlepſiam prehenſae iure obſidum cenſentur. *

* *cf.* Ziegler *de iurib. mai. I. c. 34. n. 10.*

DCCXXII.

Scilicet vti res, et operae hominis naturaliter obligatae ſunt creditoribus in ſecuritatem debiti, ita etiam obligatae ſunt res et operae ciuitatis non iure gentium arbitrario, vt putat Grotivs *, ſed neceſſario. In eo tamen eſt differentia, quod iure naturae

in

in ſpecie res auferantur tantum debitori, aſt iure naturali gentium bona ciuis pro debito ciuitatis ſint obſtricta.

* *III. II. §. 2. et §. 5. n. 2.*

DCCXXIII.

Quoniam autem ius cogendi in ciuitate eſt maieſtaticum, perſpicitur iure repreſſaliarum non gaudere niſi imperantes, vel horum auctoritate ſubditos, literis, quas vocant *marcae*, obtentis. Hinc duo ciues eiusdem ciuitatis, quum communia habeant iudicia, laederent procul dubio imperantis maieſtatem, ſi repreſſaliis inter ſe vterentur.

DCCXXIV.

Sed actio ciuis non imputatur ciuitati, niſi et haec ſit eius moralis cauſſa. Quare ciuitas non tenetur ex debito a ſuo ciue cum extraneis contracto, niſi et ipſa, veluti ius non reddendo, ſe ea de re obſtringat. Eo vero magis abſurdum foret, quosuis peregrinos vexare pignorationibus.

DCCXXV.

Et ſicut quisque expreſſe vel tacite renunciare poteſt iuri ſuo permiſſiuo, ita hoc nomine pro certis rebus vel perſonis veluti ratione depoſiti, legati, obſidis, pignorationes ſunt illicitae: ea enim eſt harum rerum vel perſonarum natura, vt quoad has populus iuri pignorandi renunciaſſe videatur. Contra ceſſare non intelligitur paullo ante

ex-

expoſita iuris retorſio, quae etiam cum legatis, obſidibus, rebusque depoſitis omnino exerceri poteſt. *cf.* GROT. *III. II. 7.*

DCCXXVI.

Laeſionem reſarcire tenetur, qui eius eſt auctor. Et ideo ſi laedatur ciuis per pignorationes, indemnitas ei debetur a propria ciuitate, nec enim ab illo, qui exercet repreſſalias, ſed ab eo, qui debitum non ſoluendo, vel ius non reddendo eſt earum cauſſa, patitur iniuriam. GROT. *III. II. §. 7. n. 4.*

DCCXXVII.

Nunc pronum erit ad grauem illam quaeſtionem reſpondere, an iuſtum ſit bellum, quod nulla praeuia clarigatione aut denunciatione eſt ſuſceptum. Quum enim *clarigatio* ſit *rerum vel cuiuscunque alterius iuris clara voce facta repetitio*, * verborum autem diſceptatio praecedere debeat decertationem per vim, abunde intelligitur, ad iuſtitiam belli offenſiui aliquam ſemper clarigationem pertinere.

* *V.* PLIN. *XXII. 2.* SERV. *ad Virg. Aen. IX. 53. et X. 14.*

DCCXXVIII.

Contra quia *bellum denunciare* populus dicitur, qui alteri populo voluntatem ius ſuum vi armata perſequendi expreſſe declarat, vtique praetermitti poterit diſerta belli denunciatio, ſi gens, quae clarigatum miſit, ius, quod

quod habet belli inferendi, iniuriae auctori ſatis promulgauerit; nec maius quoddam pondus pro auertenda laeſione in minis ineſſe ſperetur.

DCCXXIX.

Equidem omitti poſſe clarigatio viſa eſt COCCEIO *, primo iure talionis, dein ſi inutilis credatur, aut damnoſa futura, in quo et GVNERVS ** ei adſentitur. Enimuero talionem generatim iniuſtam eſſe ſupra vidimus; quis vero inutilem dixerit iuris repetitionem, ſi nusquam adhuc facta? Itaque verbis prius diſceptandum eſt quam vi; ſecus enim populus armis laceſſitus poſſet contra adgreſſorem iuſta ignorantia ſe tueri.

* *Ad Grot. III. III. 6. p. 74.*
** *Ad Darieſ. §. 962.*

DCCXXX.

Quod ſi tamen nec legatis, nec litteris vllus pateat ad hoſtem aditus, res ipſa loquitur, impoſſibilem tum eſſe clarigationem; quam neque adhibere oportebit in bello defenſiuo, quippe in quo omni eſſet deſtituta effectu.

DCCXXXI.

Ex eo vero, quod quis ius ſuum repetat, probetque, alter intelligere ſatis poteſt, modis placidis violentos eſſe ſucceſſuros; et ideo in clarigatione tacita fere belli denuntiatio continetur. Ceterum ex

ex ſcopo clarigationis manifeſtum eſt, inter hanc et belli initia tantum intereſſe tempus debere, quantum requiritur, vt alter poſſit debitum vel agnoſcere, vel denegare.

DCCXXXII.

Omiſſa autem clarigatione neceſſaria eſt belli indictio, vel ſub expreſſa conditione, *ſi non ſatisfiat*, vel etiam ſine illa, quum per ſe hujusmodi conditio ſubintelligatur, modo iuſta bellandi cauſſa fuerit addita. Non igitur quisquam iuſte ageret, qui ſub colore amicitiae vel praeſtandi auxilii accederet alienas terras, et vi bellica eas ſibi ſubiiceret. Quare nullum eſſe bellum iuſtum poteſt, niſi *quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit et indictum.* Cicer. *Off. I. 11.*

DCCXXXIII.

Sed etiam neceſſaria erit belli indictio, ſi ſpes ſit fore, vt alter metu ad ius tribuendum impellatur, aut ſi ea fuerit promiſſa. Nimis generatim vero Grotivs* adſerebat, non opus eſſe interpellatione, ſi dominus rei ſuae manum iniicere velit; quid enim, ſi res ab altero bona fide poſſideatur, nec vlla dominii probatio ſit ſequuta? Id ergo tum ſolummodo verum erit, ſi apta praeceſſerit rerum repetitio.

* *III. III. ſ. 6. n. 1.*

DCCXXXIV.

Modi bellum indicendi, ac ritus ſunt arbitrarii. Olim legatos ac praecones, hodie edicta ſeu libellos publicos, vulgo *manifeſta* adhibere ſolitum eſt, quorum inſignis in eo ſtatim ſeſe exſerit vſus, vt quisque de iuſtitia noſtrae cauſſae perſuadeatur. Solent autem ea aliquando bellum inchoatum ſubſequi, ſi facta clarigatione vlterior et aperta denuntiatio fuiſſet iuſtae cauſſae nocitura.

DCCXXXV.

Itaque non praetereunda videtur illa belli publici diuiſio, qua prout denunciatio facta eſt, vel praetermiſſa, aliud *ſolemne* dicitur, aliud non *ſolemne*, cuius diuiſionis declaratio ex iis, quae paullo ante tradita ſunt, abunde intelligitur. *cf.* IOH. CONR. LOCHE. *Diſſ. de indict. belli Altorf.* 1754.

DCCXXXVI.

Differt a belli indictione eiusdem *publicatio*. Belli enim indictio fit ab adgreſſore ei, cum quo manu armata congredi cogitat, at belli publicatio fit ab vtraque parte belligerante tam propriis ſubditis, quam etiam aliquando ſummis poteſtatibus aliis; vt illi nimirum cognoſcant, quid ſibi durante bello in perſonas et res hoſtiles liceat, et quomodo ſibi ab hoſtium impetu praecauere teneantur, hae autem ex iuſtitia cauſſae ſumant.

manti momenta nobis adſiſtendi, vel ſaltem hoſtibus noſtris nulla praeſtandi auxilia.

DCCXXXVII.

Atque hunc in finem etiam edicta ſeu *manifeſta*, et *antimanifeſta* in lucem emitti ſolent, in quibus, cur rationibus pugnandum ſit, non iniuriis, res eſt apertior quam vt probatione indigeat. Non raro quoque publicationi adduntur *literae euocatoriae*, quibus ſubditi, vt redeant ex territorio hoſtili, admonentur.

CAPVT XXIV.

DE EO, QVOD IN HOSTEM PVBLICVM LICET.

DCCXXXVIII.

Bellum publicum iuſtum quidem ratione poteſtatis, cauſſae et indictionis, tamen ratione modi, quo geritur, iniuſtum adhuc eſſe poteſt, ſi nimirum vehementiora, quam ſcopus belli poſtulat, mala hoſti inferantur: quod nonniſi propter conflictum officiorum, vbi ſcilicet impoſſibile eſt remedium lenius, maioribus malis alterum adficere ſit permiſſum.

DCCXXXIX.

Quamuis vero huius rei aestimatio in dubio a cuiusuis gentis laesae iudicio vi naturalis libertatis pendeat, et ideo etiam ius belli ad iura indefinita referendum sit; attamen vti vis omnis, quae ad iniuriam declinandam haud est accommodata, *crudelitas bellica* dicitur, et iustitiae etiam externae aduersatur, ita quoque, si remediis de se licitis populi belligerantes abutantur, poenas saltem fori interni et conscientiae haud euadent. *cf.* GROT. *L. III. c. I. et c. IV.*

DCCXL.

Ex hisce vero intelligimus, omnes molitiones, quae natura sua ita comparatae sunt, vt hosti iniusto laedendi voluntatem vel vires adimere, atque ad praestandam integram satisfactionem eum permouere possint, etiam durante conflictu officiorum, esse licitas. Quare non prius haec concertandi facultas desinit, quam si oblatis, vel acceptis, aut etiam vi extortis aequis conditionibus securitas atque indemnitas gentis laesae sit obtenta.

DCCXLI.

Sane damna quaecunque ex bello orta, quorsum subditorum et rerum iacturae, omnesque impensae bellicae pertinent, hosti iniusto imputantur; negari itaque nequit, horum etiam rationem, antequam arma deponantur, esse habendam.

DCCXLII.

DCCXLII.

Et quoniam qui ſufficiens ſit atque efficax ad ius ſuum conſequendum modus ipſe iuſtus bellator perpendere poteſt: nihil profecto intereſt, quonam loco, aut quonam tempore, porro an vi aperta, vel occulta, aut etiam alio ad hoſtem domandum idoneo momento, veluti metu, ſiti, inedia, iſtum conetur dearmare.

DCCXLIII.

Caueant tamen ſibi ciuitatum rectores et belliduces, ne iuſtam cauſſam incertae commitant aleae, et ne vita hominum aut ſangiis ſine neceſſitate profundatur; et ideo primum ingenio, arte, ac prudentia, et demum praelio, in quo *amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quam virtus**, ipſis dimicandum eſt.

* Veget. *axiom. III. 26.*

DCCXLIV.

Porrigitur autem vis bellica cum in perſonas, tum in res hoſtiles, hoc eſt, tam in omnes et ſingulos ciuitatis, cum qua bellum geritur, ſubditos ſine ſexus aut aetatis diſcrimine, quam in totum patrimonium, quod ab vniuerſis vel immediate vel etiam mediate obtinetur, quo etiam res incorporales, quaeque hoſti a tertio debita ſunt, continentur.

DCCXLV.

Contra parcendum erit peregrinis, atque eorum bonis, in ſolo hoſtili deprehenſis, ſi tamen ſe non eſſe de territorio oſtenderint. Quin etiam perſonam hoſtilem in territorio pacato deprehenſam violari vetat ius gentis, ad quam ea regio pertinet.

DCCXLVI.

Quum vero quantitas violentiae, quae in perſonas hoſtiles licet, ex remedii neceſſitate aeſtimetur, nemo non videt, eas aliquando capi, et vel ad modum androlepſiae detineri, vel etiam ad ſubiectionem ſeruilem cogi, aliquando vero, ſi nimirum ſe opponant, inuadi, vulnerari, immo et interfici poſſe. In eorum enim ſaeuire corpora, a quibus vtpote inermibus nullum metuitur periculum, ſumma foret iniuſtitia et *crudelitas bellica.*

DCCXLVII.

Igitur recte capiuntur non milites modo, qui finem belli impediunt, ſed etiam alii veluti viri dignitate conſpicui, illuſtres foeminae ac virgines, vt hoſtis ita ad eos redimendos et pacem amplectendam compellatur. Quare captiuos ſtatim ſeruos fieri nulla ſolida ratione demonſtrari poteſt.

DCCXLVIII.

At ii hoſtium ſubditi, quos exorto bello in noſtro territorio deprehendi contigerit,

rit, protinus capi minime poſſunt, ſed diſcedere volentes intra certum temporis ſpatium omnino dimittendi ſunt, ſiquidem permiſſo peregrinis ingreſſu in territorium, et tuta diſcendi facultas conceſſa eſſe intelligitur.

DCCXLIX.

Quod ſi perſonae in captiuitatem veniunt iuſtam, imperium in eas adquiſitum, niſi aliter conuentum ſit, tale eſſe praeſumitur, quale origine ſua in populo reſidebat. Quum tamen ſocietas ſine vnione voluntatum nulla intelligatur, opus ſemper eſſe aliquo conſenſu ſubiectorum facile quisque conceſſerit.

DCCL.

Quoniam omnis crudelitas a bello etiam iuſto exulare debet, ratio perſpicua reddi poterit, cur iniuſtum ſit occidere I. ſenes, effoetos, infantes, pueros, feminas, aut religionis miniſtros, qui ab omni vi abſtinent, nec vllum produnt nocendi animum; II. captos aut ſine conditione deditos, nullius praecedentis delicti reos; III. arma deponentes, vitam ſaluam pactos, aut paciſci volentes, etſi ita reliquos terrefieri opus eſſe videretur; aut IV. eos, qui fortiter reſtiterunt in obſidione, vel etiam ſine pugna ſeſe dediderunt; temeritas enim ac pertinacia bellantium aliis adhuc viis coerceri poteſt.

DCCLI.

Multa tamen eueniunt indirecte et extra agentis propositum, ad quae per se nullum competeret ius. Ita nauis, domus, vrbs petitur tormentis, etsi hac ratione et personae inermes in vitae discrimen adducantur. His igitur mala non tam inferuntur ab iusto adgressore, quam ab eo, qui sine iure resistit.

DCCLII.

Quae de personis hostium dicta sunt, eadem quoque obtinent intuitu rerum hostilium. Has enim debitas hostibus retinere, tum mobiles eripere, immobiles sibi subiicere, fortalitia expugnare, et demoliri, contributiones militares pro viribus cuiusque loci deuicti exigere, immo et totum territorium cum imperio eidem adnexo iniuriae declinandae caussa in suam potestatem redigere, seu occupatione bellica adquirere, naturae legibus minime est aduersum.

DCCLIII.

Ast nefas foret agros sine necessitate depopulari, incendere vrbes, aliasque res vastare, seu corrumpere et destruere, quarum conseruatio ad bellum faciendum, ducendum, ac renouandum nihil habet momenti, quo fere templa pertinent, imagines, sepulchra, et res, quae religionem vnice respiciunt.

DCCLIV.

DCCLIV.

Sicut perſonas hoſtiles in territorio pacato morantes violare non licet, ita et res hoſtium in terra pacata exiſtentes occupans iniuriam faceret loci domino, cuius etiam eſt pars maris tantum ad globi tormentarii iactum a territorio remota.

DCCLV.

Praeda ſunt res mobiles a militibus hoſti ablatae. Quum belli iura non vnicuique ciui competant, ſed vniuerſae genti, bona quoque, quorum praedam fecerunt milites, in gentis veniunt dominium, a cuius porro voluntate pendebit, an aliquid et quantum ſingulis praedatoribus relinquendum ſit, praeſcribere.

DCCLVI.

Sed quoniam perſonas ac res ab iniuſto hoſte ablatas iterum auferre licet, quin ambo priſtinum recuperare ſtatum, ſeu *poſtliminimin ii* iure naturaliter gaudere poſſint, non eſt dubitandum.

DCCLVII.

Simulatio, aut diſſimulatio ad hoſtem circumueniendum adhibita *ſtratagema* nuncupatur. Quum fas ſit belligerantes arte et ingenio magis, quam vi aperta dimicare; dubium non habet, licita eſſe quaecunque ſtratagemata, et hinc metum aut fugam fingi, inſolitas veſtes, arma velaque indui, im-

mo et exploratores, qui apud hoſtem clam degant, eius conſilia, vires, ſtatumque omnem expiſcentur, ac prodant, mitti recte poſſe. *cf.* POLIAENVS, VEGETIVS, FRONTINVS *de ſtratagematibus.*

DCCLVIII.

Ex his vero colligebant plerique, * etiam veneno globos, ſagittas, aquas corrumpere, et ita interimere hoſtem, porro immittere percurſores, qui fugam, ſubiectionem, amicitiam ſimulantes ex inſidiis et dolo rectorem aut belliducem exercitus hoſtilis interficiant, naturali gentium iuri haud eſſe contrarium. Enimuero vti vſus veneni mala gignit abundantia, atque immodica, ita immiſſio percurſorum remedium eſt, et vtenti maxime periculoſum, et generatim ad finem belli obtinendum minime idoneum.

* GVNDLING. *I. N. c. IX.* §. *40.* WOLF. *Inſt. I. N. et G.* §. *1209.* DARIES §. *965.* *et ibi Guner.* HEINEC. *I. N. et G.* §. *201.*

DCCLIX.

Rectius itaque alii vtramque hanc damnant bellandi rationem, quam ſane humaniorum gentium mores nuſquam comprobarunt, * vt adeo ad GROTII ** diſtinctionem, quam inter ius gentium naturale et voluntarium adduxit, confugere haud ſit neceſſe. At inopinum militis ſuperuentum ab immiſſione

per-

percuſſoris differre haud recte quisquam negauerit.

* Vattel. *III. c. VIII.* §. *155.*

** *III. c. IV.* §. *15. ſeqq.*

DCCLX.

Multo vero minus ſtupra, adulteria, aliaque huiusmodi flagitia cum victis commiſſa congruunt armorum iuri, quod nec patitur, vt feminae impurae ad inficiendum hoſtilem militem ſubmittantur. Sane et is peccat, qui alteri peccandi cauſſam dat, et ideo illicitum quoque erit, hoſtiles ſubditos ad proditionem impellere, etſi operam ab iis ſponte oblatam acceptare haud ita repugnet. *cf.* Grot. *III. I.* §. *21. et 22.*

DCCLXI.

De vſu magiae in hoſtem licito vel illicito ſaepius diſputatum eſt. Enimuero quin ad magiam naturalem recurrere liceat, nemo inficias iuerit; caetera vero magiae genera iam inania ſunt commenta *. Quod ſi quis tamen huic veritati non adſentiatur, et nos velit reſponſum dare non ſubterfugere, is cogitet, officia erga Deum negatiua monium eſſe antiquiſſima.

* *cf.* Constantin. Franc. de cavz *de cultibus magicis. Vindob. 1767.*

DCCLXII.

Inter remedia, quibus hoſtium vires franguntur, armorum auxiliarium imploratio re-

reperitur. Itaque quaelibet gens iure huiusmodi implorandi auxilia, et hinc bellicam ſocietatem ineundi, ſeu belli foedera percutiendi gaudet. Quum vero, qui meum hoſtem adiuuat, belli fiat particeps, quae hactenus de iuſto vel iniuſto hoſte tradita ſunt, ea omnia ad belli ſocios adplicanda ſunt.

DCCLXIII.

Sicut ergo praeſtare homini auxilia licet in bello iuſto ex ſolo humanae naturae vinculo, ita etiam ſuccurrere genti bello iniuſto laceſſitae omnino eſt permiſſum, etſi nullum praeceſſerit foedus; nec ideo gens iudicium in alteram gentem ſibi videtur vſurpare. Diſtinctiones a KOEHLERO adlatae * rationibus politicis magis, quam iuridicis nituntur. *V.* KEVFEL *Exer. ad Grot.* §. *38.*

* *I. N. ſp. VII.* §. *1818.*

DCCLXIV.

At contractus de praeſtandis operis militaribus tum ſolum vitio caret, ſi ſatis de iuſtitia belli conſtet. Improbum igitur eſſet militiae genus, quo peregrini mercede conducti militarent ſine vlla cauſſae cognitione. *cf.* PVFEND. *VIII. I. 8.* KEVFEL *l. c.* §. *176.*

DCCLXV.

Bellum vni genti indictum omnibus etiam eius ſociis indictum cenſetur. Diſplicet id VATTELIO *, aliisque, qui belli ſocios ab illis diſtinguunt, qui vi foederis defenſiui de-

determinata mittunt auxilia. At haec distinctio a rationibus rursum politicis potius, quam iuridicis deriuatur. *cf.* Grot. *I. c. V. §. 1. seqq. et II. c. XXV.* Kevfel §. *180. et 200.* * *III. c. VI. 95.*

DCCLXVI.

Et quoniam belli socii viribus suis physicis concurrunt ad bellum gerendum, res etiam occupatione bellica adquisitae diuidendae erunt pro rata cum illis, nisi aliter conuentum sit; quod vtique licet ad euitandas lites.

DCCLXVII.

Intercedere populi alterius armis seu eidem adsistere actio est positiua; quae requirit occasionem, de qua cuique suum permittendum est iudicium. Quemadmodum porro homines singuli, ita et gentes nullo speciali foedere obstrictae iure vtuntur *neutralitatis*, seu neutras sequendi partes.

DCCLXVIII.

Hoc qui faciunt, manent in bello medii, igitur alieni esse debent a fauore et studio partium, hoc est, nullum conatum alterutri belligeranti peculiaria praestandi auxilia praeseferre. Quod si vni parti quid permittitur velut annonae coemtio, transitus militum, et alteri idem erit permittendum,

DCCLXIX.

DCCLXIX.

Porro in bello medii pati non poſſunt, vt in ſuis territoriis hoſtis vnus res alterius capiat, vel perſonas perſequatur. Sane iuſtitia cauſſae ſufficiens ratio non eſt, ob quam quis ius in alterius non hoſtis regionem ſibi adrogare queat.

DCCLXX.

Inde quoque patet, cur qui vrbi obſeſſae aliquid ad fouendam defenſionem aduehit, medius non maneat; quapropter res eius intercipiuntur ſine iniuria. Quod ſi vero pangantur neutralitatis foedera, ſeu pacta, vt populus alteri populo non ſuppeditet auxilia bellica; non ideo quis pacata continuare commercia, vel genti cetera praeſtare officia prohibetur, quae pacis etiam tempore debentur. *cf.* GROT. *III. c. I.* §. *5. et c. XVII.* §. *1. ſeqq.* KEVF. *ad Grot.* §. *181. ſeqq.*

CAPVT XXV.

DE CONVENTIS BELLICIS ET PACTIS PACIS.

DCCLXXI.

Conuentiones, quae inter hoſtes fiunt, prout vel ſuſpendunt actus bellicos, vel finiunt, vel ad aliam quamdam praeſtationem per-

pertinent, nunc *induciae*, nunc *pactio pacis*, nunc *conuentiones bellicae* nominantur.

DCCLXXII.

Atque in hoc poſtremo genere eminent pacta de permutandis vel redimendis captiuis vulgo *cartels*, porro de pretio determinato ſeu lytro pro horum redditione ſoluendo, tum pactum deditionis, vi cuius aut certa regio, vrbs, munimentum, aut certae perſonae hoſtium poteſtati permittuntur. Quarum conuentionum quanta vis ſit, ex iis, quae alibi de pactis et de interpretatione tradita ſunt, eruendum eſt.

DCCLXXIII.

Quoniam lytrum ea lege ſoluitur, vt captiuus a captiuitate dimittatur, ſequitur, vt eo ante redemtionem mortuo nullum debeatur lytrum; contra vt ſi redemtus iterum capiatur, is ad nouam lytri praeſtationem obligetur. *cf.* HERT. *Diſſ. de lytro.*

DCCLXXIV.

Vti vero iniuſtus hoſtis homo eſſe non deſinit, nec iuris rite adquirendi moralem amittit facultatem, ita quisque hoſtilem animum deponere, ac iniuriam ſibi illatam vel penitus, vel pro parte remittere, aut etiam alteri iuri ſuo permiſſiuo renunciare poteſt. Ex quo conficitur, firma atque obligatoria eſſe debere, quaecunque de re poſſibili panguntur conuenta bellica, ſine quibus ſaepe

nec

nec medio leniori ad declinandam laeſionem vti, nec pacem niſi ſequuta vtriusque vel vnius ſaltem gentis belligerantis internecione reducere liceret.

DCCLXXV.

Non ergo cum ſtratagemate confundendum erit mendacium, atque perfidia, ſeu pacti cum hoſte durante bello initi violatio; hac enim admiſſa nullus ſane foret conducibilis bellorum exitus. Quin quo magis intereſt humanae ſocietatis haec pacta ſeruari, eo maior etiam eſt eorum ſanctitas, quae et ab obligatione imperantis erga ſuos ciues accipit incrementum.

DCCLXXVI.

Equidem iniuſtum hoſtem rebus corporalibus ac incorporalibus ſiue iuribus ſpoliare lege naturali eſt conceſſum, et hinc gens, cuius iuſta ſunt arma, nec pactis ante bellum cum hoſte initis ſtare debet, nec quod vi talium pactorum fuerat praeſtitum, adimere prohibetur, quin potius id, quod ipſa debet hoſti, cum eo, quod ſibi ab illo debetur, compenſare, vel in ſatisfactionem retinere poteſt.

DCCLXXVII.

Enimuero nihil ſane obſtat, quo minus hocce iure ſuo compenſationis vel retentionis quis ſe abdicet vel in ipſo bello, vel etiam in anteceſſum; quod ſi fuerat factum, iniu-

ſtum

ſtum foret ad ius iam remiſſum atque extinctum prouocare.

DCCLXXVIII.

Itaque inanis eſt diſtinctio Pufendorfii * inter pacta, quae ad pacem tendunt, et quae ſtatum belli relinquunt, neque ad eum tollendum ſpectant; ſemper enim verum eſt, in re pacto valido excepta ſtatum belli ceſſare.

* *VIII. c. VII.* §. 2.

DCCLXXIX.

Induciae ſunt pacta inter hoſtes de actibus bellicis ad certum tempus ſuſpendendis, eaeque vel *vniuerſales* ſunt, ſi vis bellica omnis ceſſet, atque vbique, vel *particulares*, ſi per modum priuilegii certis rebus tantum vel perſonis immunitas a vi bellica, veluti *ſalua guardia*, aut liber commeatus concedatur.

DCCLXXX.

Fiunt porro induciae vel ad breue tempus, et certi negotii peragendi cauſſa, veluti ad mortuos ſepeliendos, et dicuntur *armiſtitia*, vel etiam ad longius tempus, in quo totus belli adparatus diſſoluitur, et ſunt *induciae* ſtrictim ſumtae.

DCCLXXXI.

Vniuerſales et longas inducias faciendi ius tantum competit ſummo imperanti; aſt particulares et breues etiam miniſtri publici intra fines ſuae poteſtatis ſancire poſſunt.

Quamprimum vero induciae placuerunt, eae ſtatim promulgandae ſunt; quod enim antea infertur damnum, pro caſuali habetur, nec a contrahentibus, ſi nihil illis poſſit imputari, *nec res ablata exſtet*, erit reſarciendum. Quamuis in alia omnia GROTIVS * abeat.

* *III. XXI. ʃ. 5.*

DCCLXXXII.

Tempore induciarum plena adeſſe debet ſecuritas; quare loca incuſtodita occupari, aut vallum refici, aut auxilium vrbi laboranti mitti nequeunt, aſt moenia intra ſuos fines reparare, militem conſcribere omnino licet. Quod ſi tempus induciarum finitum ſit, hoſtilitates ſine noua belli indictione renouari poſſunt.

DCCLXXXIII.

Quando vero tempus illud ſit lapſum, ſaepe in dubium vocari poteſt. Scilicet vel tempus additur continuum, velut per XXX. dies, et tum numeratio facienda eſt ad momentum; vel certus adſignatur terminus, vti vſque ad Kalendas Ianuarii, quo caſu dies, *a quo* incipere dicitur menſura temporis, eſt etiam intra menſuram; contra dies vel menſis, vſque *ad quem* dictum eſt duraturas inducias, excluſus intelligitur. *cf.* KEVFEL *ad Grot. ʃ. 313.*

DCCXXXIV.

DCCLXXXIV.

Sicut autem priuata auctoritate induciae non ineuntur, ita etiam vis a priuatis adhibita eas rumpere non poteſt, niſi imperantis adprobatio acceſſerit. Iniuſtum itaque foret hoſtile factum a ciue commiſſum toti ciuitati imputare, et in eo praetextum recedendi ab induciis ementiri.

DCCLXXXV.

Quoniam *pactio pacis* inter gentes eſt conuentio, quae finem bello publico imponit, conſequens eſt, vt ſi fuerit inita ac promulgata, quicunque conatus mala ſibi inuicem inferendi perpetuo et in omne aeuum deſinere debeat. Et contrahentes quidem pactione pacis ſtatim obligantur, vt primum fuerit facta; horum vero ſubditi nonniſi ſequuta publicatione, vel a tempore conuento.

DCCLXXXVI.

Sed in numero pactionum pacis illud quoque continetur pactum, quo populus deuictus imperio populi victoris ſe ſubmittit, quod pactum ſubiectionis audit, tum et foedus inaequale quod nonnunquam ad tollendas hoſtilitates celebrari conſueuit.

DCCLXXXVII.

Qui iura maieſtatica exercere nequeunt, veluti reges impuberes, aut dementes, nec pacis condendae habent poteſtatem. At inuaſori, cui fidem dederunt ſubditi, quoniam

ad eum ſpectat imperii adminiſtratio, vti et regi captiuo regni patrimonialis ius ineundae pacis haud recte denegatur. Quod ſi imperans regni non patrimonialis fuerit captus, pax ab iis fieri debet, qui vel iure ſucceſſionis gaudent, vel reliquam adminiſtrant rempublicam.

DCCLXXXVIII.

Quamuis alterutrius populi belligerantis cauſſa ſemper ſit iniuſta, quum tamen id agnoſcere, aut ſaltem fateri vterque detrectet, nec vllus inter eos ſedeat iudex, res profecto careret exitu, ſi, a cuius parte ſtet veritas, decidere, et quantum quis tum ex cauſſa belli, tum pro damnis inter arma illatis petere poſſit, definire oporteret. Nulla igitur alia ſupereſt via, quam vt lis in foro externo dubia dato aliquo vel promiſſo, vel retento, hoc eſt, per transactionem finiatur.

DCCLXXXIX.

Hinc eſt, quod in conuentione pacis vel omnia eo, quo ſunt loco, relinquantur, vel in priorem reſtituantur locum, vel quaedam bello capta reddantur, alia retineantur, vel etiam alia inſuper praeſtentur. Stipulatio vero de reſtituendis bello captis ad res mobiles haud pertinet, quia has reſtituere foret impoſſibile, niſi quaedam expreſſe excipiantur.

DCCXC.

DCCXC.

Ex quibus confequitur I. vt pactio pacis iuftitiam vel iniuftitiam belli non decidat, nec de controuerfiis, quae circa facta in bello oriri poterant, pronunciet; II. vt falfa fit doctrina Coccei * dari inter gentes ius quoddam victoriae. *cf. tamen* Koehler. *l. c.* §. *1812.* Gvner *ad Daries* §. *370.*

* *Comment. ad Grot. prol.* §. *27*

DCCXCI.

Transactione facta non quaeritur, iuftane fuerit praetenfio, vel iniufta, fed an fit transactum; itaque gentes, quae litem, vnde bellum ortum eft, mutuo confenfu componunt, iuri, quod habebant res fuas vi amorum perfequendi, renunciant, et debitum fibi inuicem condonant. Iniufta porro effent arma, quae pacem rumperent, feu litem de eadem re, ob quam bellum geftum fuerat, renouarent.

DCCXCII.

At rumpi pax dici nequit fi bellum inchoetur ex alia cauffa, qualis effet et obligatio praeftandi auxilia fociis, ratione quorum nulla facta eft neutralitatis ftipulatio. Nec paci derogat foedus bellicum ictum cum alia gente, ea lege, vt fi alter populus pacem rumperet, illum adgredi, et rebus in pacis conuentione adquifitis fpoliare, easque priori poffeffori reftituere oporteat.

DCCXCIII.

Articuli pacis ſunt ſingula eius capita, in quibus de rebus praeſtandis ſingillatim eſt conuentum. Igitur ſi altera pars articulum non ſeruet, etiam altera reliquos tam connexos, quam diuiſos rumpere iure poteſt, niſi diſerta conuentione aliud placuerit. * Peccata tamen ſubditorum pacem non infringunt, niſi eorum auctor imperans fuerit.

* *cf.* Wolf. *Inſt. I. N.* *§. 1230.*

DCCXCIV.

Nec pax irrita redditur metus exceptione, vt voluit Pvfendorfivs *. Iuſtitia enim metus hic non a *cauſſa*, ſed a iure belli vtrique belligerantium competente repetenda venit. Quumque pax metu extorta ſuapte natura obliget, opus non erit, vt iureiurando ſit firmata. Quare remiſſo etiam ſacramento duraret tamen obligatio principalis, quae ab eo ſolum, cui ius quaeſitum eſt, remitti poteſt. *cf.* Koehler. *l. c.* *§. 2069.*

* *VIII. c. 8. §. 1.*

DCCXCV.

Pax, cuius celebrandae cauſſa vnica fuit dolus, pax *Antalcidae* audit. Quoniam nihil magis conſenſui aduerſatur, quam error ac dolus eſſentialis, ſine conſenu vero nulla intelligitur pactio, non obſcurum eſt, pacem antalcidae omni obligationis effectu eſſe deſtitutam.

DCCXCVI.

Amneſtia eſt malorum, quae partes belligerantes ſibi durante bello intulerunt, ſancita perpetua obliuio. Quoniam facta pace ob eamdem cauſſam bellum amplius ſuſcipere non licet, euidens eſt, in pactione pacis etiam amneſtiam pro foro externo contineri; quae tamen ad ea, quae ante vel citra bellum debentur, nequaquam porrigitur. *v.* CHR. KLÜX *Diſſ. de amneſt. Lipſ. 1736.*

DCCXCVII.

Et ſicut cum ſociis bellicis, qui pacem pangunt, idem fuit bellum. ita et illi in pactione pacis et amneſtia comprehenſi praeſumuntur, niſi et cum his peculiare fuiſſet bellum.

DCCXCVIII.

Is pacis conuentionem exſequitur, qui id facit, quod in eadem fuerat promiſſum; igitur illam vel ſtatim exſequi oportet, vel intra tempus praeſtitutum. Et quia ius populi, cui alter populus aliquid ſe daturum, vel reſtiturum promiſit, illico oritur ex transactione bellica, res etiam in eo ſtatu tradendae ſunt, in quo fuerant tempore concluſae pacis.

DCCXCIX.

Quare res vi transactionis retinendas deteriorare, corrumpere, monumenta demoliri minime licebit; immo vero iura ei cohae-

haerentia, fructus, cauſſae, et acceſſiones, omniaque incrementa a die factae promiſſionis et acceptationis pacti ſtipulanti ſunt praeſtanda. Quod ſi promittatur reſtitutio in eo, in quo ante bellum fuit, ſtatu, naiurale eſt, vt tempus quo bellum coepit initium, intelligatur.

DCCC.


Ceterum quum quo maiori infortunio quis mactat genus humanum, eo grauioris ſceleris ſit reus, nihil vero magis hominum turbet ſocietates, quam belli calamitas, vtinam qui belli ſine iuſta cauſſa gerendi aut pacis rumpendae ſuaſores ſunt, auctoresue, cogitarent prius, huiusmodi actus et operationes bellicas eſſe iniuſtas inuaſiones ac vera latrocinia: et hinc ſi hoſtes occidant, vel res illis eripiant, eſſe ſe omni priuato praedone nequiores.

DCCCI.

Illud porro SALLVSTII in animum inducant ſuum: *Omne bellum ſumi facile, ceterum aegerrime deſinere, non in eiusdem poteſtate initium eius et finem eſſe: incipere cuiuis etiam ignauo licere; deponi, cum victores velint**. Ceteroquin, etſi a nobis oſtenſum ſit, pacem armis vtut iuſtis extortam eſſe ſeruandam in foro externo, Dei tamen iudicium euadere non poterunt huiusmodi bellatores.

* SALLVST. *Bell. Iugurth. c. LXXXV.*

Errata.	Corrige.
Posit. 3. Genes. 15. - - - - - -	14.
Posit. 113. Jerem. Cap. 10. v. 5. - -	v. 2.
Posit. 211. Dan. 4. - - - - - -	6.
Rom. 8, v. 15. - - - - - -	v. 38. & 39.
Hebr. 11. v. 15. - - - - - -	v. 23.
Posit. 214. nov. 61. - - - - - -	42.
Posit. 267. Rom. 14. - - - - - -	13.
Posit. 366. 2. Reg. Cap. 19.	Cap. 24. v. 11. & sequ.
Posit. 484. *Salesius.* - - - - -	Valesius.
Posit. 604. Lib. 2. Cap. §. 112. -	§. 122.
Posit. 710. Grot. Lib. 2. Cap. 22. -	Cap. 23. §. 8. N. 4.



CAROLI ANTONII DE MARTINI

S. C. R. A. M.

IN SUPREMO JUDICIORUM TRIBUNALI A CONSILIIS AULICIS, ET P. P. O.

DE LEGE NATURALI POSITIONES



IN USUM AUDITORII VINDOBONENSIS.





VIENNÆ,

TYPIS JOSEPHI KURZBÖCK,

Cæs. Reg. Aulæ Illyrico-Orientalis, nec non Incl. Inf. Austriacæ ordin. Typogr.



MDCCLXXII



SERIES CAPITUM.

CA-



SERIES CAPITUM.

CA-



CA-

CONSPECTUS OMNIUM CAPITUM.

CAPUT I.

De Natura Statuque hominum morali.

CAPUT II.

De obligatione, lege, & jure generatim, ac singillatim Naturali.

CAPUT XX.

De jurejurando aliisque modis, quibus pacta confirmantur.

CAPUT XXI.

De modis, quibus obligationes & contractus cessant.

CAPUT XXII.

De legum & pactorum interpretatione.

CAPUT XXIII.

De remediis, quibus jus ſuum perſequi liceat in ſtatu naturali.

629.

CAPUT XXIV.

De Societate generatim.

CAPUT XXV.

De Societate Conjugali.

CA-

CAPUT XXVI.

De Societate Parentum & liberorum.

CAPUT XXVII.

766 De.

CAPUT XXVIII.

De Domo & successionis jure.



CAPUT III.

De legum Naturalium principiis ac proprietatibus.

CAPUT IV.

De juribus hominum universalibus, & eo, quod inde fluit, actionum moralium discrimine.

151.

CAPUT V.

De varia actionum moralitate, imputatione, ac conscientia.

191. *Culpa minus imputatur, quam dolus.*
192. *Actio deliberata magis, quam non deliberata.*
193. *Quando ex intentione, & proposito imputatio sumat incrementum?*
194. *Et pro gradu diligentiæ aut negligentiæ varietur?*
195. *Tum pro modo ætatis, temperaturæ, & affectuum?*
196. *Cur actio composita magis æstimetur quam simplex?*
197. *Quid forum, & quotuplex?*
198. *Existit forum conscientiæ.*
199. *Hæc antecedens est, vel consequens, theoretica, vel practica, bona, vel mala.*
200. *Recta, vel errans, probabilis, vel improbabilis, vel dubia.*
201. *Quatenus tenemur sequi dictamen conscientiæ?*
202. *Quid si fuerit errans?*
203. *Vel dubium?*
204. *Vel tantum probabile?*
205. *Cur id imprimis tenendum sit, quod verisimillimum?*
206. *Opinione minus probabili rejecta.*
207. *Quid objiciant adversarii?*
208. *Refelluntur argumenta a notione probabilis, favore libertatis, & defectu legis petita.*
209. *Tum & reliquæ fallaciæ diluuntur?*
210. *Quæ dormiens dicatur conscientia, quæ expergefacta?*

CAPUT VI.

De juris naturalis partibus atque usu.

211. *Juris prudentia definitur.*
212. *Ejus a jurisperitia, & jurisscientia discrimen.*
213. *Dividitur.*
214. *Quæ sit naturalis.*
215. *Hujus latitudo.*
216. *Perperam à quibusdam restringitur.*
217. *Societatis notio.*
218. *Jus naturæ, vel Ethicum est.*
219. *Vel Oeconomicum.*
220. *Vel Politicum.*
221. *An & privatum universale?*
222. *An Ecclesiasticum universale statuendum sit?*
223. *Quid veniat nomine juris gentium naturalis?*
224. *Differt jus naturæ à Theologia naturali.*
225. *A prudentia Ethica.*
226. *Ab Oeconomica.*
227. *Et Politica.*
228. *A jure divino positivo universali.*
229. *Quod tribus discerni solet notis.*
230. *Quamquam hoc nec ab Adamo, nec à Noacho.*
231. *Sed primum à Christo repetendum est.*
232. *Sine ulla tamen derogatione juris naturalis.*

233. *Cujus semper eximius est usus ;*
234. *Præsertim in negotiis summorum imperantium.*
235. *Ac populorum.*
236. *Etsi propria sibi condiderint jura.*
237. *Dein in Theologia dogmatica.*
238. *Ac morali.*
239. *Quæ valeat collectio à legibus sacrarum litterarum ad Jus N. ?*
240. *Quæ à permissionibus ?*
241. *Jus N. est Juris Civilis fax.*
242. *Tum juris criminalis.*
243. *Atque Ecclesiastici.*
244. *Ad illud exigendæ sunt aliæ leges, & mores populorum.*
245. *Ceteraque omnia constituenda jura.*
246. *Quæ methodus conveniat J. N. disciplinæ.*

CAPUT VII.

De ortu & progressu Jurisprudentiæ naturalis.

247. *Notitias J. N. cum ipso genere humano fuisse proditas.*
248. *Historiam hujus disciplinæ in tres partes distribui.*
249. *Præcipui illius Scriptores.*
250. *Quatenus J. N. etiam revelatione innotuerit.*
251. *Tum traditione.*
252. *An & septem præceptis Noachicis.*
253. *De semi posteris, tum Abrahami familia.*
254. *De Libro Jobi.*
255. *De Moyse & decalogi præceptis.*
256. *Quid a prophetis præstitum.*
257. *Scribas & Pharisæos rationis leges corrupisse.*
258. *De statu disciplinæ J. N. sub Chaldæis.*
259. *Sub Ægyptiis.*
260. *Tum apud Æthiopes.*
261. *Persas.*
262. *Indos.*
263. *Arabes.*
264. *Scytas hyperboreos.*
265. *Celto Scytas.*
266. *Germanos.*
267. *Sinenses.*
268. *Et Græcos ante Socratem.*
269. *De Hesiodo.*
270. *Homero.*
271. *Et septem Græciæ sapientibus.*
272. *De Æsopo.*
273. *Pythagora.*
274. *De Socratis doctrina.*
275. *De illius discipulis.*
276. *De Epicuro.*
277. *De Romanis.*
278. *De illustratione Iuris N. per legem evangelicam.*
279. *De Patribus Ecclesiæ.*
280. *Qui à calumniis vindicantur.*
281. *De meritis Scholasticorum in Iure Nat.*
282. *Qui nævi eorum opinati.*

CAPUT VIII.

De officiis erga Deum seu pietate naturali.

CAPUT IX.

De officiis erga se ipsum.

CAPUT X.

De naturali æquitate, seu de officiis imperfecti s

CAPUT XI.

De officiis erga alios absolutis perfectis.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

De Dominio & occupatione.

CAPUT XIV.

De effectibus Dominii, & accessione.

CAPUT XV.

De Pactis.

CA-

CAPUT XVI.

De possessionis jure.

CAPUT XVII.

De pactis speciatim beneficis.

CAPUT XVIII.

De Pretio.

CAPUT XIX.

De variis permutationum formis.

CA-



CAPUT I.

De Natura statuque hominum morali.

I.

Natura inde dicta est, quod *nasci aliquid faciat*, * & recte definitur, quod sit, *principium actuosum entis internum.*

II. Quod non est, producere aliquid non potest; igitur est manifestum quamdam ab æterno extitisse naturam.

III. Hæc æterna natura, si fortuita dicatur & contingens, rationem sufficientem in se ipsa non habet, ex quo consequitur, ut non tantum æternæ, sed etiam necessariæ, atque independentis naturæ existentia admittenda sit.

IV. Natura necessario & per se existens neque mutari, neque interire potest, adeoque infinita est, ac simplex, una, immensa, interminata, & omnia, quæ eidem inesse possunt, absolute sine ullo gradu simul possidens.

 V. Ne-

* Servius ad Virgil. Georg. II, 49.

V. Nemo non videt mundum eſſe ens compoſitum, ac mutabile; igitur caret proprietatibus primæ omnium naturæ.

VI. Sed nec primæva mundi ſtamina hanc ſibi vindicant dignitatem. Semper enim aliqua indigebant effectrice cauſa, ut his potius, quam tot aliis poſſibilibus concurſionibus inter ſe cohæreſcerent, atque hanc cauſam primam totius univerſi DEUM nominamus.

VII. Id ipſum ab entis infiniti poſſibilitate, a pulchritudine & ordine hujus univerſi, ab unanimi omnium populorum conſenſu, & tandem a ſumma hujus ſententiæ utilitate aliis demonſtrari poſſe viſum eſt.

VIII. Ex his patet, cur Deus, qui omnia naſci fecit, *natura naturans*, & mundus, qui vim ſibi a Deo tributam innumeris exſerit modis, *natura naturata* nominetur.

IX. Ob eandem cauſam vires motrices cujusvis entis exiſtentis *naturæ* vocantur *particulares*, quæ, quum a tota eſſentia ſeparari nequeant niſi cogitatione, ideo etiam *rei eſſentiæ* naturæ nomen tributum eſt.

X. Porro *Naturale* eſt, quidquid vel ex entis cujusdam notione ſeu conceptu primo, vel ex ejus eſſentia actu exiſtente, vel ex principio rei cujusdam actuoſo proficiſcitur: abitque in *abſolutum* & *hypotheticum*, *eſſentiale* & non *eſſentiale*, ſive *naturale in ſpecie*.

XI. Quæcunque homini competunt, ea partim ex notione *animalis*, partim ex notione

ratio-

rationalis declarari atque intelligi possunt: in his igitur posita est hominis essentia, atque natura.

XII. Rursus animalis essentia duas involvit partes corpus atque animam. Illud ex conceptu machinæ mechanico-pyrobolico-hydraulicæ sufficienter explicatur.

XIII. Sanum corpus dicitur, si singula ejus membra nativis functionibus suis efficiendis apta sint, secus est morbosum; insunt ergo corporis motibus suæ *Regulæ*, sive *Repræsentationes determinationum rationi conformium*.

XIV. Si plures ad idem præstandum tendunt, concordant, secus discordant; *variorum concordia* est PERFECTIO, *discordia* IMPERFECTIO; utraque est *essentialis*, *naturalis*, *accidentalis*, *simplex*, *composita*, *privativa* & *positiva*. Inde & de corporis perfectione judicandum.

XV. Quidquid in ente reperitur, vel est cum eo consentiens, vel non est; illud adfert perfectionem, *bonum*, hoc imperfectionem, *malum*; medium igitur inter utrumque statuere absurdum est.

XVI. Anima generatim est *ens sui rerumque extra se positarum conscium*, & teste experientia sentit, imaginatur, ac fingit.

XVII. Sensus hisce subjacet regulis, *ut si res externæ non agant in sensuum instrumenta, nunquam oriri possint ideæ seu perceptiones*; ac contra, ut *positæ in organis sensoriis, nullo morbo laborantibus, mutationi necessario respondeat idea sensualis.*

 XVIII.

XVIII. Phantaſia ad eum ſe adtemperat modum, ut *præſentibus rerum imaginibus quibuscunque aliæ vel ante ſimul hauſtæ, vel iisdem ſimiles integræ aut pro parte, ſive in vigiliis, ſive in ſomniis recurrere poſſint.*

XIX. Ut adjuvetur imaginatio, oportet ideam reproducendam *clare*, *recenter*, aut *ſæpius* percipere, aliam perceptionem eidem *ſociam* adjungere, ſenſationem *contrariam fortem* vitare, denique ad illam non niſi poſt habitas alterius generis ideas debiliores *reverti.*

XX. Obſervamus præterea in anima niſum, atque conatum, quo alias perceptiones ſenſuales reproducere, alias vero abigere molitur; ſi prius fiat, anima dicitur *appetere*, & ſi poſterius *averſari*; habet igitur appetendi, & averſandi facultatem ſenſitivam,

XXI. Eſt autem hæc appetitus regula, ut *ſimul ac objecta ſpecies cujusdam eſt, appetat omne animal, quod bonum ſibi futurum cogitat, averſeturque contraria.*

XXII. Sæpe tamen omne animal citra cogitationem ad aliquid adipiſcendum aut propulſandum ſtimulatur. Inſunt igitur in illo quædam propenſiones ſeu *ſtimuli naturales*, & *prima naturæ*, quæ ſenſum internum, dein cogitationem boni, vel mali, & demum appetitum, vel averſationem progignunt.

XXIII. Bonos eſſe hosce inſtinctus nulla dubitatio eſt, ſiquidem animantium eſſentiæ, ac conſervationi congruunt, ſed ab inclina-

tionibus adventitiis, quæque ex ſenſuum externorum perceptionibus oriuntur, probe diſtingui debent.

XXIV. Quoties appetitus, vel averſatio ſenſitiva ita augentur, ut vel unius, vel alterius detur prædominium, anima dicitur ſubeſſe *affectui* ſeu *perturbationi*.

XXV. Si vehementiores hujusmodi commotiones fiant in appetendo, affectus ſunt *grati*, ſi in averſando, *ingrati*, illi ad *lætitiam* & *cupiditatem*, hi ad *triſtitiam*, & *terrorem* reducuntur.

XXVI. Quando anima in rem aliquam neque propendet, neque ab illa abhorret, dicitur eſſe *indifferens*; ſed ſi pares aliquid optandi, aut fugiendi rationes videantur, eſt *in æquilibrio*.

XXVII. Manifeſtant ſæpe animalia habitas perceptiones, imaginationes, appetitus & affectus, & eatenus iis tribuitur *loquela*. Omnes hæ facultates utpote brutis communes vocantur *inferiores*, eas excipiunt facultates hominum propriæ *ſuperiores* adpellatæ.

XXVIII. Præſtant nimirum homines brutis, quod non modo res, quæ ſub ſenſus cadunt, ſed etiam inſenſibiles, atque incorporeas ſibi repræſentare, & hinc ad illas *attendere*, deſuper *reflectere*, & quidnam cum aliis entibus commune habeant, *intelligere* poſſint.

XXIX. Sed magis adhuc excellit animæ humanæ dignitas, quod notionum univerſa-

lium ſimilitudines videt, rerum nexum perſpicit, atque ideas diverſas inter ſe componit, & harum facultatum, id eſt *ingenii, rationis*, & *judicii* uſu rerum inter ſe repugnantiam ſeu *falſitatem*, & a repugnantia vacuitatem, verbo *veritatem* deprehendit.

XXX. Qui veritatis, aut falſitatis rationem ſufficientem reddere poteſt, is cognitionem *certam* habet, atque evidentem, qui non poteſt, ejus cognitio *incerta* eſt, & *opinio* dicitur; cognitionis abſentia eſt *ignorantia*, & ideæ ab objecto diſcrepantia, *error*.

XXXI. Facultas appetendi, & averſandi, ſi ab intellectu, ratione & judicio determinari poteſt, *voluntas* eſt & *noluntas*, ſeu declinatio; velle igitur, aut nolle in eo non concipitur, cui caret uſu rationis.

XXXII. Ratio ſufficiens volendi aut nolendi dicitur motivum, ſeu *momentum*, itaque non niſi boni convenientis, aut diſconvenientis mali judicia, volitionis, ſeu nolitionis ſunt momenta.

XXXIII. Errant ſæpe homines in judicando, quare bona tantum opinata ad vera mala, mala tantum opinata ad vera bona ſpectant: igitur etiam motiva ſunt vel *genuina*, vel *ſpuria*.

XXXIV. Bonum minus quod eſt majoris impedimentum, adfert imperfectionem, & malum minus, quod majus excludit, cauſa eſt perfectionis, tunc igitur bonum minus eſt *comparative malum*, & malum minus *comparative bonum*.

XXXV.

XXXV. Quoniam perfectio est concordia plurium in uno, consequens est, ut posita appetitus sensitivi cum rationali, aut volitionum vel nolitionum ipsarum inter se contrarietate, exsulet perfectio.

XXXVI. Fiunt in homine plurimæ mutationes, quæ si in illo ipso rationem habent sufficientem, *actiones*, si in alio *perpessiones* adpellantur. Sunt vero actiones vel in anima, vel in corpore, vel in utroque simul, id est *internæ*, *externæ*, aut *mixtæ*.

XXXVII. POSSIBILE homini generatim est, *quod nullam in eo ponit repugnantiam*, ergo physice possibile, quod viribus hominis haud repugnat. Inde patet, quid physice impossibile sit. Cujus contrarium est impossibile, id est *necessarium*, quod vero nec impossibile est nec necessarium, est *contingens*. In specie *subjective contingens* dicitur, quod ita possibile est, ut etiam ejus oppositum respectu virium nostrarum fieri possit.

XXXVIII. Impossibile, & necessarium vel *simpliciter* tale est, vel *hypothetice*, ac *cum adjunctione*, si quid aliud adipisci, aut effugere velimus. Necessitas simplex vel *interior* est, vel *exterior*, seu *coactio physica*; utraque excludit contingentiam, quæ tamen cum necessitate hypothetica perdurat.

XXXIX. PRINCIPIUM est id, quod rationem alterius in se continet, & ita dividitur, ut sit vel *possibilitatis*, vel *existentiæ*, vel

cognitionis, dein *internum*, *externum*, *efficiens*, & *removens*.

XL. SPONTANEITAS late accepta eſt *facultas entis per principium efficiens internum aliquid agendi ſine externa quadam vi*, ſtricte vero ſpontaneitas, ſeu *nudum arbitrium*, eſt quæ *ad actiones phyſice & ſubjective contingentes* competit.

XLI. Quoniam fiunt actiones in ipſo homine, gaudet hic primum ſpontaneitate latius ſumta, ſed quia in agendo attendere & reflectere, vel utrumque omittere tuto poteſt, gaudet etiam arbitrio.

XII. Quemadmodum ad voluntatem ratio, ita ad rationem attentio requiritur, ſed attentionis actus arbitrarii ſunt, ergo & voluntatis.

XIII. Quare nulla in voluntatem cadit interna neceſſitas, nec coactio phyſica, ſed quæ coacta dicitur voluntas coactionem patitur tantum hypotheticam, & cum adjunctione.

XLIV. Arbitrium, quod rationis ope determinari poteſt, liberum dicitur, ſeu LIBERTAS; homo igitur, qui rationis uſum habet, libertate eſt præditus.

XLV. Etſi vero intellectus rebus evidentibus aſſentiri, voluntas vero generatim in id inclinare, quod videtur bonum, aut fugere, quod videtur malum, debeat: ſalva tamen eſt facultas rei certitudinem penitius examinandi, tum de ejus bonitate, aut malitia peculiariter conſultandi, & ſe ſe interim cohibendi, in quo libertas ſita eſt.

XLVI. Inde fluunt novæ actionum divisiones: aliæ enim sunt *animales*, hominis, aliæ *humanæ*. Illæ iterum in nude *arbitrarias*, & *necessarias*, hæ in *intellectuales*, *voluntarias*, *liberas* aut *mixtas* abeunt. Quare intellectus, voluntas & libertas actionum humanarum sunt principia.

XLVII. Actio, quæ ab ingenti motivorum exsuperantia proficiscitur, *ultronea* est sive lubens, & plane voluntaria, secus est *invita*; quod si minis extorquetur, *invita ob violentiam secundum quid*, si ab errante, aut ignaro fuerit suscepta, *invita* per *errorem* audit.

XLVIII. In omni actione libera primo quis se ad agendum determinat, dein actionem exsequitur, quam prætermittere etiam potest, ideo libertas datur *determinationis*, *exsecutionis*, & *contradictionis*; datur & libera *cessatio*, seu non factum.

XLIX. Recensitæ hactenus humanæ dotes inutiles forent sine aliorum auxilio, quare indita est cuique socialitatis appetitio, quam summopere adjuvat facultas *Sermonis*, seu cogitata sua sonis articulatis aliisve signis clare, & distincte manifestandi.

L. Ex dictis apparet tripliciter considerari hominis naturam; I. ut est notio animalis rationalis, II. ut essentia ejusdem existens, III. ut est vis corporis ac animæ, quæ mutationum rationem continet. Atque hæ acceptiones etiam τῷ naturali applicandæ sunt.

LI. Improprie vero naturæ vocabulum pro *ingenio*, *indole*, *consuetudine*, *temperamento*, *generatione*, & *nativitate* usurpatur; hæ enim omnia nos ad aliquid faciendum proclives reddunt.

LII. Verum hæ proclivitates non ita comparatæ sunt, ut homini libertatem auferant. Potest enim principiis obstare, melius expendere agendi momenta & inclinationes malas in bonas commutare.

LIII. Ad id attendere neglexerunt non pauci, qui propriam hominis naturam, quæ in ratione posita est, cum propensionibus contractis confundere, & falso ex fundamento, quæ homini naturalia sint, deducere non dubitarunt.

LIV. STATUS est *complexus determinationum, quæ de re quadam ut existentes enuntiari possunt*; & primo in *naturalem*, & præternaturalem, seu *adventitium* abit; dein naturalis est *absolutus*, vel *hypotheticus*, tum *essentialis*, & non *essentialis*, seu naturalis in specie; uterque vero vel *internus*, vel *externus*. Et inde quid & quotuplex sit corporis, animæ & hominis status, colligendum.

LV. Præterea determinationes, quæ non pendent a libertate, statum *physicum*, quæ vero ad actiones liberas, seu MORES referuntur, statum *moralem* constituunt.* Hic iterum *consideratur* vel ut *antecedens* est actiones, vel *consequens*, tum antecedens, vel ut *perfectus* in homine rationis compote, vel *imperfectus*,** in infante aut demente. &c. CA-

* *Cicer. de Fat. init.*

** *Vid.* Exercitation. meam *de Nat. statuque hominum morali.*

CAPUT II.

De Obligatione, Lege, & Jure generatim, ac singulatim naturali.

LVI. Status animæ humanæ a situ corporis, & organorum constitutione plurimum pendet, mutabilis porro est, finitus atque contingens, & plane diversus a natura Entis Infiniti; cui ratio distinctissima, voluntas liberrima omniumque perfectionum complexus tribuendus est.

LVII. Id, propter quod causa efficiens & intelligens aliquid agit, ut ipsum sit vel fiat, *Finis* dicitur, qui vel *remotus* est, vel *intermedius*, vel *ultimus*. Quod vero rationem continet, cur finis actum consequatur, *medium* nominatur.

LVIII. Quum Deus mundi de se fortuiti causa liberrima sit ac sapientissima: fieri non potuit, ut hoc universum adeoque hominem ejusque facultates frustra e nihilo protraheret, & non ut aliquem vel remotissimum finem spectaret.

LIX. Nec difficile est etiam finem ultimum invenire, siquidem tota mundi machina Dei existentiam, æternitatem, infinitionem manifestat, quo fine quum nihil divinæ bonitati convenientius sit, omnes reliqui fines ad huncce veluti extremum scopum referuntur.

LX. Quæcunque hominis actio aliquam mutationem veluti causa effectum producit; quæ

quæ ſi cum ſcopo hominis eſſentiali conſentit, bona eſt, ſi diſſentit, mala.

LXI. Bonitas hæc & malitia rationem ſufficientem habet in ipſa actione & ex ejus notis eſſentialibus, per quas nimirum tanquam talis actio concipitur, intelligi & demonſtrari poteſt, eſt ergo naturalis atque interna.

LXII. Porro bonitas vel malitia *phyſica* eſt, quæ ex actionis *materiali*, id eſt vi, motu & arbitrio animalibus communi provenit, quæ vero ex actionis *formali*, id eſt dependentia a libertate oritur; eſt *moralis*. Neque tamen utraque bonitas vel malitia ita conjunctæ ſunt, ut una ab altera nequeat ſeparari.

LXIII. Quæ bonitate vel malitia morali non differunt actiones, eæ ſunt moraliter *indifferentes*; tunc ergo vel nulla adeſt bonitas, vel omnino par; nulla adeſt, cum ſola profertur actionis notio, & a circumſtantiis abſtracta, ut nondum intelligi poſſit, an ejus conſectaria quid adimant, vel non adimant de eo, quod per agentis eſſentiam fieri poterat.

LXIV. Nulla tamen actio libera ſingularis & in concreto conſiderata eo ſenſu eſt indifferens, ut nec bona ſit nec mala; ſiquidem inter eſſe & non eſſe conveniens cum natura, medium quoddam relinquere repugnat.

LXV. Propterea vero indifferentia actionum objectiva, quæ in æquali earum bonitate poſita eſt, non negatur; quid enim vetat plures dari ejusdem rei cauſas, plura media ad eun-

eundem finem obtinendum æque idonea, & hinc æque bona?

LXVI. Nec plus evincunt adversariorum argumenta. Quod enim ajunt: esse actiones liberas, quarum consectaria ab ente finito prævideri non semper possint, & has esse in concreto indifferentes, id verum non est; quia si ratio bonum vel malum cum actione copulatum perspicere nequeat, etiam actio eatenus libera non est.

LXVII. Corpus quoddam obligare, est, illud vinculis fortiter devincire; quod cum fit, adest vis ligans, vis quæ ligatur, nexus constrictio, certa situs & posituræ ratio, & tandem necessitas rei ligatæ imposita ad illum modum & metam hærendi.

LXVIII. Itaque actus, quo vis quædam corporea circumligatur, est *obligatio activa*; necessitas vero tali corpori imposita, motus suos ad determinatum modum attemperandi, *obligatio est passiva*; id secundum quod varia modum æquabilem accipere debent, & propositio eum modum enuntians, *norma* vel *regula* adpellatur; quare posita obligatione activa, etiam regula ponenda est.

LXIX. Jam facile comprehendimus, nec sine ligamentis obligationem activam, nec sive obligatione activa regulam ab ea pendentem intelligi atque definiri, hæc omnia tamen sine remotioribus ligamentorum caussis explicari posse. Regula actionum LEX latissime di-

dicitur; id porro, quod in regula generatim, etiam in lege obtinet.

LXX. In actiones animalium arbitrarias nulla cadit necessitas physica; cadit tamen necessitas hypothetica: nam boni ac mali repræsentatio vinculum est, quo facultas appetitiva inferior ad aliquid accipiendum vel repudiandum adstringi potest; ex quo consequitur, ut copulatio elaterum seu stimulorum cum actionibus arbitrariis, obligationis animalis activæ, propositio vero, quæ hanc obligationem enunciat, legis animalis essentiam constituant.

LXXI. Si actiones arbitrariæ sint simul liberæ, necessitas hypothetica, quæ in illas cadit, vocatur *moralis*. Igitur obligatio moralis activa est, *Connexio veri boni, aut veri mali tanquam momenti cum actione libera*; lex autem moralis, *Propositio moraliter obligatoria*, & obligatio moralis passiva: *Necessitas actiones liberas obligationi morali activæ, legique conformandi.*

LXXII. *Subjectum* obligationis moralis non sunt nisi ii, qui intellectus & voluntatis usu præditi sunt, *objectum* vero actiones tam a necessitate intestina, quam a coactione physica immunes.

LXXIII. Obligatio non est sine momentis, hæc autem in eo consistunt, ut quis boni vel mali nexum cum actione cognoscere possit. Hoc qui efficit, legem *promulgat*; nulla ergo est obligatio aut lex sine promulgatione.

LXXIV. Legis partes duæ ſunt: una determinat conſectaria tanquam motiva cum factis connexa; quæ ſi bona ſunt, *præmia*, ſi mala, *pœnæ* latiſſimo ſenſu vocantur; altera quid vi hujus vinculi agendum vel omittendum ſit enunciat. Prior eſt legis formale, obligatio, *ſanctio*, poſterior materiale, propoſitio, *edictum*.

LXXV. Qui motiva cum actionibus non connectit, ſed alteri ſignificat, ea ſibi jam copulata videri, is *conſilium* dat, perſuadet, adhortatur. Itaque conſilium per ſe non obligat.

LXXVI. Tam obligatio, quam lex in *univerſalem*, *particularem*, & *ſingularem*, dein *interiorem*, & *exteriorem* abeunt. Porro obligatio eſt *invitans*, vel *cogens*, *affirmativa*, vel *negativa*; eique lex *præmians*, vel *puniens*, *imperans*, vel *prohibens* reſpondet.

LXXVII. Et quoniam motiva creſcere ac diminui poſſunt: ideo obligatio etiam & lex nunc *una* & *ſimplex* eſt, nunc *multiplex* & *compoſita*. Porro nunc *major*, nunc *minor*, nunc *fortis*, nunc *debilis*; quare in obligatione & lege invenitur quantitas, magnitudo, atque menſura.

LXXVIII. Ubi nulla obligatio eſt, ibi nulla eſt lex; quoties alicui facere quid vel non facere permittitur, obligationi ſubjectus non eſt, igitur non dantur leges permittentes, niſi ita illas nomines, quæ ex pluribus mediis æque bonis unum indeterminatim & disjunctim præſcribunt. LXXIX.

LXXIX. Lex bonum præcipit & malum vetat, ejus ergo ſcopus eſt, ut bonum faciendo adipiſcamur perfectionem, & malum fugiendo imperfectionem evitemus; quæ vero mala jubent fieri, aut bona omitti, legis nomen non attingunt.

LXXX, Qui convenientiam actionis cum lege pro fine habet, is legem cuſtodit; tunc igitur adeſſe debet viva legum cognitio, dein conatus efficax ad eas implendas, removenda impedimenta & captandam occaſionem.

LXXXI. Contra violat legem, *peccat*, qui id facit quod vetitum, aut, quod præceptum eſt, omittit: ſive ob ignorantiam vincibilem, ſive ob defectum voluntatis efficacis, quæ remedia implendæ legis negligit, vel non tollit impedimenta, vel aptam occaſionem non arripit, vel plane adverſam inveſtigat.

LXXXII. Actionum *Rectitudo* eſt illarum conformitas cum regulis, & quidem *moralis*, ſi actiones ad libertatem referantur. Huic opponitur *Peccatum*. Recta igitur eſt actio, ſi intellectus & voluntatis adſit conſentiens uſus, ſecus eſt minus recta.

LXXXIII. Actiones rectæ ſunt *moraliter poſſibiles*, *licitæ* latius; minus rectæ autem *moraliter impoſſibiles*, *illicitæ*. Moraliter poſſibiles iterum ſunt vel moraliter *neceſſariæ*, *debitæ*, vel moraliter *contingentes*, *permiſſæ*, licitæ ſtrictius: utraque hæc poſſibilitas ratione agentis eſt *Facultas moralis*.

LXXXIV.

LXXXIV. Omne id, quod convenit, ſeu bonum eſt, JUS dicitur. Et jam pro *attributo actionis*, jam pro *lege*, jamque pro *facultate morali* uſurpatur; tertia vero ſignificatio vel ad *Jus ſtricte tale*, vel ad *Jus permiſſivum* ſeu *libertatem moralem* pertinet.

LXXXV. Jus ſtricte tale oritur ex obligatione & lege aut præceptiva, aut prohibitiva, libertas moralis ex negatione legis, ſive ex lege, ut ajunt, permiſſiva; igitur omne Jus eſt quodammodo obligationi correlatum, vel in *ſenſu ajente*, vel in *ſenſu negante.*

LXXXVI. Uſum Juris, ſive exercitationem facultatis moralis, OFFICIUM nominamus; & *rectum* quidem ex Jure ſtricte tali, *medium* ex Jure permiſſivo.

LXXXVII. Si nexus motivorum cum actione ceſſat, adeſt *obligationis liberatio*, & *lege ſolutio*: & quidem vel totius *abrogatio*, vel partis *derogatio*, vel peculiaris perſonæ *diſpenſatio*; Itaque ubi ſeparatio motivi ab actione fieri nequit, nec liberationi locus eſt.

LXXXVIII. Quando duæ leges nec mutatæ, nec alias contrariæ, caſu & eventu peculiari ita diſcrepant inter ſe, ut ambas conſervare ſit impoſſibile, oritur legum COLLISIO. Et hinc neceſſaria eſt *exceptio*, ſeu determinatio uni legi congrua, alteri vero diſconveniens propter colliſionem; ſic autem inſtitui debet, ut lex fortior debiliori ſemper præferatur.

LXXXIX. Dividitur lex ratione Legislatoris ſeu *ſubjecti* obligantis in *divinam* & *humanam*, ratione *objecti*, in quo verſatur, in *naturalem* & *poſitivam*. Natura omnis a DEO pendet, itaque lex naturalis eſt etiam divina; poſitiva vero vel *divina* vel *humana*.

XC. Argumenta, quæ ad demonſtrandam legum naturalium exiſtentiam adduci ſolent, non ejusdem ſunt ponderis; qui enim ad communem populorum perſuaſionem, aut ad ideas innatas provocant, id ſumunt, quod in quæſtione eſt. Qui vero ab hominum proclivitate nocendi atque potentia ad exiſtentem normam concludunt, naturæ legem negare potius, quam adſerere videntur.

XCI. Melius quidem ratiocinantur, qui ex fine Dei ejusque Jure in homines Divinæ cujusdam regulæ neceſſitatem & exiſtentiam colligunt; verum regulam hanc eſſe naturalem propterea non evincunt, ſiquidem poſitiva eſſe poſſet.

XCII. Teſtantur alii ratos ordines & regulas mundi phyſici: nec iis porro mundum moralem carere poſſe arguunt; dein in medium adferunt naturæ ſtimulos, qui, quum nobis imponant neceſſitatem hypotheticam aliquid faciendi vel non faciendi ex ipſa noſtra natura fluentem, naturalis legis exiſtentiam ſatis demonſtrent; aſt mechanica tantum & animalis eſt hæc lex, non moralis atque hominum propria.

XCIII. Rem igitur ii conficiunt, qui docent esse momentorum cum actionibus nostris liberis connexiones, hinc esse obligationes & leges morales, quæ, quoniam ex ipsa actionum essentia atque natura ductu rationis intelligi atque explicari possunt, sunt etiam naturales.

XCIV. Quamquam porro experimur naturales actionum consecutiones sæpe aliis fortuitis eventibus debilitari; hominis tamen ratio cum ex ipsa natura DEI & hujus universi, tum ex naturali hominis & ad Deum & ad res alias relatione intelligit, aliam vel præmiis retributionem, vel pœnæ deficientis mensuram esse expectandam.

XCV. Displicent non paucis datæ supra obligationis & legis definitiones, quod nulla in iis fiat legislatoris mentio.

XCVI. Sed duæ quæstiones sunt, quid res sit, & unde illa proficiscatur; neque opus est in effectus definitione etiam efficientem causam includere; quid? quod obligatio in interiorem & exteriorem tunc dividi amplius non posset.

XCVII. Nec propterea confundimus varias officiorum species, & multo minus concionatorum exhortationes, amicorum consilia, histrionum persuasiones, aut latronum minas obligationum numero adscribimus. *

* Cf. meam Exercitat. *De Obligatione, Lege & Jure &c.*

CAPUT III.

De legum naturalium principiis, ac proprietatibus.

XCVIII. Legum naturalium exiſtentia & proprietates pleniſſimam accipient lucem, ſi quibus illæ leges principiis innitantur, detegamus.

XCIX. Ac principium quidem *eſſendi*, ſeu poſſibilitatis *immediatum* in non repugnantia humanæ naturæ, *mediatum* vero in ipſa divini numinis eſſentia reperitur.

C. Principium autem *exiſtendi*, ſeu fiendi *proximum* ab hominis eſſentia actu exſiſtente, & *remotum* (eſt enim homini exſiſtere fortuitum atque contingens) a ſupremi Creatoris voluntate repetendum.

CI. Illud, cujus ope ad cognitionem hujus divinæ voluntatis pervenimus, dicitur principium *cognoſcendi*; eſt autem duplex prout vel *ſubjective*, vel *objective* conſideratur. Primum eſt facultas, quæ obligationes & leges naturales nos docere poteſt, alterum fons, ſeu generale axioma, ex quo omnes ac ſolæ illæ leges depromuntur.

CII. Ad principium cognoſcendi ſubjectivum primo pertinet *ſenſus moralis*, ſeu veri naturæ inſtinctus, qui nunquam penitus ſuffocantur.

CIII. Hi autem non ſufficiunt, ſed diſtinctas & plenas legum notitias ſuppeditat *Ratio*,

quæ

quæ rerum nexum & hinc boni vel mali cum actione copulationem videt, & stimulos genuinos a spuriis discernit.

CIV. Rationem vero cum dicimus, intelligitur *recta*, quæ nimirum cum hominis constitutione aliisque subjectis, in quibus versatur, conveniat, res natura copulatas conjungat, & separet natura discretas, quæ certis, & evidentibus principiis nitatur, atque ex illis legitima ratiocinatione concludat.

CV. Plurimum adjuvat rationem sufficiens attentio ad res sensibus obvias adhibita, seu *Experientia*, est porro & hæc magna obligationis & legis naturalis magistra.

CVI. Non igitur actu, sed potentia tantum innata est nobis legum naturalium cognitio, quam ab inspiratione aut revelatione speciali cum Poireto derivare, prorsus est ineptum.

CVII. Et ita simul corruit opinio eorum, qui ab auctoritate, exemplo scilicet, judicio & traditione aliorum, naturalem agendi normam esse hauriendam putant.

CVIII. Quamquam enim vitiata sit ratio a primorum parentum labe, ea tamen ablata non est, sed tantus nobis remansit illius gradus, quantus libertatis. Cur igitur non vident rationis osores se, & libertatem simul subruere?

CIX. Characteres principii cognoscendi ex quo, seu objectivi, sunt, ut sit *verum*, *perspicuum*, *adæquatum*, ne plures scilicet, aut pauciores leges contineat, quam naturales, &

 tunc

tunc erit ſimul *proprium* hujus diſciplinæ, ſeu *domeſticum*, *primum*, & *univerſale*.

CX. Multi quidem ſibi perſuaſerunt inutile eſſe tale principium invenire, quod acres de tali fonte altercationes non impedierint, ne tamen docti in concluſionibus fere conſentirent, indocti vero illas probe cognoſcerent.

CXI. Aſt ea eſt ratiocinii natura, ut univerſalem propoſitionem præmittere oporteat, quarum plures qui ſtatuunt in noſtra diſciplina, non animadvertunt, eas non poſſe inter ſe pugnare, & porro in re quadam, quæ primum ſit principium, neceſſario conſentire.

CXII. Habent quidem indocti legum naturalium notitiam & uſum, artem non habent, quæ in principiorum nexu poſita eſt; quod ſi principia non verbis tantum diſcrepent, ſed etiam re, neque in concluſionibus conſenſus adeſſe poteſt. Ceterum principio ſuo non carent reliquæ diſciplinæ.

CXIII. DEUS qua naturæ auctor voluntatem ſuam verbis non declaravit, ſed rebus ipſis & factis; quare *fines rerum a Deo conditarum, quatenus ex ipſa earum eſſentia, atque natura intelligi & actionibus noſtris liberis applicari poſſunt*, uberrimum eſſe omnis legis naturalis fontem, ſtatuendum eſt.

CXIV. Igitur actiones, *quæ cum hiſce finibus neceſſario connectuntur, lege naturali præceptæ, quæ iis repugnant, probibitæ, quæ ad eos æque bene ducunt ac aliæ, permiſſæ ſunt*; aſt hæc propoſitio

Ju-

Juris Naturæ fundamentalis a fonte prius reſerato diſtinguenda eſt.

CXV. Hominum exiſtentia, & uſus facultatum ipſis tributarum fines ſunt intermedii, divinæ autem gloriæ manifeſtatio eſt finis ultimus creationis; igitur omnia officia ad Dei *Cultum*, *Philautiam*, & *Socialitatem* revocantur.

CXVI. Hoſce Dei fines nemo negare auſit, eſt ergo principium noſtrum verum; dein illos ſola ratione quivis facile intelligit, eſt ergo evidens; tandem ex iisdem fluunt omnes obligationes naturales nec aliæ plures, ergo eſt adæquatum; hinc primum, univerſale & domeſticum.

CXVII. Qui pro principio ponunt aut convenientiam cum natura, aut veritatem realem, aut bonitatem & malitiam intrinſecam, aut amorem Dei, ſui, & proximi, aut relationem naturalem, aut Dei attributa, aut conformationem creaturæ cum Creatore, aut felicitatem, aut diſtributionem ejus, quod cuique debetur, verbis a nobis diſſentiunt, ſententiis congruunt.

CXVIII. Integrum vero diſciplinæ noſtræ ambitum non complectuntur, qui a conſervatione ſui, propria utilitate, ſocialitate, benevolentia, duratione humani generis, paceque externa ducunt naturæ leges; hi enim certum ſolummodo officiorum genus tradere voluerunt.

CXIX. Quare facile conciliari poſſunt cum noſtro pleraque principia, ſiquidem alii Dei

eſſentiam, alii voluntatem, alii rationem ſuggerunt, quia de principio eſſendi, vel exiſtendi, vel cognoſcendi *per quod* loquuntur. Alii ad alia recurrunt, prout vel totum Naturæ legum ſyſtema, vel partem tantum adornant.

CXX. Nihil vero ad principii requiſita attenderunt, qui primum, & domeſticum cognoſcendi principium in ſtatu integritatis, in ſeptem præceptis Noachicis, in Decalogo, in Evangelio, in conſenſu gentium, in potentia phyſica, in generatione, in eo, quod natura omnia animalia docuit, denique in dicto veterum: Noſce te ipſum, quæſiverunt.

CXXI. Legum naturalium proprietates ex datis antea principiis promanant. Ita quoniam earum indicia exiſtunt in natura rerum, pleniſſima autem cognitio adhibita ratione a nobismet ipſis comparari poteſt, conſequens eſt, ut *plana* ſint, *liquida* ac ſufficienter promulgata naturalia morum præcepta, hinc ut, qui ſtatum habet perfectum, illa invincibiliter ignorare nequeat. Sed excuſari ſæpe poteſt facti ignorantia, quæ primum *experientia* ſuperatur.

CXXII. Ideo certitudinem habent veritates mathematicæ, quod non ſumantur principia niſi evidentia & concluſiones inde ſyllogiſtice deducantur; idem autem obſervatur in legibus naturæ, quare *mathematica certitudo* iisdem nequit denegari.

CXXIII. Quoniam lex naturalis in ipſa hominis rerumqne eſſentia, vel abſolute, vel ſub cer-

certis circumſtantiis conſiderata rationem habet, & convenientiam vel diſconvenientiam exprimit cum perfectiſſima Dei natura; quæ omnia mutari neſcia ſunt; ſequitur, hanc legem eandem ſemper atque *immutabilem* eſſe debere.

CXXIV. Equidem imago mutationis ſæpe fallere minus attentos poſſet, quum nimirum leges, quæ nonniſi pro certis circumſtantiis latæ ſunt, ceſſante eo rerum ſtatu amplius non adparent. Revera tamen nulla fit ipſarum legum mutatio, quippe quæ poſita nova hacce periſtaſi nunquam antea exſtiterant. Sed nec in ſtatu colliſionis alterutra mutatur lex, verum caſu atque eventu impoſſibilis fit utriusque cuſtodia.

CXXV. Quidquid immutabile eſt, idem & neceſſarium eſſe oportet, ſiquidem, quod ei oppoſitum eſt, repugnat. Itaque ex naturalium legum immutabilitate illarum quoque *neceſſitas* nunc abſoluta & ſimplex, nunc ſaltem hypothetica concluditur.

CXXVI. Fuit in mente Dei ab omni æternitate boni malique diſtinctio, neque is veritates morales ex propria & hominum eſſentia fluentes alio ſibi repræſentare poterat modo, quam quo nunc ſunt; ac propterea naturæ leges etiam *æternæ* nominantur. Alia eſt legum poſitivarum ratio, quin enim diverſa earum fieri poſſet repræſentatio, nulla adparet repugnantia.

CXXVII. Quanquam enim hominem creare, vel non creare a liberrima Dei voluntate penderet, ab ea tamen non pendebat, alias, quam quæ nunc ſunt, præſcribere naturæ leges, ſed, quod bonum erat, præcipere, & quod malum, prohibere debuit, & inde plenius intelligitur, cur *moralitas actionibus noſtris ſit intrinſeca.*

CXXVIII. Falſum porro eſt, quod ajunt, ita ſummo ſcelere principium ſtatui extrinſecum, quod ſit Deo prius aut coæternum; ultima enim boni hujus vel mali ratio a conſenſione ducitur vel diſſenſione actionis cum divina eſſentia atque natura, quam libertati & voluntati præire animo concipimus.

CXXIX. Deus eſt omnis poſſibilitatis fons, itaque niſi is exiſteret, nec quidquam aliud nec intrinſece quidem eſſet poſſibile, hinc neque naturæ leges. Quum tamen, etſi quis a Deo abſtrahat, propriam naturam concipere, & quæ cum his actionibus neceſſario copulata ſunt, naturalia præmia vel pœnas, nunc magis, nunc minus efficaciter ſentire poſſit, conſequens eſt, ut inſipientes, qui naturæ Auctorem agnoſcere recuſant, tamen omne naturalis legis frænum non removeant.

CXXX. Nec obloquantur adverſarii: tunc morum præcepta conſilia potius eſſe quam leges, & neminem urgere legis cuſtodiam. Enimvero hanc urgent conſectaria cum actione copulata, quæ pœnæ ſunt vel præmii loco

loco & obligationem ac legem pariunt a consilio plane diversam.

CXXXI. Sæpe tamen actionum consectaria aliis externis & fortuitis eventibus debilitantur, ut bonis male, malis vero bene res succedant. Manca igitur foret juris naturalis sanctio, nisi a Dei bonitate & sapientia, bene vel male factorum compensatio exspectanda esset in aliqua vita futura; quod ipsum simplex & individua mentis natura ejusque ad novas semper adquirendas perfectiones capacitas arguit.

CXXXII. Fundatæ sunt naturæ leges in ipsa hominis natura, & quasvis actiones moraliter bonas, vel malas comprehendunt; primum igitur omnem hominem obligant, dein ad omnes actiones a libertate provenientes extenduntur; & hinc sunt tam subjecto, quam objecto *universales*.

CXXXIII. Sunt porro leges naturales primum *sanctæ*, quod a nemine impune possint violari, dein *faciles*, siquidem ad earum custodiam & connati stimuli, & recta ratio, & tota natura nos impellit. *Vid. Psalm. XVIII.* 8. *Matth. XI* 30.

CXXXIV. Sunt qui leges naturales esse negant, quod 1) jura sibi homines invenerint pro utilitate, 2) eaque pro morum & temporum vicibus sæpe immutentur: 3) tantum cuique juris sit, quantum potentiæ, cui resisti nequeat, 4) nec quisquam a propria obli-

gari possit ratione, 5) quo nomine non veniant nisi præconceptæ singulorum opiniones, & raro inter se congruentes. 6) Clamitant alii defecisse post Adami lapsum rationis lumen, & 7) non paucas gentes summa legum, quæ naturales dicuntur, ignorantia laborare. Sed hæc omnia satis supra explosimus. *

CAPUT IV.

De juribus hominum universalibus & quod inde fluit, actionum moralium discrimine.

CXXXV. Quoniam in notione obligationis & legis jus aliquod inesse oportet, facile patet, cur omnes homines, quod lege naturali præceptum faciendi, & quod vetitum est omittendi jura habeant stricte talia, & contra, cur, quæ eadem lege permittuntur, ea singuli ex sua voluntate determinandi libertatem moralem a natura acceperint, sive jus permissivum.

CXXXVI. Tam obligationes quam jura naturalia, vel *absoluta* sunt & *connata*, si ex natura ipsa humana generatim accepta ducantur, vel *hypothetica* & *contracta* si simul ab alia peculiari affectione, aut quodam interveniente facto pendeant; quare priora simpliciter sunt universalia, posteriora vero quodam sensu vocantur singularia.

CXXXVII.

* Cf. meam Exercitationem. *De Legum naturalium Principiis ac Proprietatibus.*

CXXXVII. Utuntur homines communi quadam eſſentia atque natura, in qua cum ſufficiens jurium connatorum ratio reperiatur, ſatis liquet, hæc in ſingulis ejusdem eſſe qualitatis & quantitatis, atque adeo tanquam prorſus ſimilia, & æqualia, ac inter ſe congrua recte cogitari.

CXXXVIII. Quapropter inter homines qua homines nec *Prærogativa*, jus unius præcipuum, ſeu, quo quis præ aliis pari ceteroquin jure utentibus gaudet, nec *Præcedentia*, jus prioritatis in ordine a pluribus ſimul obſervando, intelligi poteſt.

CXXXIX. Nulla determinatio moralis, quæ nimirum ad noſtram referatur libertatem, reperiri poteſt, cum qua non aliquod quodammodo cohæreat jus, igitur non inepta eſt altera illa ſtatus moralis definitio, quod ſit: *Complexus jurium, quibus homines actu ſunt inſtructi.*

CXL. Quoniam primigenia hominum jura prorſus ſunt æqualia, manifeſto colligitur, eos abſolute ſpectatos in ſtatu omnimodæ æqualitatis vivere, in quo, nec quod uni vetitum eſt, alteri permiſſum, nec quod uni permiſſum eſt, reliquis prohibitum aut præceptum dici poſſit; quæ vero hodie exiſtit inæqualitas, ea vel hypothetica eſt vel tantum phyſica.

CXLI. Jus actiones alterius liberas pro ſuo arbitrio ad certum quemdam finem determi-

nandi,

nandi, poteſtas aut *Imperium* nuncupatur; obligatio autem hujus modi actiones voluntati illius, qui imperio pollet, attemperandi, *Subjectionem* conſtituit, & inde quinam *imperans* dicatur, & quinam *ſubditus*, facile eſt definire.

CXLII. Ex naturali hominum æqualitate, eorum quoque *libertas a ſubjectione*, ſeu independentia ab cujusvis alterius hominis arbitrio intelligitur; quo enim jure unus alteri, ut aliquid faceret, vel non faceret, imperare vellet, eodem jure hic viciſſim illius actiones poſſet moderari, & ab eodem petere, ut ſuum ſe in agendo judicium ſequi patiatur.

CXLIII. Bona, perfectiones, atque adeo jura omnia, quæ in relatione ad certam perſonam determinata ſunt, ſeu quibus eadem jam jam inſtructa eſt, *Suum* ipſius conſtituunt; itaque ſuum a *merito* diſcernere oportet & dignitate, quod ſcilicet in aliquo determinatum non eſt, ſed eidem congruum & conveniens eſſe judicatur.

CXLIV. Itaque corpus, & anima ac ſingulæ horum facultates, tum æqualitas, libertas cæteraque cum his connexa jura ad ſuum cujusvis & quidem *naturale* pertinent; de modis vero, quibus aliquid facto comparari ſuumque alicujus *adquiſitum* fieri poſſit, infra agemus.

CXLV. Nunquam vero quod totum alienum eſt, illud ipſum eſſe meum, ſeu quod totum meum eſt, eſſe ſimul alienum poteſt;

quod

quod qui negare audent, aperte incidunt in repugnantiam, & libertatem hominum moralem ante ſtabilitam plane deſtruunt.

CXLVI. Quidquid noſtrum diminuit, id nocere, nos turbare, violare, & lædere generatim dicitur, illa autem violatio, quæ ab homine in alienum involante proficiſcitur, proprie *Læſio* nominatur, quorſum & vulgata ſpectat læſionis definitio, quod ſit: actio quæ ſuo alterius repugnat.

CXLVII. Læditur autem alter, ſi ſuum eidem ſubtrahitur, vel ponitur impedimentum; ne quis jure ſuo utatur: quorum utrumque ſi a libero ejus, qui læſit arbitrio, pendeat, læſio moralis ſtrictius, vel *Injuria* generaliter nuncupatur; ſecus eſt tantum infortunium, læſio phyſica.

CXLVIII. Inter jura connata jus quoque in ſuam conſervationem referendum eſt: quare facultas moralis ad ea cuncta nobis eſt tributa, ſine quibus huic obligationi, & officio non poſſet ſatisfieri: unde nova jura primigenia, ſcilicet *jus rerum*, *jus ſecuritatis*, *jus defenſionis*, & denique *Jus Belli* promanant.

CXLIX. Rei nomine hic venit, *Omne ens a perſona diſtinctum*, *quod nobis præſtare uſum poteſt*; quum quilibet noſtrum rebus variis, veluti cibo, potu, ac veſtimentis ad vitam tolerandam indigeat, perſpicuum eſt, nemini jus adquirendi, & adhibendi res ad ſui conſervationem neceſſarias poſſe denegari; hoc enim

enim ſublato, etiam obligatio ſe conſervandi, irrita fieret inanisque.

CL. Status in quo nullum malum imminens licet prævidere, *ſecuritas* generatim dicitur, jus autem ſecuritatis vocant jus non patiendi, ut ab altero ſibi noceatur; quoniam quilibet homo jure ſe conſervandi a natura eſt inſtructus, evidens eſt, etiam jus ſecuritatis juribus connatis eſſe adſcribendum.

CLI. Qui jus habet non patiendi, ut ab altero ſibi noceatur, eidem jus ad actiones quibus vim & injuriam præcaveat, competere neceſſe eſt; & quia actus, quo quis obnititur læſioni, *defenſio* nominatur, planum eſt cuilibet homini congenitum quoque eſſe jus defenſionis, quod ad omnia facta, ſine quibus nullus foret hujus juris uſus, porrigatur.

CLII. Quare, ſi quis eo rerum redactus ſit, ut imminens ſibi ab altero malum alia via nequeat declinare, quam ſi vim eidem adferat, & itidem mala importet, jure etiam gaudet, quo vim vi repellere, ac læſionem intentanti tot detrimenta inferre liceat, quot ſufficiant ad hoc, ut læſio etiam phyſice fiat impoſſibilis, & ab illa abſtineatur: atque iſtud eſt, quod vocant, *Jus violentiæ* ſeu *Jus cogendi* ſtrictiſſime ſumtum.

CLIII. Alterum turbare non videtur, qui ſuum tenet, igitur jus cogendi in eos ſe non exſerit, qui dum alterius perfectiones non augent, nihil tamen faciunt, per quod ipſius

per-

perfectionibus detrahatur: ſecus enim meum & tuum voces erunt inanes, & naturalis libertas evaneſcet.

CLIV. Fruſtra igitur nonnulli jus violentiæ in eos, qui plane nihil nocent, ex nuda obligatione erga ſe ipſum deduci poſſe arbitrantur: vel enim juris noſtri impedimentum ab eo venit, qui illud ponere jus non habet, & jam læſio eſt, quæ jus cogendi producit, vel vero, qui cauſa eſt impedimenti, jus ſuum uſurpat, & in hac ſpecie jus noſtrum non majorem efficaciam habere poteſt, quam vis phyſica, quæ per æqualem vim phyſicam retunditur.

CLV. Jus quod nobis reſpectu aliorum hominum competit, ſi in eo, quod noſtrum eſt, rationem habet, *Jus perfectum*, ſeu *facultas* ſtricte, nominatur; aſt ſi ex merito tantum deſcendat & dignitate, dicitur *aptitudo*, ſeu *Jus imperfectum*.

CLVI. Quoniam eos tantum cogere nobis licet, qui in id, quod noſtrum eſt, aliqua ratione involant, contra nativæ cujusvis libertati relinquendum eſt, ut circumſpiciat, an idonea nos perficiendi occaſio ei præbeatur; ideo jus perfectum vocant, *quod conjunctum eſt cum jure hominem alterum cogendi*, cui vero *jus coactionem externam adhibendi minime cohæret*; jus imperfectum: Enimvero jus perfectum eſſe aliquando inſufficiens atque inefficax,

ſive a juris cogendi exercitio ſeparari, minime repugnat.

CLVII. Igitur leges & obligationes perfectæ omnes ex ſuo alterius profluunt & in hacce propoſitione continentur: *Neminem lædas*, vel *ſinito ſuum cuique*: Contra leges & obligationes imperfectæ ex aliorum merito gignuntur & dignitate, ac in illo inſunt enunciato: *Studeas prodeſſe aliis*, ſeu *eorum utilitatibus ſervire.*

CLVIII. Jus *commune* dicitur, quod omnibus competit, Jus *proprium* vero, quod unus aut plures conjunctim ita habent, ut ceteri omnes ab eo poſſint excludi: quare jura *connata* juribus communibus, & jura adquiſita juribus propriis accenſenda ſunt; attamen uti jus, quod pluribus conjunctim proprium eſt, illud inter ipſos commune nominatur, ita & jura communia, ſi ut in ſingulis hominibus determinata ſpectantur, naturam juris proprii induunt.

CLIX. Is hominum ſtatus, qui ab omni aliorum violentia & coactione vacuus eſt, *Pax* vocatur, huic opponitur *Bellum*, ſeu ſtatus ille, in quo homines conatum efficacem produnt mala aliis inferendi per vim. Itaque habito jure violentiæ, etiam jus belli competit.

CLX. Quoniam ſtatus belli non exiſtit niſi ſuperveniente illicito quodam facto, ſatis liquet, ſtatum hominis naturalem abſolu-

tum

tum eſſe ſtatum pacis, ſtatum vero belli eſſe præternaturalem atque hypotheticum.

CLXI. Omne id, quod jure ſuſcipitur, ſeu quod legi & juri non repugnat, *Juſtum* eſt latiſſime: id ipſum dicitur *honeſtum*, quatenus ad voluntatem agentis refertur, ac porro omnium approbationem demeretur. Juſto injuſtum, honeſto inhoneſtum, ſeu turpe ſunt contraria; itaque *injuſtum* eſt, quidquid juri ac legi non congruit; *Inhoneſtum*, quod, cum agentem moraliter reddat imperfectiorem, nullius approbatione dignum eſſe poteſt.

CLXII. Quoniam vero legum & officiorum genera tribus ſummis capitibus, nimirum Dei cultu, philautia & ſocialitate conſtant, ſingula quoque propriis nominibus oportuit inſigniri; hinc, quod officiis erga Deum convenit, *pium*, quod officiis erga ſe ipſum, *honeſtum*, quod officiis erga alios, *juſtum* ſenſu minus lato adpellari conſueverunt; quorum contraria, ſcilicet *impium*, *inhoneſtum*, & *injuſtum* facile tacentibus nobis intelligentur.

CLXIII. Sed tam officia erga nosmetipſos, quam officia erga alios bifariam conſiderari poſſunt; ac illa quidem prout a ſtatu noſtro, vel interno, vel externo, hæc vero quatenus a jure alterius, aut perfecto, aut imperfecto ducuntur. Ideo in arctiſſima ſignificatione *honeſtum* dicitur, quod ſtatum noſtrum

internum perficit; *decorum*, quod ſtatui noſtro externo conſentaneum eſt, & hinc ab aliis ſenſu percipi, gratumque judicari poteſt; *juſtum*, quod ſuum alterius non violat; *æquum* denique, quod aliorum meritis congruitatque dignitati, & jam *inhoneſtum*, *indecorum*, *injuſtum*, *iniquum* ſtrictiſſime quid ſit, planum erit definire.

CLXIV. Certa agendi facilitas ac promptitudo habitum conſtituit; hic ſi in legibus cuſtodiendis adquiritur, *virtus*, ſi autem in iisdem violandis, *vitioſitas* nuncupatur; quum vero tam legum cuſtodia, quam violatio ab aliquo intellectus & voluntatis actu proficiſcatur; conſequens eſt, ut nuda omnique mentis habilitate deſtituta actionum externarum convenientia vel diſconvenientia cum lege nec virtutis nec vitioſitatis nomen mereatur.

CLXV. Quoniam multiplex habituum agendi, & legum naturalium conſideratio eſt, ideo tam virtutes philoſophicæ, quam vitia in varias formas diſpeſcuntur. Uti enim habitus, qui in edendis actionibus vel piis, vel honeſtis, vel decoris, vel juſtis, vel æquis, comparantur, ſingulari *pietatis*, *honeſtatis*, *decentiæ*, *juſtitiæ*, aut *æquitatis* veniunt nomine, ita quæ his virtutibus oppoſita ſunt vitia, ſcilicet *impietas*, *inhoneſtas*, *impudentia*, *injuſtitia*, *iniquitas*, cernuntur in habitibus contrariis; quum tamen juſti & honeſti, dein

inju-

injuſti & inhoneſti jam amplior, jamque arctior ſit ſignificatio: manifeſtum eſt, etiam juſtitiam & honeſtatem, tum injuſtitiam, & inhoneſtatem, nunc magis, nunc minus latepatere.

CLXVI. His ita expoſitis non abs re erit varia, quæ faciunt juſtitiæ genera breviter indicare: ac primo quidem eam *Univerſalem* eſſe vel *Particularem* dicunt. Illam eſſe ajunt, quæ virtutes omnes vel ſimpliciter, vel ſaltem ad aliorum perfectionem indefinite relatas complectatur; huic autem ſubjiciunt actiones, quæ juri alicujus definito & peculiari, & porro ſervandæ inter homines æqualitati congruant. Deinde particularem juſtitiam vocant *diſtributivam*, quæ in rebus ſecundum quid communibus dividendis verſetur proportione geometrica, & *commutativam*, quæ ad res proprias in alterum proportione arithmetica, adeoque ſine læſione, transferendas pertineat. Denique juſtitiam in perſolvendis præmiis *remuneratoriam*, in pœnis infligendis *ultricem*, ſeu vindicativam nuncupant.

CLXVII. Etſi vero hæc juſtitiæ diſtributio per ſe non ſit abſurda, ea tamen miris ambagibus involuta fuit & logomachiis: quare præſtat modo illam diviſionem, quæ a jure illius, cui aliquid tribuitur, deſcendit, cum Grotio uſurpare. Si nimirum juri alterius perfecto reſpondet, & hinc ſuum & faculta-

 tem

tem respicit, justitia est *expletrix*, si vero respondet juri alterius imperfecto, adeoque meritum tantum respicit & dignitatem, justitia est *attributrix.* Nec ullum reperire est justitiæ munus, quod non uno, aut altero hujus divisionis membro contineatur. Ceterum abunde patet, solam justitiam expletricem proprie & stricte justitiæ nomine venire.

CLXVIII. Porro justitiam aliam *personæ*, seu internam, aliam *actionis*, seu externam, faciunt: priorem per *habitum animi suum cuique tribuendi*, posteriorem per *nudam actionis cum lege convenientiam* definiunt. Enimvero, etsi hæc formam habet justitiæ, & similitudinem, vera tamen justitia non est; quod talis autem esse judicetur, inde evenit, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus introspicere. Ceterum duplex hæc personæ & actionis consideratio non tam justitiæ propria est, quam reliquis etiam virtutibus communis, siquidem actiones piæ, honestæ & æquæ nunc a proposito voluntatis, nunc ab alia quoque causa proficisci possunt.

CLXIX. Quemadmodum bona & recta non aliter est actio, quam si in singulis suis partibus consentit cum lege, ita *virum bonum* esse illum tantum dicimus, qui pietate, justitia, æquitate, honestate & decentia est imbutus, *justum* vero in sensu latissimo, qui nullis adhuc fœdatus est vitiis contrariis. Quum autem hæc vitia primum actionibus nostris libe-

liberis adſciſcantur, nemo a ſola natura vitioſus, fædusque eſſe intelligitur, ſed demum accedente quodam facto; hinc quilibet homo etiam eo jure connato gaudet, ut juſtus ampliſſima ſignificatione eſſe judicetur, donec ex turpibus factis de ipſius malitia & vitioſitate conſtiterit.

CAPUT V.

De varia actionum moralitate, imputatione, ac conſcientia.

CLXX. Actiones humanæ non modo ratione ſubjecti, in quo verſantur, a ſe invicem diſcrepant, ſed etiam a quantitate bonitatis vel malitiæ moralis accipiunt diſcrimen.

CLXXI. Scilicet convenientia actionum liberarum cum lege illarum rectitudinem, repugnantia vero peccatum conſtituit; ſed legis robur ex obligationis quantitate, hæc vero ex momenti cum actione copulati pondere & viribus æſtimatur; ſatis itaque liquet, nunc majores nunc minores leges a nobis poſſe cuſtodiri, aut violari, & porro tam peccata, quam recte facta, diſparia aliquando eſſe oportere.

CLXXII. Sed neque actionum bonitas, vel malitia moralis aliter intelligitur, quam ſi eædem ab agendis libertate veluti effectus a ſuo principio & cauſa proficiſcantur; quum igitur quantitas cauſæ quantitatem effectus

neceſſario determinet, & libertas, quæ arbitrio & ratione agentis conſtat, jam diminui, jamque augeri pro re nata poſſit: manifeſto apparet, varios quoque, & multiplices eſſe debere libertatis effectus; dari porro moralitatis quantitatem, atque hinc liberas actiones bonas, vel malas, alias aliis honeſtiores fieri, vel turpiores.

LLXXIII. Itaque in quantitatem moralitatis inquiſiturus, actionem liberam ad *arbitrium* & *rationem* agentis, quaſi ad pondera, atque menſuram exigere debet, illamque eo meliorem, vel pejorem judicare, I. quo magis quis ſponte ſua egit, II. quo plures habuit in ſua poteſtate actionum determinandi modos, III. quo graviora denique agendi, vel non agendi momenta perſpicere potuit. Contra tanto magis honeſtati, vel turpitudini actionis decedere tenendum eſt, quanto minus id, quod factum eſt, vel *ſpontaneum*, vel fortuitum, ſeu *contingens*, vel rationi pervium, ſeu *intelligibile* fuiſſe reperitur.

CLXXIV. Actio, vel prætermiſſio libera ſingularis, quæ ſcilicet perſona, loco, tempore, ceterisque adjunctis circumſcripta eſt, *factum* ſtrictiore ſignificatione nuncupatur: cauſa efficiens libera facti eſt *Auctor*, qui vero auctorem facti declarat, *imputare* dicitur. Itaque *imputatio* judicium eſt, quo quis actionis, vel prætermiſſionis ſingularis auctor, ſeu cauſa efficiens libera eſſe affirmatur.

CLXXV.

CLXXV. Quum autem nulla exiſtere actio moralis, aut factum poſſit, ad quod non aliquæ pertineant morales conſecutiones, præmia nimirum vel pœnæ, ſive merita generatim dicta: conſequens eſt, ut auctor facti, etiam cauſa libera moralium conſectariorum, ſeu meritorum declarandus ſit. Quare diſtinctam dant imputationis notionem ii, qui illam dicunt: *Judicium, quo factum aliquod, & ejus conſectaria ſeu merita libero alicujus arbitrio aſſignantur.*

CLXXVI. Quoniam vero ex connexione momentorum cum actionibus obligationes emergunt & leges, nemo non videt, eum, qui imputationem facit, primo examinare, & tribuere alicui factum, dein animum ad facti conſectaria, ſeu obligationem & legem reflectere, poſtea judicium, quo auctor ſanctioni legis ſubjiciatur, elicere oportere, atque idcirco imputationem alii in adplicatione legis ad factum, alii in judicio diſcurſivo, ſeu ratiocinio de moralitate actionis ſingularis collocarunt.

CLXXVII. Inter actus, ex quibus conſtat imputatio, unus eſt, quo factum, alter, quo facti merita auctori aſſignantur; priorem actum imputationem *facti*, poſteriorem imputationem *juris* nuncupant; atque inde colligunt, in quovis judicio imputatorio tres cogitatione ſaltem diſcerni poſſe perſonas, unam, quæ imputet factum, alteram, quæ

imputet jus, tertiam, cui & factum & jus imputetur; quia tamen nemini jus imputari sine facto potest, non obscurum est, imputationem facti, & imputationem juris non esse imputationis formas, sed tanquam partes ad unam plenam integramque imputationem pertinere.

CLXXVIII. Nititur itaque omnis imputatio judicio discursivo, seu ratiocinio; quod cum verum esse possit, vel falsum, consequens est, imputationem in *veram* seu rectam, & *falsam*, seu errantem non inepte distribui. Quare vera erit rectaque imputatio, si nec in idea facti, nec in idea legis, nec in utriusque inter se copulatione ulla occurrat repugnantia. Contra fallaciam instituunt in imputando, qui vel facto, vel lege, vel facti ad legem adplicatione aberrant.

CLXXIX. Prout dein facti & juris cognitio ex ratione sufficiente arcessitur, etiam imputatio *certa* alia est, alia autem *incerta*: quæ posterior, si ad veritatem accedat magis, quam recedat, verosimilis dicitur & *probabilis*, si autem ad falsitatem propendeat magis, quam ad veritatem, quamvis penitus convelli, & inter apertos errores referri non possit, tamen *improbabilis*, nec similis vero nuncupatur; atque ex his consequitur, ut primo, quo plures vel pauciores veritatis occurrunt notæ, eo *probabilior*, vel *improbabilior* fiat imputatio, dein ut tamdiu *dubia* hæc

hære-

hærere debeat atque ſuſpenſa, quamdiu rationes auctorem facti & conſectariorum affirmandi, vel negandi ſunt æquales.

CLXXX. Nunc quid imputationi ſubjectum ſit, quidve objectum, & quodnam illa habeat fundamentum, haud difficulter perſpicitur. Primo enim imputatio iis tantum fieri poteſt, qui agendi libertate ſunt inſtructi; dein in omnibus verſatur actionibus, quæ aliquam habent moralitatem; & demum a quadam ſemper pendet obligatione & lege, quibus actio imputanda comprehendatur: quare, quæ a nonnullis ſtatuitur, imputatio phyſica a recepto loquendi uſu penitus abhorret.

CLXXXI. Quæ hactenus de actione auctori imputanda generatim diximus, ea ad quamlibet cauſam liberam efficientem, ſeu ad omne auctoris genus applicanda ſunt. Eſt autem hoc duplex, quidam enim ſua tantum vi agunt, & dicuntur cauſæ actionis unicæ, ſeu *ſolitariæ*; quidam autem alteri agenti vires ſuas accommodant, & ſunt cauſæ auxiliatrices, ſeu *ſociæ*. Quum vero quæ ſociæ ſunt cauſæ, non eadem ſemper ſeſe exſerant efficacia, novæ etiam illarum naſcuntur formæ: quæ enim pari vi operantur, *æquales*, ſecus *inæquales*; dein quæ plus ad factum conferunt, *præcipuæ*, quæ minus, *adminiſtræ*; tum quæ ita actionem antecedit, ut nulla alia interjecta ſit, *proxima*, ceteræ

remo-

remotæ; denique, quæ effectum per ſe producunt, *immediatæ*, quæ per alium effectui tribuunt exiſtentiam, *mediatæ* nominantur.

CLXXXII. Ad cauſas mediatas ſeu morales in ſpecie dictas ii porro accenſentur, a quorum libertate actionem ab altero patrari, vel non patrari quodammodo pendebat, quod quidem quatuor contingere modis poteſt. I. Si nimirum quis actionis *ideam* ſermone, exemplo, aut conſilio alteri producat. II. Si illius *voluntatem* imperio, precibus, minis, palpatione ad agendum permoveat, ſollicitet, inſtiget, exhortetur; aut ſaltem agere volentem idem ſe velle declarando, ſeu adjecto conſenſu, confirmet. III. Si actionis ſuſcipiendæ, vel occultandæ locum, tempus, modum, aliave idonea ſuppeditet *remedia*. Si demum IV. actionem molienti non inferat, cum poſſet, vel verbis vel factis *impedimentum*. Hos enim cunctos influxiſſe in actionem, ejusque eſſe participes, atque conſortes manifeſtum eſt.

CLXXXIII. Quum objectum, ſeu materia, in qua verſatur imputatio, ſint tantum actiones morales, ſeu liberæ, morales autem dici nequeant, niſi ſint ſpontaneæ, contingentes, & ab homine rationis compote ſuſceptæ: conſequens eſt, ut mutationes, quæ ſine ſpontaneitate, contingentia, & intelligentia in nobis exiſtunt, imputationem non admittant, & hinc ut ex defectu SPONTANEITATIS, nec

nec I. facta unice ab altero producta, nec II. nudas perpeſſiones, nec III. actiones, ut quidam vocant, ſimpliciter coactas, nec IV. caſus fortuitos, ſeu eventus ex *fortuna*, hoc eſt, ex improviſo, aut ſaltem inevitabili cauſarum nexu emergentes, nobis in præmium, aut in pœnam imputari oporteat.

CLXXXIV. Et quia actiones vel ſimpliciter neceſſariæ, vel ſimpliciter impoſſibiles carent CONTINGENTIA, aperte colligitur, neminem eorum declarari auctorem poſſe, quæ vel in ipſo fiunt neceſſitate inteſtina, vel facere is prætermittit, quoties nulla reperitur agendi occaſio, aut imbecillitas naturalis, quam ſcilicet ſuperare non eſt in noſtra poteſtate poſitum, obſiſtit: ſi enim vires ſuas quis libere detriverit, ſibique ademerit potentiam agendi, quin ejusmodi prætermiſſiones ad illius referantur libertatem, & porro ei imputentur, non eſt dubitandum.

CLXXXV. Denique ex defectu INTELLIGENTIÆ I. actiones, quas quis in ſtatu morali imperfecto veluti furore, infantia, dementia patravit, reſpuunt imputationem. II. Quod ipſum de illis mutationibus dicendum eſt, quæ vel ex inſuperabili juris, aut facti ignorantia, vel III. ex ſumma ebrietate involuntaria, vel ex dormientis phantaſmate ſeu ſomnio, ſecluſa ratiocinandi facultate, obveniunt: ubi vero veritatem magis perſpicere, & a noxio potu ſibi cavere, aut ima-

gines

gines in dormiendo reproductas non copulare, a libero agentis pendebat arbitrio, adeſt jam moralis actionum cauſa, cui morales etiam effectus aſſignandi ſunt.

CLXXXVI. Viſa hactenus imputationis materia ſequitur, ut etiam de ejusdem quantitate diſſeramus; cauſa nimirum & fundamentum, ob quod imputari facta poſſunt, eſt eorum moralitas, quæ ipſa in proventu actionum a libertate collocatur, quia vero ex quantitate cauſæ quantitatem effectus oportet dimetiri, palam eſt menſuram imputationis in magnitudine, & gradu moralitatis adeoque & libertatis contineri; unde conſequitur, ut eo magis minusve quis ſit actionis auctor, & hinc eo majore vel minore præmio, aut pœna dignus judicandus, quo ampliore & anguſtiore arbitrio & ratione in agendo eſt potitus.

CLXXXVII. Arbitrium vi quadam efficiente interna ſeſe exſerere ſupra eſt oſtenſum, quum autem hæc interna vis eo major eſſe debeat, quo plura inveſtiganda ſunt agendi remedia, aut tollenda impedimenta: conſequens eſt, ut actiones faciles, & ad quas commoda, atque idonea ſe præbet occaſio, minus imputandæ ſint, quam difficiles, quæque non antea patrantur, quam occaſione circumſpecta. Et quia extrinſeci eventus ac circumſtantiæ, quæ nos ad aliquid faciendum vel non faciendum hortantur, partem occa-

ſionis

ſionis conſtituunt, illud etiam conficitur, eo minus imputari factum vel non factum, quo plures exſtiterant hujusmodi extrinſecæ ſtimulantes cauſæ, & contra tanto magis utriusque imputationem augeri, quo fortiora præſto fuerant momenta, quæ impellebant auctorem, ut ageret potius contrarium.

CLXXXVIII. Ex eodem principio colligimus, cur actiones ultroneæ, lubentes ex voluptate atque extra ſtatum colliſionis ſuſceptæ magis imputentur, quam actiones invitæ, ſive ſecundum quid coactæ, & quæ vel ex ægritudine vel obveniente colliſionis ſtatu perpetrantur, nec minus, cur qui injuſte agit majori obnoxius ſit imputationi, quam qui agit inique. Præterquam quod enim facilius ſit non nocere, quam prodeſſe aliis, lædens etiam jus cogendi tribuit læſo adeoque majora ſuperat impedimenta, quam alter, a quo officia imperfecta vi non poſſunt extorqueri.

CLXXXIX. Quoniam vero cauſa remota ſe ipſam ad agendum determinat, cauſa autem proxima ab altera ad agendum excitatur, in promptu eſt: illius actionem rigidius, quam hujus eſſe expendendam; unde etiam intelligitur, cauſam præcipuam majori ſubeſſe imputationi, quam cauſam ſubjectam, & hinc ei, qui aliquid jubet fieri, vel requiſitus conſentit, ut fiat, graviores aſſignandas eſſe conſecutiones, quam illis, qui ju-

ben-

bentis & volentis negotium unice expediunt, ſilent, adſentantur.

CXC. Quomodo imputationis quantitas ex ſpontaneitatis, & contingentiæ, ſeu arbitrii gradu cognoſcatur, ſatis dictum eſt, ſequitur, ut merita ac demerita etiam rationis vi & magnitudine deinceps ponderemus. Pendet autem ratio ab attentionis, reflexionis, & intelligentiæ facultatibus; atque ejus robur idearum diſtinctarum numero, claritate, & facilitate æſtimatur; ex quo conſequitur, ut quo magis quis cogitationem in factum defixit, quo plures ejus partes vidit, quo diſtinctius totam ejus eſſentiam perluſtravit, quo ampliora denique ac fortiora agendi, vel non agendi momenta ex ipſa actionis idea perſpexit, eo majus etiam præmium vel pœna ipſi debeatur; ſane uti pro momentorum copia multiplicatur obligatio, ita & obligationis incremento moralitas intenditur, quin igitur etiam imputatio iisdem progreſſionibus augeatur, fruſtra eſſet dubitare.

CXCI. Nulla actio moralis eſt minus recta, niſi ſuperabili intellectus aut voluntatis vitio laboret, quod generali culpæ, aut *Reatus* denominatione continetur. Speciatim vero reatus, qui verſatur in intellectu, cujus nimirum agens in agendo ſibi non eſt conſcius, *Culpa* eſt ſtricte dicta, qui autem verſatur in voluntate, adeoque ab agente cognoſcitur, dolus ſimpliciter aut *Dolus malus* nuncupatur: atque

ex his apparet actiones culposas, quæ scilicet ex errore, aut ignorantia superabili patrantur, minus esse in agentem conferendas, quam dolosas, quæ ab homine sciente & volente contra legem sunt susceptæ.

CXCII. Qui rationes secum subducit, *an* vel *quomodo* agere vel non agere oporteat, *deliberare* dicitur, qui vero instituta deliberatione hoc vel illud factum aut non factum præoptat, is *decernit*: actus voluntatis, quo decreti executio determinatur, proæresis seu *propositum* audit, utrique autem tam decreto, quam proposito cohæret *intentio* sive volitio finis: itaque luculentum est, actionem deliberatam magis imputandam esse, quam non deliberatam, ex deliberatis vero illam, cui liberius decretum, propositum, atque intentio accesserint.

CXCIII. Plures autem faciunt intentionis formas; quæ enim finem spectat, propter quem solum causa efficiens ageret, *primariam*, secus *secundariam* nominant. Porro intentionem *directam* vocant, qua id intenditur, propter quod agens agit, *indirectam* vero, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione ipsius sequitur, quod tamen perinde ac id, quod vult, ex eadem sequi potest. Denique ab intentione factum illicitum præcedente *dolum ex proposito*, ab ea autem, quæ hujusmodi factum consequitur, & adprobat, dolum *ex re* ducunt, atque ex his conficiunt,

ut intentio primaria, directa, & dolus ex proposito, quia majori contingentia eliciuntur, ac intelligentia, graviorem quoque æstimationem recipiant, quam cæteræ formæ contrariæ.

CXCIV. Usus remediorum & facultatum nostrarum ad finem bonum obtinendum idoneus *diligentia* nominatur; cui opponitur cum *negligentia*, sive omisso diligentiæ, quam quis obligatur adhibere, tum usus remediorum, & facultatum nostrarum legi contrarius, seu earundem *abusus*. Quoniam plurimi concipi possunt remedia ad finem sufficientia, nemo negaverit, innumeros quoque dari posse diligentiæ & negligentiæ gradus, & propterea harum imputationem summopere variari oportere. Cæterum negligentia prout vel in intellectu deprehenditur, vel in voluntate, ad actiones vel culposas, vel dolosas pertinet, & hinc jam minore, jam majore pœna digna est.

CXCV. Quemadmodum infantia, dementia & furor arcent usum rationis, & ab omni imputatione liberant, ita ætas nondum satis matura, aut crassior educatio mentis valde perstringunt oculos, sanguinis autem temperatio atque affectus deliberandi facultatem extenuant; quare etsi facta in tali statu patrata non careant moralitate, ea tamen tanta non est, quanta foret, si illi idem agerent, quibus nulla hujusmodi impedimenta obsistunt.

ſtunt. Falſum itaque is faceret judicium, qui hujusmodi actiones phyſice quidem æquales, ſed moraliter diſcrepantes æqua lance ſuſpenderet.

CXCVI. Actio, quæ in plures alias dividi poteſt, *compoſita*, quæ non poteſt, *ſimplex* appellatur; conſtat itaque actio libera compoſita ex pluribus liberis ſimplicibus, quarum ſingulæ ab arbitrio pendent, & ratione, ut porro, ſi omnes in unam quaſi jungantur, arbitrii & rationis quantitatem creſcere neceſſe ſit. Quoniam vero ex magnitudine libertatis quantitas moralitatis, & imputationis æſtimatur, non obſcurum eſt, actionem compoſitam magis laudandam eſſe, vel culpandam, quam actionem ſimplicem; inter plures compoſitas vero illam cæteris merito præponderare, in quam major numerus ſimplicium coaleſcit.

CXCVII. Forum morale poteſtatem actiones imputandi deſignat, quæ ſi de Deo enuntietur, forum *divinum*, ſi de homine, forum *humanum* conſtituit; forum divinum etiam forum *poli*, ſeu *internum*, forum humanum vero forum *ſoli*, ſeu *externum* nuncupatur. Scilicet ſumma Dei ſapientia uti omnes actiones noſtras, ita & interna animi cogitata diſtinctiſſime intelligit, & dimetitur: aſt fallax ſæpe eſt hominum judicium, neque occultos animi receſſus pertingit; unde conſequitur, ut in foro divino innumera imputentur facta,

quæ omnem hominum cognitionem æstimationemque effugiunt.

CXCVIII. Sæpe forum internum fori conscientiæ, seu rationis venit nomine, quod quam vim habeat operæ pretium est explanare. Nempe tam facultas, qua quisque est instructus, de propriarum actionum honestate, vel turpitudine ratiocinandi, quam potissimum ipsa hujusmodi ratiocinatio, *Conscientia* moralis dicitur; quum vero rerum nexum perspiciendi vis nobis tributa sit a supremo Numine, & ideo vox rationis pro voce Dei habeatur: mirum non est, forum internum divinumque, & forum conscientiæ, seu rationis promiscue usurpari. Ex quibus impia refellitur illorum opinio, qui inanem putant esse conscientiæ ideam, eamque insulso vulgi judicio assignant.

CXCIX. Tot autem existunt partitiones conscientiæ, quot sunt judicii & actionum: quæ enim de actionibus suscipiendis instituitur ratiocinatio, conscientia *antecedens*, quæ de actionibus peractis, conscientia *subsequens* adpellatur; deinde conscientia antecedens duas habet subjectas formas, quarum altera *theoretica* est, seu contemplativa, si in bonitate, vel malitia actionis simpliciter versetur, altera *practica*, seu præceptiva, si actionem perpetrandam esse vel omittendam simul pronuntiet. Denique ex factis legi consentaneis conscientia subsequens *bona* atque tranquilla,

ex

ex factis vero legi diſſentaneis *mala* mordensque emergit.

CC. Porro quod ſupra obſervatum eſt, ratiocinationem in imputando rectam eſſe, vel errantem, certam, vel incertam, probabilem, improbabilem, vel dubiam, id quoque ad conſcientiam trahi, atque inde declarari omne poteſt. Nam etiam legis vel facti proprii idea jam *vera* eſt, jam *falſa*; dein aut *evidens*, aut *opinabilis*, atque hæc poſtrema nunc ad veritatem propendet magis, nunc ad falſitatem. Ex his autem ſatis patere arbitror, non omnes conſcientiæ partes ſubeſſe imputationi, ſed illas ſolum, quæ actiones jam ſuſceptas conſectantur; quamdiu enim homo actionem ſuſcipiendam perluſtrat, nondum ſibi aliquid imputare intelligitur, ſed demum ubi factum jam perpetratum, ejusque conſecutiones libero ſuomet ipſius arbitrio attribuit.

CCI. Quæ recta eſt conſcientia, comparat actiones cum vera lege, atque adeo voluntatem legislatoris eloquitur; itaque non eſt dubitandum, quin illius impulſum ſequi omnino teneamur; aſt ſi judicium actionis falſum ſit, quantam id vim habeat ad obligationem, diſputatur. Inprimis autem facile concedent omnes, neminem, quod falſo præceptum eſſe putet, omittere, aut quod falſo judicet eſſe prohibitum, facere oportere. Etſi enim factum legi, quæ non eſt, nequeat repugnare,

eatenus tamen quis peccat, quod peccandi habeat voluntatem, & quantum in ipſo eſt, a legis violatione haud abhorreat.

CCII. Gravior autem eſt inter Doctores contentio de conſcientia, quæ turpe quod eſt, præcipi, vel quod præceptum eſt, prohiberi opinatur. Tunc enim aut falſæ quis obtemperat conſcientiæ, & legem migrat, quæ nos bona jubet facere, & omittere mala; aut agit contra conſcientiam, & itidem peccat, quia animum legis violandæ, atque conatum prodit. Inde vero effici ajunt, ut hujusmodi homini neceſſitas peccandi ſemper impoſita eſſe videatur; aſt ſalva res eſt: is enim, cui error objicitur inevitabilis, culpa vacat, & imputatione, qui vero in errore verſatur evitabili, in ejus eſt arbitrio poſitum errorem deponere, & ita ſe ab hypothetica tantum peccandi neceſſitate liberare.

CCIII. Quoniam qui periculum adit peccandi, contra legem committit; conſequens eſt, ut qui dubitat, an actio præcepta ſit, vel permiſſa, illam ſuſcipere, qui autem dubitat, an actio prohibita ſit, vel permiſſa, ab eadem abſtinere teneatur. Si enim faciat, quod ambigit, an ſit illicitum, aut id omittat, ad quod faciendum anceps eſt, an non fortaſſis obligetur, jam apparet, eum non penitus effugere legis transgreſſionem, ſuamque cupiditatem virtuti anteferre. Aſt ſi ea obveniat ſpecies, ut de actione, an ſit præcepta, vel prohibita,

dubium

dubium oriatur, hæc ob eandem cauſam interea erit ſuſpendenda, dandaque opera, ut dubio quantocius ſublato, illam, quæ ſanæ rationi magis conſentanea videbitur, ſententiam amplectamur.

CCIV. Non tamen manifeſto ſemper, atque evidenti judicio agendum eſt, ſed ſi nihil certi haberi poſſit, ſatis utique fuerit, id quod probabile eſt & veriſimile, conſectari, ne ſecus eos ſæpiſſime nihil agere oporteat, qui fruſtra quæſiverunt certiora. At inquis: rem tamen habere dubitationem, donec explorata ſit veritas, & porro præſtare, actionem ſuſpendere, quam periculum peccandi ſubire. Enimvero dubia conſcientia non modo rationes judicat eſſe utrinque ejusdem ponderis, ſed etiam paullo momento ita huc illuc impellitur, ut qualem in partem ſe vertat, plane non habeat: aſt conſcientia probabilis alterutri contradictionis parti jam adſentitur, quod rebus mature conſideratis unum potius, quam alterum eligendum eſſe videatur. Quare qui omni, quo poteſt ſtudio, veritatem inveſtigat, etſi dein certa cognitione deſtituatur, is tamen inevitabilis erroris auctor nequit declarari.

CCV. Ubi vero conſcientia minus probabilis confligit cum probabiliore, atque eadem actio ex gravibus quidem momentis licita, re tamen diligenter perpenſa majori cum probabilitate illicita eſſe judicatur, abſurdum uti-

que foret judicio minus veriſimili adhærere. Præterquam quod enim nos progredi ſemper oporteat in via ad veritatem, finique intellectus adverſetur, retrorſum cedere, fieri etiam non poteſt, ut in eo ſtatu dubitatio de facti turpitudine deponatur. Peccaret igitur opinionem ſibi ipſi minus probabilem amplexus, quia non modo id, quod ambigit, an rectum ſit, faceret, ſed etiam videns meliora probansque nihilominus ſequi deteriora, & ita reſiſtere conſcientiæ ſuſtineret.

CCVI. Sed nec magis voluntati bonum, quam intellectui verum pro fine poſitum eſſe conſtat. Quemadmodum igitur minus bonum in conflictu cum bono majori fit comparative malum, ſic quod minus probabile eſt, quando cum probabiliori opinione comparatur, amittere probabilitatem neceſſe eſt. Quis enim illud probabile amplius eſſe dixerit, quod jam a veritate magis recedere, quam ad illam accedere compertum eſt. Et quis propriæ cognitionis defectum obtentu naturalis imbecillitatis excuſare auderet, ſiquidem lumini prælucenti ſibi clariori lumen obſcurius antepoſuit. Denique ſicuti adulterinam corruptamque eſſe libram quisque agnoſceret, in qua pondus levius præponderaret graviori, ita falſam ſpuriamque eſſe conſcientiam fateri oportet, quam facta momentorum contentione non fortiora ad agendum flectunt, ſed debiliora.

CCVII. Nunc quibus argumentis oppoſitam defendant ſententiam, videamus. Ajunt nimirum I. opinionem, quam non conſtat eſſe falſam, utique ſequi nos licere. Inde autem de judicii falſitate non conſtare, quod contrarium probabilius videatur; quin imo II. tamdiu durare dicunt libertatem moralem, donec fuerit legibus circumſcripta: III. legem vero intelligi nullam absque ſufficiente promulgatione, quæ ſane deficiat, quando probabiliter, ſeu gravi ex fundamento de illius exiſtentia dubitatur. Addunt IV. ſemper in dubiis præferenda eſſe benigniora, nec V. intolerabile illud onus imponendum conſcientiis, ut in fortiores agendi rationes perpetuo inquirere, easdem librare, dein VI. quod tutius eſt, amplecti teneantur.

CCVIII. Enimvero I. etſi opinio, quæ videtur minus probabilis, abſolute & evidenter falſa dici nequeat; quando tamen comparatur cum probabiliore, ad falſitatem accedit magis, & in eo ſtatu ſine peccandi periculo probari amplius non poteſt. II. Nec ideo quidquam detrahitur libertati morali, quæ ad actiones æqualis bonitatis tantum pertinet, nunquam tamen omnem agendi regulam excludit. III. Qua fronte autem is legem ſibi non eſſe promulgatam contendet, qui ejus exiſtentiam affirmandam potius, quam negandam ipſemet confitetur? quod ſi in re dubia, quam paria utrinque momenta effici-

 unt,

unt, actionem veluti permissam suscipere minime licet, quomodo id, quod probabilius prohibitum esse judicatur, facere licebit?

CCIX. Et quanquam IV. in dubiis praeferenda esse benigniora facile concedamus, hoc tamen non eam vim habet, ut legem dubiam despicere, & pro nihilo putare sit permissum; sed ne quis jura ambigua pro certis sumere, atque eatenus vel aliquem poena afficere, vel actum quendam irritare moliatur: unde satis manifestum est, adductum juris axioma ad coercendam agendi licentiam, non vero ad vincula legum relaxanda pertinere. Si autem V. in legem pro viribus inquirere nimium onus esse judicetur, nulla jam erit tam crassa ignorantia, quae hoc praetextu non possit excusari. Ceterum VI. quum judicium probabilius esse non possit, quin etiam tutius sit a falsitate, perpetui profecto atque inanes injicerentur scrupuli conscientiis, si quis opinionem sectari deberet minus probabilem, quod illam a defectu rectitudinis noscit esse tutiorem.

CCX. Postremum est, ut quae *dormiens* sit conscientia, quae *expergefacta*, videamus. Scilicet, uti in somno nullus est ratiociniis locus, ita conscientia eorum dormitare dicitur, qui, quum inserviant affectibus, & toti a sensibus pendeant, ac imaginatione, curas & cogitationes in actionum honestatem, aut turpitudinem haud defigunt. Quoniam vero mala

cum

cum factis necessario copulata peccantem plerumque pungunt, mordentque: inde fit, ut conscientia soleat sæpius evigilare, donec longa peccandi consuetudine occalescat, & instar carnis cauterio ustæ sensus omnis stupore opprimatur.

CAPUT IV.

De juris naturalis partibus atque usu.

CCXI. Postquam imputationis & conscientiæ doctrinam satis prosecuti sumus, proximum est, ut de variis, quibus jus naturæ constat partibus, deque ejusdem præstabilitate atque usu videamus. Nova hic nimirum se offert juris significatio, quæ cum obligationum & legum complexum seu systema, tum ipsam æqui bonique artem designat. Atque hæc ars est, quæ quatenus scientia cernitur & actione, vocatur *Jurisprudentia*, nec inconcinne definitur: *Habitus obligationes, leges, & jura demonstrandi, iisque accomodandi species obvenientes*; quorum alterum ad theoriam, alterum ad praxim pertinet.

CCXII. Itaque illa legum & obligationum notitia, quæ ab experientia tantum usuque hauritur, etsi factis singularibus disceptandis sufficiat, attamen *Jurisperitia* dicitur, non Jurisprudentia; hæc enim sine habitu demonstrandi intelligi non potest. Eam autem esse

con-

constat demonstrationis naturam, ut certis & indubitatis nitatur principiis, dein conclusiones legitimo ducantur nexu, denique principiorum, ac conclusionum inter se cohærentia distincte perspiciatur. Atque ita manifestum est, quodnam inter Jurisperitos, Jurisscientes, & Jurisprudentes sit discrimen.

CCXIII. Sed ex variis legum complexibus totidem Jurisprudentiæ genera delapsa sunt. Quum enim obligationes & leges omnes primum in divinas & humanas, iterum divinæ in naturales & positivas, tertium humanæ in multas adhuc formas dispescantur, etiam Jurisprudentia alia *divina* est, alia humana. Porro divina in naturalem & positivam, humana vero in tot novas abit partes, quot diversæ legum humanarum complexiones existunt. Ex quo satis explicari potest, cur veteres Jurisprudentiam in universum: *Divinarum & humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam*, descripserint. L. 10. §. 2. D. de J. & J.

CCXIV. Ex his autem elucet Jurisprudentiam naturalem, in toto suo ambitu acceptam, esse *habitum obligationes, leges, & jura naturalia demonstrandi, iisque applicandi obvenientes species*, adeoque in omnibus versari officiis, quæ Deo, sibi, ac aliis deberi solius rationis usu intelligi potest. Quanquam enim nonnulli tam arctos fines constituant nostræ disciplinæ, ut nihil juri naturæ adversari putent,

tent, quod non ad alterius hominis tendat injuriam, hi tamen mihi a veterum ratione diſcedere, atque ſine ulla ſufficiente cauſa ſuſpectum hocce ſtudium inviſumque facere videntur.

CCXV. Ecquis enim non iis ſuccenſeat, qui pium, honeſtum, atque æquum omne a jure naturali dicuntur excludere. Nam, quod ajunt, iſta quidem ſe agnoſcere officia, ſed illorum tractationem ad alias ſpectare diſciplinas; an non intelligunt, ſe plane abhorrere ab uſu loquendi, & ita hoc noſtrum ſtudium nobiliſſima ſua parte mutilari.

CCXVI. Eſt profecto verus Dei cultus omnium officiorum fundamentum, de quo, qui in Jurisprudentia naturali agere prætermittunt, nec doctrinam de legum conflictu penitus tradere, nec quam vim habeat invocatio ſummi numinis ad firmandam ſermonis veritatem, exponere, nec denique ipſam legem de non lædendis aliis ſufficienti ſanctione munire poſſunt. Officia erga nosmet ipſos quod attinet, illa ſic comparata ſunt, ut re ipſa ab officiis erga alios homines non diſcrepent, immo vero hæc ab illis maximam accipiant lucem. Tandem officia imperfecta ideo ſaltem hic pernoſcenda ſunt, ut inde etiam officia perfecta eo facilius diſcernantur.

CCXVII. Status, vi cujus plures ad communem quemdam finem unitis viribus obtinen-

nen-

nendum tendere obligantur, *Societas* generatim dicitur; hæc vel *absoluta* eſt, ſi ex ſola hominum natura ad finem ultimum, id eſt divinæ gloriæ illuſtrationem, conjunctorum pendeat, vel *hypothetica*, ſi ab accedente quodam conſociationis facto ſimul conſequatur. Illa etiam univerſalis eſt, hæc vero tantum particularis.

CCXVIII. Obligationes & leges, quæ ad hominem ſolitarium, aut in ſocietate abſoluta conſideratum reſpiciunt, traduntur in Jurisprudentia mere naturali ac ſociali generatim, ſeu in jure naturæ *Ethico*; quæ vero ad ſocietatem ſpectant hypotheticam, eæ in Jurisprudentia naturali *Sociali* ſtrictius accepta pertractantur. Itaque pars prior officia hominis vel ſimpliciter, vel cum aliqua adjunctione præterquam ſociali, pars autem poſterior officia ſocii in arctiore ſignificatione, ſcilicet hypothetica complectitur.

CCXIX. Quanquam vero fines, quorum gratia homines conjunguntur, varii ſint atque multiplices, adeoque & plurimæ ſocietatum formæ eſſe poſſint, eæ tamen quam maxime innoteſcunt, quæ vel in ſobole procreanda, vel educanda, vel in operis pro rebus præſtandis, vel in binis ſaltem ex hisce finibus obtinendis, vel denique in mutua defenſione ſine communi imperio efficienda occupantur. Unde & ſocietas I. Connubialis, II. Parentalis, III. famularis ſeu herilis, IV. domeſtica, &

V. anarchica ſunt ortæ; quarum omnium obligationes, jura & leges jurisprudentia naturalis ſocialis, eademque *Oeconomica* univerſalis explanat.

CCXX. Ex ante recenſitis ſocietatibus potiſſimum major illa tandem coaluit, quæ vocatur *Civitas*, atque definitur: *Cætus hominum ſui juris ſub eodem ſummo imperio communis ſecuritatis cauſa colligatus.* Quemadmodum vero hoc poſito facto nova quaſi materies ſubjecta eſt obligationibus & legibus naturalibus hypotheticis, ad quas nimirum *cives*, ſeu ii, qui in ſocietatem civilem convenerunt, actiones ſuas componant; ita illarum legum complexus jurisprudentiam naturalem *Politicam*, ſive jus *civitatis univerſale* conſtituit; quod a jure civitatis particulari, & cujusvis populi proprio probe diſtinguendum eſt.

CCXXI. Atque his quidem partibus abſolvi jurisprudentia naturalis ſocialis poteſt. Sunt tamen nonnulli, qui jus naturale civitatis in *publicum* & *privatum* diſpeſcunt, publicum vocant, quod officia imperantium & ſubditorum, privatum, quod officia ſubditorum inter ſe, declarat. Quæ diviſio etſi non omni careat fundamento: tamen naturalia harum legum principia in ſyſtemate juris civitatis ita inter ſe cohærent, ut duplicem eorum inſtituere tractationem minime neceſſarium videatur. Sane & qui in domeſtica vivunt ſocietate, neque ſi cum imperante,

te, neque ſi ſecum invicem agant, mutuis & naturalibus carere officiis poſſunt; aſt ideo nemini adhuc venit in mentem, ut duas eatenus legum naturalium œconomicarum diſciplinas conſtrueret.

CCXXII. Fuere etiam qui ex nuda ECCLESIÆ, ſeu ſocietatis ad Deum eodem modo colendum initæ, notione, obligationes & leges naturales eccleſiaſticas deducere, & ita jurisprudentiam ſocialem nova parte augere voluerunt: quum tamen quilibet homo naturaliter, & ante omnem introductam ſocietatem cultum Dei pro viribus promovere teneatur, atque eatenus horum officiorum expoſitio ad jus mere naturale pertineat: facile patet, ut niſi plures enumerentur cætus eccleſiaſtici proprietates, & ita magis ejus determinetur ſcopus, ex generali illa Eccleſiæ idea nullæ prorſus novæ ac definitæ obligationes eccleſiaſticæ intelligi poſſint. Quod ſi proprior quædam exercendæ pietatis norma libero, aut ſummi Numinis, aut hominum arbitrio ſtatuta animo concipiatur, ea vero non erit naturalis, ſed ſolum poſitiva.

CCXXIII. Jus mere naturale ad omnes homines, quos nulla ſpecialis tenet communio, pertinere ſupra vidimus: quum vero hi ipſi homines vel ut ſinguli, vel ut ſociata quædam multitudo conſiderari poſſint, etiam jurisprudentia mere naturalis, cum leges at-

que obligationes ſingulorum hominum, tum quoque diverſarum ſocietatum in ſtatu ſociali univerſali inter ſe viventium exponit. Præter omnes autem laudatas ſocietates præcipuæ ac maximæ ſunt civitates, quæ etiam gentes vocantur, & ideo illa jurisprudentiæ naturalis pars, quæ in explicandis mutuis civitatum officiis verſatur, *Juris gentium* nomine jam pridem innotuit. Quo cognito ſane, quibus reliquæ minores ſocietates nullius alterius imperio ſubjectæ, juribus invicem utantur, definire fuerit facillimum.

CCXXIV. Ne autem qui latiorem jurisprudentiæ naturalis ambitum complexi ſumus, illam cum theologia naturali, ethica, œconomica, aut politica confudiſſe videamur, operæ pretium eſt, ut quidnam inter haſce diſciplinas ſit diſcrimen, oſtendamus. Ac primo quidem ex theologia naturali doctrina de Dei exiſtentia & proprietatibus hauritur; aſt obligationes & leges naturales, quas cognitio contemplatioque auctoris naturæ ſuggerit, partem jurisprupentiæ naturalis conſtituunt. Quod ſi malunt nonnulli etiam de officiis adverſus Deum agere in theologia naturali, eandem nobis non recuſent libertatem, ut nos illa ad jus naturæ referamus. Utimur alioquin veterum exemplo, quod non pauci recentiores ſunt ſecuti.

CCXXV. Ethicam quod attinet, ea quidem in univerſum integram morum doctri-

nam complectitur, adeoque & jus naturale; minus late tamen in illam doctrinæ moralis partem, quæ hominis in ſtatu mere naturali conſiderati propria eſt, accipi conſuevit. Sed facto juris naturæ, & reliquarum philoſophiæ partium divortio, ethicæ appellatione illa nobis venit ſcientia, quæ in modos, præſidia, & quaſi artes inquirit, quibus ad ea facienda, quæ lege naturali præcepta ſunt, vel omittenda, quæ eadem ſunt prohibita, facilius pervenitur. Et ita quid inter jurisprudentiam naturalem & ethicam interſit, perſpicue intelligi poteſt.

CCXXVI. Ita quoque in œconomica olim non modo, quæ in minoribus ſocietatibus qua talibus bona eſſent vel mala, ſed etiam qua ratione & via comparari ea bona, vel evitari mala poſſent, conjunctim explicarunt. Ex quo vero jurisprudentia naturalis œconomica in ſeparatam redacta eſt diſciplinam, id ſupereſt modo, ut œconomica moralis in artibus & præſidiis verſetur, quorum ope legibus naturalibus œconomicis eo promptius obſequamur. Illi autem ſtrictiſſimos œconomiæ ponunt limites, qui eandem res externas adquirendi, & rite adminiſtrandi ſcientiam definiunt.

CCXXVII. Tandem illud antehac politiæ tributum eſt munus, ut cum jura & leges civitatum, tum hasce conſervandi, ac perficiendi modos explanaret. Quia tamen ex

juri-

juribus & legibus civitatum naturalibus jus publicum universale, & jus naturale gentium concinnatum est, id tantum erat reliquum, ut in politica strictius accepta artes & praesidia, quorum ope leges naturales civitatum impleri, ipsaque adeo societas civilis conservari ac perfici magis possit, docerentur. Et sane JCti, quid civilibus sociis, quid gentibus inter se agere liceat, exponunt; an autem, quod licitum est, certo civitatis statui utile sit ac proficuum, a politicis expendendum est.

CCXXVIII. Longe autem facilius est jurisprudentiam naturalem dignoscere a jurisprudentia divina positiva. Prior enim leges complectitur æternas ac necessarias, quæque ex ipsa Dei, rerumque conditarum essentia atque natura solius rationis usu intelligi possunt; contra posterior in legibus versatur extra naturam, ut nobis cognita est, petitis & eatenus fortuitis, seu voluntariis, quasque divina primum auctoritas, seu revelatio vel toti generi humano, vel alicui saltem genti patefecit.

CCXXIX. Verum gravis adhuc illa est disceptatio: an & quænam existant leges divinæ positivæ universales, quæ nimirum lumine rationis non innotescant, & tamen omnes obligent homines; quandoquidem illarum promulgatio, in veteri & novo testamento, illis, qui totum genus humanum

repræſentabant, fuerit facta: quod quidem alii pluribus, alii paucioribus exemplis adſerere conati ſunt.

CCXXX. Contra alii ita ad objecta reſpondent exempla, ut vel leges univerſales eſſe negent propter neceſſariæ promulgationis defectum, vel negent eſſe poſitivas, quod ſufficientem vim obligandi ex ipſa rerum natura haurire videantur. Cui quidem ſententiæ, quod ad jus adamiticum, & noachicum attinet, facile adſtipulamur; adductæ enim propoſitiones, niſi congenito hominum ſenſu continentur, vel non ſunt obligatoriæ, vel peculiari tantum genti a Deo fuerunt manifeſtatæ.

CCXXXI. Diverſa eſt omnino legum evangelicarum ratio. Præterquam quod enim divinus redemptor naturæ leges ſumma circumfudit luce, præcepta quoque dedit de myſteriis ac ſacramentis, quæ humanam utique ſuperant rationem, hæcque omnia per univerſum orbem prædicari diſerte mandavit; quo cum ad æternam beatitudinem conſequendam monſtraretur via, tum jura naturalia præmiis ac pœnis omnium maximis munirentur. Quin igitur leges evangelicæ juris poſitivi univerſalis nomen mereantur, nefas eſſet dubitare.

CCXXXII. Atque ex his abunde colligitur, immane quantum a vero aberrare illos, qui juris naturæ diſciplinam vel jam con-

ſti-

ſtitutis civitatibus, vel latis evangelicis legibus, inanem atque ſupervacaneam eſſe arbitrantur. Quum enim præcepta naturalia, a quibus omnes actiones noſtræ liberæ aliquam accipere debent normam, nulla penitus ætate tolli, aut abrogari poſſint: conſequens eſt, ut illorum cognitionem ac ſtudium neque oblitterari fas ſit, neque uſum aliis novis ſancitis exoleſcere unquam liceat.

CCXXXIII. Sed nec is eſt Evangelii vel legum civilium ſcopus, ut negotia regant populorum, quod munus ſibi vindicat ſcientia juris naturalis, quæ cum variis theologicis quæſtionibus lucem fæneratur, tum maxime cæteris omnibus jurisprudentiæ partibus adeo facem præfert, ut ea deſtituti, non ſolidam expreſſamque juſtitiæ effigiem tenere, ſed umbra tantum vaniſque imaginibus uti videantur.

CCXXXIV. Sed non abs re erit de hoc argumento diſſerere paulo latius. Non equidem inficiamur pauciores eſſe hodie homines, qui vivant in ſtatu naturali, attamen populorum Rectores primæva adhuc utuntur libertate. Itaque illorum obligationes & jura, quæ ſpeciali quodam facto nondum ſatis determinata ſunt, ex jure, partim ſimpliciter naturali, partim publico univerſali, omnino ſunt diſcenda. Certe jura civilia non imperantium, ſed ſubditorum actiones

moderantur; ſacri autem codicis auctoritatem neque agnoſcunt omnes, nec qui agnoſcunt, ignorare debent eſſe aliquid juſtum & injuſtum ante omnem revelationem; hanc vero non tam ad negotia hujus vitæ, quam ad alium longe præſtantiſſimum finem pertinere.

CCXXXV. Ita & omnes civiles ſocietates ſtatum naturalem inter ſe tuentur; quum tamen ſæpiſſime invicem agere, & aliquando incidere in controverſiam ſoleant, certa utique eſt opus communi norma, ad quam hujusmodi negotia exigantur. Quod ſubſidium, quia nunquam in jure civili, nec ſemper in doctrina evangelica reperitur, illud tantummodo reliquum eſt, ut ad leges naturales, quæ ſub nomine juris gentium veniunt, velut ad univerſalem omnium populorum regulam recurramus; cujus ignoratio quo majores peperit læſiones & clades, eo inſignior eſt ab illius doctrina rite expoſita utilitas.

CCXXXVI. Etſi vero civitates publica jura tam interna, quam externa aliquando ſibi conſtituant, ea tamen tantum ſunt particularia, atque adeo definiendis quibusvis ſpeciebus obvenientibus minime ſufficiunt. Sane jus particulare univerſali tantum eſt ſuperadditum, quemadmodum igitur partes generi ſubjectæ non prius intelliguntur, quam diſtincta ipſius generis notio habea-

tur;

tur; ita & omnia jura particularia ex principiis juris universalis necessario declaranda sunt. Quod porro etiam in jure publico particulari, & in jure gentium arbitrario observare oportet; ne secus in turpes ac perniciosos errores rapiamur.

CCXXXVII. Id vero exacta juris naturalis cognitio præstat theologiæ positivæ, ut non modo sufficientis præmii vel pœnæ naturalis in mortali hac vita defectus, & porro vitæ alicujus futuræ, imo & revelationis necessitas intelligatur, sed etiam ut mira Evangelii cum recta ratione in doctrina morum conspiratio plenissime eluceat. Quod si vero inter leges, quas naturalis ratio suggerit, & quæ sacris continentur codicibus, aliqua se offerat diversitas, vel opinata quædam appareat repugnantia; tum quidem solida juris naturæ principia præsto esse oportet, nec enim aliter veritatem perspicuo intueri, nec, quæ in contrarium existunt, dubitationes explicare facile licebit.

CCXXXVIII. Iis porro, qui in dirigendis aliorum conscientiis, atque in doctrina, quam vocant, casuistica, versantur, nisi scientia juris naturalis probe sint imbuti, aquam sæpius hærere necesse est. Quum enim facta omnia singularia vel memoria discere, vel intelligentia prævidere nullus homo possit; quotiescunque nova causa, consultatiove acciderit, ea profecto ad principia legum uni-

ver-

verſalium exigenda eſt, ut inde demum, quid juſtum ſit, quidve injuſtum, certo colligatur. Sed & eo ſpectat rationis lumen, ut, quæ propter indifferentiam objectivam aliter quidem determinari poterant, ſi tamen determinata non ſunt, juribus univerſalibus attemperentur.

CCXXXIX. Quanquam vero leges naturales non ex auctoritate, ſed ex ſuis ac domeſticis principiis derivandæ ſunt, nihilominus plura ſuppeditant ſacræ litteræ ſecundaria argumenta, quibus aliquid jure naturali vel præceptum, vel prohibitum, vel etiam permiſſum eſſe arguamus. Idem enim eſt ſapientiſſimus rationis ac revelationis auctor, quem a ſemetipſo diſſentire, & leges eſſentia immutabiles tollere omnino repugnat. Ex quo triplex illa elicitur argumentandi ratio: ut I. nihil, quod in ſacris litteris præcipitur, lege naturali prohibitum, II. nec viciſſim quod iis prohibetur, hacce eſſe præceptum poſſit.

CCXL. Denique III. id, quod in divinis Pandectis permiſſum eſſe legimus, etiam jure naturali licitum eſſe oportebit, ſi ſacer textus de plena, quæque etiam in foro interno obtineat, permiſſione loquatur. Secus autem foret, ſi permiſſio tantum eſſet minor plena, & non niſi pro foro externo impunitatem tribueret.

CCXLI. Leges mere civiles omnes ſunt particulares, igitur ad jus univerſale tanquam rivuli ad fontem ſuum referendæ ſunt. Speciatim vero jus civile romanum magnam partem collectum eſt ex præceptis naturalibus; quare qui ad horum normam loca vel ſupplet prætermiſſa, vel declarat ambigua, errare nullo pacto poteſt. At multa quoque occurrunt populi romani ſcita, quæ tantum arbitraria ſunt, quædam autem quæ plane a ratione abhorrent; cuinam vero vel priora a legibus neceſſariis diſcernere, vel poſteriora corrigere ſine jurisprudentia naturali licebit?

CCXLII. Inter juris civilis capita illud poſtremum non eſt, quod leges continet de delictis & eorum pœnis deſcriptas, vulgo criminales. Qua in re inprimis malefactorum veritas & magnitudo, tum quantitas imputationis, & denique pœnarum modus finesque diligentiſſime pernoſcendi ſunt, quo Juſtitiæ ultrici examuſſim poſſit ſatisfieri. Quum igitur harum materiarum principia tradantur in juris naturalis diſciplina: non obſcurum eſt, illius ſtudium etiam in Jurisprudentia criminali utramque facere paginam.

CCXLIII. Jus eccleſiaſticum partim ex legibus divinis tam naturalibus, quam poſitivis, partim ex conſtitutionibus humanis coaluit. Ex quo conficitur, ut quæ de uſu jurisprudentiæ naturalis cum in theologia, tum in jure civili ante tradita ſunt, ea om-

nia etiam in jure ecclesiastico obtineant. Sed & id maxime præstat juris universalis scientia, ut limites inter ecclesiasticam potestatem a Christo institutam, & civile imperium nullo negotio statuantur. Illa enim non tam corpori, quam animo, & fini, qui humanam excedit intelligentiam, destinata est; hoc vero ad scopum spectat ratione sola cognitum, nec actiones mere internas moderatur, quapropter, posita licet revelatione, firmum tamen ac stabile permansit. Ex quorum principiorum neglectione, incredibile dictu est, quanta malorum copia sit exorta.

CCXLIV. Ceteros legum ab hominibus conscriptarum complexus silentio præterimus, satis enim ex dictis intelligi par est, cur in quovis recte obeundo Jurisprudentiæ munere, Juris naturæ studio carere nemo possit. Illud addemus modo, hujus disciplinæ adminiculo varios quoque populorum mores, an cum ratione consentiant, vel eidem repugnent, expendi oportere. Quamquam enim magna sit morum, seu consuetudinis auctoritas, quæ ducitur a vetustate, nunquam tamen adeo valitura est, ut naturalem evertat honestatem seu justitiam. Quare hujusmodi consuetudo non inter agendi regulas usu receptas, sed inter vitia & corruptelas erit referenda.

CCXLV. Denique ſi jus conſtitutum non quavis auctoritatis trutina, ſed rationis ſtatera examinari opus eſt, conſtituendi quoque juris ab illa ſumma lege capiendum eſt exordium, quæ ſæculis omnibus ante nata eſt, quam ſcripta lex ulla, aut quam omnino civitas ſociata. Quæcunque enim facta naturalem lædunt juſtitiam, ea nullius legislatoris juſſu cohoneſtari poſſunt. Atque ex his omnibus perſpicuum eſt, ineſſe quidem in quavis Jurisprudentiæ parte ſuam dignitatem, uſumque, nullam tamen cum hac noſtra, ſi quis legum fontes & capita viderit, vel principiorum amplitudine, vel utilitatis ubertate eſſe comparandam.

CCXLVI. Quænam vero methodus tradendis naturæ præceptis ſit accommodatior, adhuc hodie diſceptatur inter doctos. Alii enim ſcholaſticam, alii mathematicam eſſe præferendam putant. Quum autem naturæ leges ſint veritates neceſſariæ, & ſcientiam veri nominis conſtituant, in aperto eſt methodum mathematicam ad juris naturalis diſciplinam omnino pertinere. Sed etiam veteribus ea probata eſt docendi ratio, ut jactis certis principiis concluſiones legitimo ratiocinandi nexu depromantur. Illud tamen facile damus in libris uſui diſcentium & methodi parum peritorum deſtinatis a ſummo demonſtrandi rigore ſatius abſtineri.

CA-

CAPUT VII.

De ortu & progressu Jurisprudentiæ naturalis.

CCXLVII. Legum naturalium cognitio ab ipsis mundi incunabulis est repetenda: siquidem cum ADAMO ortæ sunt communes juste honesteque vivendi notitiæ.

CCXLVIII. Qua ratione vero & a quibus viris I. inter varias gentes exculta fuerit, tum II. Philosophica methodo una cum Ethica tractari, tandem vero III. in peculiarem redigi disciplinam cœperit, id nos docet historia juris naturalis.

CCXLIX. Hanc quidem expenderunt plures, sed a sacris nostris tantum non omnes alieni, qui porro propriæ inservientes sectæ extra rhombum vagantur, & scommata in Catholicos passim inspergunt.

CCL. Prima vero hujus juris cordibus nostris inscripti tradendi ratio a peculiari ipsius *supremi Numinis revelatione* recte arcessiri potest. *Ecclesiast. VII. v.* 1. *seqq.*

CCLI. Quæ dein *parentum traditionibus* per SETHI posteros usque ad NOACHUM constanter traducta est.

CCLII. Huic post diluvium naturalium legum compendium in *septem præceptis* datum gratis venditant Rabbini.

CCLIII.

CCLIII. Aſt non minorem ideo legum naturalium culturam adhibuerunt SEMI deſcendentes, uti ABRHAMUS, ISAACUS, JACOBUS, JOSEPHUS, a parentum ſimul ac ipſius æternæ veritatis ore inſtructi.

CCLIV. JOBUM quoque, licet extra familiam Iſraelis poſitum, leges naturales optime intellexiſſe, immo melius, quam ex Noachidarum præceptis, *ex ejus libro* ſyſtema redigi poſſe non dubitamus.

CCLV. Antiquata vero inde naturæ dogmata Deus ipſemet, MOYSIS uſus miniſterio, in populi electi cordibus per *Decalogum* renovavit.

CCLVI. Ea latius explicarunt PROPHETÆ, aliique viri ſapientes, inter quos eminuit SALOMOM, boni malique diſcrimen ab Auctore naturæ luculentiſſime edoctus.

CCLVII. Deficientibus autem Prophetis SACERDOTES, SCRIBÆ & PHARISÆI cuncta Juris naturalis principia inanibus ſubtilitatibus corruperunt.

CCLVIII. Interea inter gentes, quæ legem ſcriptam non habebant, ea, quæ legis naturæ ſunt, ſæpe facta fuiſſe novimus: & de CHALDEIS quidem illud ſaltem certo conſtat, eos veri Numinis cultum *ſymbolica methodo* ad filios transmiſiſſe.

CCLIX. ÆGYPTII porro non pauca Juris naturæ præcepta *legibus civilibus* inculcarunt:

runt: etsi in turpes quandoque errores sint prolapsi illorum SACERDOTES potissimum.

CCLX. Ab Ægyptiis sua verosimilius sumserunt ÆTHIOPES, propter summam æquitatem celebres, quam itidem *Ænigmatibus ac Symbolis* docuerunt.

CCLXI. PERSÆ in multis quidem hallucinati sunt, non penitus tamen Juris N. rudes illorum MAGI exstiterunt.

CCLXII. Magnam quoque sapientiæ famam consecuti sunt INDORUM BRACHMANES seu GYMNOSOPHISTÆ, sed speciosæ erant illorum virtutes, nec mores semper rectæ rationi conformes, quo pertinet licita apud illos Autochiria.

CCLXIII. *Poetica suavitate & apophtegmatibus* suas morum doctrinas propagarunt VETERES ARABES, Reginæ SABÆ ac MAGORUM ad Bethlehemiticum præsepe venientium historiis illustres.

CCLXIV. Potissimum autem animi candore inclaruerunt SCYTHÆ HYPERBOREI, quorum justitia velut innatum ac *gentile patriæ insigne* a scriptoribus celebratur.

CCLXV. Distinguuntur ab iis CELTOSCYTHÆ, apud quos DRUIDÆ moralem exercebant disciplinam, variis autem fraudibus ac impiis opinionibus corruptam.

CCLXVI. Idem erat Druidum apud GERMANOS aliosque Aquilonares populos munus,

nus, qui propter naturalium legum obſervantiam præclara Taciti elogia promeriti ſunt.

CCLXVII. Omnes vero has barbaras nationes ſuperaſſe a plerisque crediti ſunt SINENSES, ex quo CONFUCII libri ante duo millia, & quod excurrit, annorum ſcripti, in Europa apparuerunt; pulchrum ſane fuerat illius juſtitiæ principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CCLXVIII. Moralis doctrinæ ſemina a Barbaris acceperunt GRÆCI, per vetuſtiſſimos inde *Legislatores Poetasque apologorum dulcedine, fabuloſis carminibus* & *muſica harmonia* magis magisque propagata, donec in turpem idololatriam abiverunt.

CCLXIX. Et multorum quidem judicio HESIODI poëma *opera & dies*, ut perfectum Ethices opus laudatur, aſt genuina ibi Juris naturalis principia haud inculcari, lector præjudiciis vacuus facile animadvertet.

CCLXX. Melius de HOMERI *Iliade* & *Odyſſea* judicium ferri poteſt: illis tamen non aſſentimur, qui ampliſſimam inde juſtitiæ meſſem colligi poſſe tradiderunt.

CCLXXI. Hos ſecuti ſunt SEPTEM SAPIENTES, a dictorum moralium acumine potiſſimum hoc nomine ornati: nec immerito, ſiquidem & noſtris temporibus unicum THALETIS ſymbolum: γνῶθι σεαυτον, *noſce*

te

te ipsum, commodissimum Jurisprudentiæ naturalis principium cuiquam est visum.

CCLXXII. Ad eandem ætatem referendus est ÆSOPUS, *fabulis* commendandæ justitiæ aptissimis clarus.

CCLXXIII. Nec defuere interea in inferiori Italia justitiæ præcones, postquam PYTHAGORAS, Samo Crotonam delatus, primus, teste Aristotele, philosophiam moralem excoluit.

CCLXXIV. Quod Pythagoras in inferiori Italia, idem præstitit in Græcia præstantissimus morum magister SOCRATES, philosophia a rebus naturalibus ad communem vitam adducta.

CCLXXV. Nec suis fraudandi sunt laudibus ANTISTHENIS PLATONISque, tum ACADEMICÆ STOICÆque scholæ labores: quamvis & isti egregias doctrinas crassis aberrationibus coinquinarint.

CCLXXVI. Ast longe pejor fuit Epicureorum grex; quicunque enim illorum doctrinis statui sensus velit, id firmum manet, EPICURUM Jus Naturæ re ipsa sustulisse, dum, negata Dei providentia, leges ex sola imaginaria hominum utilitate derivavit.

CCLXXVII. Prodiere ex Stoicorum secta plerique JCTI ROMANI, in quorum non minus, quam in CICERONIS libris *de Officiis* æquitas naturalis ubique elucet.

CCLXXVIII.

CCLXXVIII. Tandem graſſantem adhuc ſuper univerſum terrarum orbem ignorantiam diſpulit DIVINI SALVATORIS adventus, ac labefactatum rationis lumen ſanctiſſimis præceptis illuſtravit.

CCLXXIX. Chriſtum imitati poſtea primi ECCLESIÆ PATRES, ſacram ſcripturam cum rationis principiis conjunxerunt, quam methodum mores emendandi, qui confuſionem vocant, nec temporum illorum habent rationem, & inſanum calumniandi pruritum produnt.

CCLXXX. Quæſivere plures laureolam in eo muſtaceo, ut doctrinam Patrum veluti falſis refertam ſententiis exagitarent: nos quidem humanum nihil ab illis alienum putamus, pleroſque tamen, qui illis objiciuntur, errores impudenter & mala fide adfictos eſſe, manifeſtiſſimum eſt.

CCLXXXI. Simili maledicendi rabie eos deliraſſe oportet, qui inſignia DOCTORUM SCHOLASTICORUM in Jurisprudentia Naturali merita deprimere ſtuduerunt, quod vel collato D. THOMÆ L. I. *Eth. Lect.* cum THOMASII *hiſtoria J. N. C.* 4. §. 30. apparet.

CCLXXXII. Quare miſſis nugis, ſalebris, glandibusque, quod temporis etiam fuerat vitium, optimas fruges in illis inveniri, & res ipſa loquitur, & viri in hac ſcientia principes luculenter experti ſunt.

CCLXXXIII. Fruſtra quoque in medium proferuntnr errantes multorum ex iis opiniones, quaſi Juris naturæ ſcientiæ plurimum offeciſſent; has enim ſtatim diris devovit Eccleſia, quo freno contra hujusmodi ſententiarum monſtra ſectarii ſemper inter ſuos caruerunt.

CCLXXXIV. In ſpecie vero multum promeriti ſunt de J. N. diſciplina non modo FRANCISCUS VICTORIA, OLDENDORPIUS, ALBERIC. GENTILIS, ſed etiam, quem omnes Hiſtoriæ Juris naturæ ſcriptores ſilent, RAIMUNDUS DE SABUNDE in Lib. *de Nat. hominis* ſub initium ſæculi XV. edito; & ex proteſtantibus HEMMINGIUS, WINKLERUSque.

CCLXXXV. Hos tamen longe poſt ſe reliquit HUGO GROTIUS compoſitis, editisque *Pariſ.* A. 1625. Libris tribus de *Jure Belli & Pacis*, cujus operis auctor ſuaſorve ipſi fuerat PEIRESCIUS Galliarum Regis miniſter.

CCLXXXVI. Atque ex his evidenter colligitur, Pythagoræorum ac recentiorum Platonicorum veſtigia legere illos, qui a ſuo, neſcio cujus, reformationis Auctore, uti lumina omnia, ita primam jurisprudentiæ naturalis culturam repetere perfricta fronte ſuſtinent; quid enim a naturæ legibus magis abhorret, quam vota ſua non reddere

Do-

Domino, liberumque hominis arbitrium eliminare?

CCLXXXVII. Eximium Grotii opus alii *Commentariis Notisque* illuſtrare, alii in *Epitomen* redigere, alii in ſuas linguas vertere ſtuduerunt; nemo tamen a carpendo abſtinuit. Mirari porro licet altum illorum ſupercilium, qui *Romanæ Cenſuræ* judicium ægre ferunt, paucas ſolummodo male ſanas propoſitiones reſpiciens.

CCLXXXVIII. Grotii æmulatione excitatus SELDENUS Anno 1640. jus naturæ *ex ſeptem Noachidarum* præceptis, ſumma licet eruditione, incaſſum tamen conatus eſt adſtruere.

CCLXXXIX. Multo magis quidem cohærent HOBBESII *Elementa philoſophica de cive*, biennio poſt, anno ſcilicet 1642. *Pariſiis* edita. Quum tamen falſis nitantur principiis, ita & non paucæ concluſiones inde deſumtæ ejusdem ſunt farinæ.

CCXC. Merito itaque in Hobbeſii paradoxa plures calamum ſtrinxerunt, omnium vero optime, & magna ingenii vi RICH. CUMBERLANDUS illius errores labefactavit; lutulenta tamen ac involuta uſus oratione, & incongruis ſæpe argumentis.

CCXCI. Præclaras judicii & eruditionis dotes, domeſticaque argumenta attulit ad hanc ſcientiam SAM. PUFENDORFIUS, cujus opus de *J. N. & Gent.* anno 1672. Lon-

dini Scanorum, hujus vero compendium anno ſequenti in lucem prodiit. Ut tamen heterodoxas illius opiniones, tum multos alios a ſuis etiam reprehenſos & obvios nævos prætereamus, id tantum obſervamus, multa illum a Scholaſticis, quos tamen ubique illiberaliter contemnit, eſſe mutuatum.

CCXCII. Plures nactus eſt ruſticos atque indoctos adverſarios Pufendorfius: illos vero tam acerbo excepit ſtylo, ut teſte Thomaſio *in Hiſtoria Juris Nat.* fieri non poſſe videretur, ut homo anima rationali præditus tantopere inſaniret.

CCXCIII. Pufendorfio adhæſit THOMASIUS in *Inſtitutionibus Jurisprudentiæ divinæ* A. 1688. editis, quas tamen poſtea deſtruxit in *fundamentis Juris naturæ* & regulas *pii*, *juſti*, *honeſti* & *decori* ſurrogavit; vir doctrinæ laude inſignis, ſed alias inconſtantiſſimus, dicacitate, ſatyra, maledicendique arte nulli ſecundus, & larvas ubique ſibi fingens.

CCXCIV. Pufendorfium & Thomaſium ſecuti ſunt inde plerique J. N. cultores; & quidam priorem notis declararunt, quidam ambos in ſuos libros digeſſerunt, alii vero & nova ſyſtemata elaborarunt. Inter hæc GUNDLINGII, HEINECCII, & GLAFUSII libri non extremum obtinent locum.

CCXCV. Magno vero applauſu eruditi exceperunt duo illa ſyſtemata; unum, quo

CEL-

CEL. WOLFIUS tum in magno opere VIII. *Tom. in 4to.* tum in hujus Epitome omnia hominis officia, methodo vere ſcientifica, & Pythagoræ jam commendata, deduxit, plures nactus aſſeclas; alterum, quo SAM. L. B. DE COCCEII jus naturale cum romano conjunxit, hocque ex illo mirifice confirmavit.

CCXCVI. Eſt ſane methodus a Wolfio introducta, ad eruendas, & confirmandas veritates morales aptiſſima; quemadmodum KOELERI & DARIESII inſignes elucubrationes, tum editi a SCHIERSCHMIDIO, ACHENWALLIO, NETTELBLADTIO aliique libelli ſatis docent. Mirum porro non eſt, eam methodum Germaniæ ſcholas tantum non omnes breviter occupaſſe & in dies magis dilatari.

CCXCVII. Gallorum in jure naturali ſtudia non modo Grotii & Hobbeſii libri, Pariſiis primum vulgati, tum repetitæ Gallicarum verſionum Grotii, Pufendorfii & Cumberlandi editiones, ſed etiam DOMATI labores, laudes BURLAMAQUIO in gallicis diurnis eruditorum merito tributæ, recens denique liber, cui titulus: *Eſſai ſur les principes du droit & de la morale par Mr. d'AUBE*, ſatis teſtantur.

CCXCVIII. Opus vero *de legum cauſis* quod attinet, a Cel. MONTESQIUO vulgatum, eam præcipue Jurisprudentiæ natu-

ralis partem complectitur, quam privatam universalem supra vocavimus. Plures tamen auctori doctissimo nævos excidisse, non ab uno, aut unius sectæ viro ostensum est.

CCXCIX. Vidit & Russia STRUBII J. N. systema: nec suis caruit Italia jurisprudentiæ naturalis cultoribus, uti vel ex Heineccii elementis J. N. ibidem recusis, tum ex P. ANSALDI, ANTON. GENUENSIS, utriusque Dan. & Nic. CONCINÆ aliisque operibus adparet.

CCC. Atque jam pridem in Academiis nostris *Friburgensi* & *Oenipontana* tradita fuerat Jurisprudentia naturalis, quod postea etiam in *Pragensi*, tum in hac *Vindobonensi* An. 1754. publice fieri cœpit.

CCCI. Nec defuerunt & præclaræ huic arti tam vetere quam nostro ævo sui osores, suique corruptores. Ceterum promissas a Triumviris in Republica literaria celeberrimis ulteriores juris naturæ meditationes frustra præstolati sumus.

CAPUT VIII.

De officiis erga Deum seu Pietate Naturali.

CCCII. Posteaquam Jura hominis naturalia illorumque disciplinam generatim contempla-

plati sumus, sequitur, ut de ipso horum jurium usu, seu de officiis speciatim disseramus. Quæ quidem omnia pietate erga Deum, tum honestate & decoro erga se ipsum, ac tandem æquitate & justitia erga alios contineri supra demonstravimus.

CCCIII. Quod ad pietatem attinet, quum ea in illustratione gloriæ divinæ seu divinarum perfectionum manifestatione deprehendatur, is autem Dei manifestet perfectiones, qui ex illarum cogitatione desumit agendi momenta: facile colligitur officia erga Deum naturalia ad duo illa summa capita posse revocari; ut nimirum primo veram certamque consequamur Dei ejusque attributorum cognitionem, tum vero sententiis de Deo rite conceptis actiones nostras conformemus.

CCCIV. Esse autem Deum, a quo conditum sit hoc universum, quoniam ex propria ipsius naturæ, & rerum extra se positarum contemplatione quicunque usu rationis est præditus, facillime intelligere potest: inexcusabilis utique est hujus evidentis veritatis ignorantia, qua semel absterſa, quamvis ens infinitum nequeat comprehendi, ejus tamen æternitas, independentia, unitas, omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia, veracitas, providentia, summa bonitas ac in præmiandis bonis

& puniendis malis justitia abunde patebunt. cf. *WOLF. Theol. Natur.*

CCCV. Itaque a prima illa Naturæ lege de cognoscendo summo Numine quam maxime abhorrent *Atheismus*, *Polytheismus*, *Idolomania*, *Epicureismus*; cum scilicet vel Deus esse negatur, vel plures finguntur Dii, vel rebus creatis, uti soli, lunæ, mundo, Divinitas tribuitur, vel vero nulla admittitur Dei providentia; cæteraque hujusmodi opinionum monstra ab iis potissimum in medium prolata, qui ut *putentur sapere*, *cœlum vituperant.* Phædr. III. Fab. 6.

CCCVI. Nec varia, quæ in hoc universo experimur mala adsertæ divinæ providentiæ adversantur. Malum enim *methaphysicum*, quod in rerum productarum limitatione positum est, nisi omnia entia infinita esse fingas, abesse nullo modo potest. Malum *morale* ex abusu libertatis oritur, quod si impediret Naturæ auctor, bonum etiam morale tolleret, atque hominis naturam; hæc enim non intelligitur, nisi libera sit, & ad merendum, ac demerendum idonea. Denique malum *physicum*, veluti dolores ac morbi sunt mali moralis effectus; igitur hæc mala permittere divinæ sapientiæ est convenientissimum. *cf. Leibnitz.* in Theodicea.

CCCVII. Quamprimum intellectus viva divinarum perfectionum cognitione est imbutus, etiam voluntas in iisdem rationem

agen-

agendi sufficientem habet; actiones ad quas divinorum attributorum contemplatio nos impellit, Dei *cultum* constituunt; quum igitur ad gloriam summi Numinis illustrandam, tanquam finem nostrum ultimum obligemur; etiam ad ejusdem cultum nos teneri est manifestissimum.

CCCVIII. Qui Deum colit, is Divinas perfectiones imitatur, sese porro atque hoc universum perficit, & ad summum bonum, quantum in se est, accedit. Quum igitur ex momentorum magnitudine ducatur obligationis mensura, evidens est, nos ad Deum colendum obligatione omnium maxima esse obstrictos.

CCCIX. Quemadmodum actiones nostræ generatim vel internæ tantum sunt, vel etiam externæ, ita & illæ, quæ ad Divinæ gloriæ illustrationem pertinent, bifariam considerari possunt. Quamobrem etiam Dei cultus in *internum*, & *externum* recte distribuitur.

CCCX. Inter partes cultus interni *amor* Dei facile eminet: quum enim is amet, qui ad voluptatem ex perfectionibus capiendam propensus est promptusque: quis non videt, summam quoque esse oportere voluptatem nostram, & delectationem, quæ ex cognitione infinitarum Dei perfectionum, & maximæ in nos bonitatis cogitatione oritur: quod ipsum monuit Apostolus: *Nos ergo dili-*

gamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. JOAN. *Ep.* I. IV. *v.* 19.

CCCXI. Proxima huic eſt *Reverentia* ſeu timor filialis: amor enim ſollicitudinem animi gignit, nihil faciendi quod alterius voluntati adverſetur, aut ſi quid factum, pœnitendi, & veniam deprecandi. Quum igitur homo creatorem ſuum amare ſuper omnia teneatur: ut eum quoque timeat, culpæ pœniteat & remiſſionem flagitet neceſſe eſt. Abſit autem timor ille *ſervilis*, qui tantum pœnarum repræſentatione excitatur, quippe qui cum odio conjunctus eſt, & averſatione. *CICER. off. II.* 7. JOAN. I. v. 18.

CCCXII. Sequitur porro *Fiducia, & Adquieſcentia* in Deo, ut nimirum in officio manentes quod reliquum eſt, nos resque noſtras ineffabili ejus Providentiæ committamus. Novit enim ens omniſcium, omnipotens atque optimum indigentias noſtras, eisque poteſt, ac vult ſubvenire, quatenus quidem id ſummæ ipſius ſapientiæ non repugnat. Quare Deum corde & mente *invocare* debemus, ut quæ nobis bona ſunt, tribuat, mala depellat, aut ſi hæc obvenerint, in bonum finem convertat.

CCCXIII. Ex his autem obligatio *ad obedientiam & obſequium* manifeſto colligitur. Sane is obedire dicitur, qui facit quod alter vult, & quod non vult, omittit. Divina voluntas, quatenus ſola ratione cognoſcitur,

tur, eſt naturalis actionum noſtrarum regula, cujus cuſtodiam præmia, transgreſſionem vero pœnæ comitantur. Quare ab obligatione parendi voluntati ſummi imperantis Dei, non magis quam ab ejus amore quisquam eſſe immunis poteſt. (§. 141.) quod ipſum verba docent ſacrarum litterarum: *qui habet mandata mea, & ſervat ea, is eſt, qui diligit me.* JOAN. XIV. 21.

CCCXIV. Qui ea agit, quibus declarat ſe Deum non habere pro tali numine, quale revera eſt, Dei gloriam obſcurare dicitur. Ideo cultum internum quam maxime contaminant, deſtruuntque odium Dei, irreverentia, deſperatio, inobedientia, omnisque alia impietas ac *ſuperſtitio*, quo nomine generatim quemcunque erroneum de Deo conceptum, ſpeciatim vero vanum atque inanem timorem ſummi Numinis deſignant.

CCCXV. Sed illi etiam pietatem funditus tollunt, qui negant DEI providentiam, quaſi non curaret res humanas, aut qui a divina providentia ignaviæ ducunt argumentum, vel pœnas in homines refractarios decernere a Dei bonitate eſſe alienum putant: quod cum & hodierni delirent Epicurei, eos fugere oportet cane pejus & angue: *Sit* enim *ſpes fallendi*, miſcebunt ſacra profanis. *Horat.* I. *Ep.* 16. *v.* 51.

CCCXVI. Uti nulla actio moralis externa ſine interna intelligi poteſt, ita & cultus

tus Dei externus ab interno totus pendet, omneque inde capit pondus, atque menſuram. In eo igitur conſiſtit, ut celebremus divinum nomen, rectasque de Dei exiſtentia ejusque attributis cogitationes, tum amorem, reverentiam, ſpem atque obſequium noſtrum voce, aliisque ſignis declaremus.

CCCXVII. Huc porro ſpectant invocationes ſummi Numinis ore prolatæ ſeu *orationes*, quas ſi pro bonis a Deo obtinendis fundimus, *ſupplicationes*, ſi pro malis declinandis, *Preces*, ſi ad gratum animum ſignificandum, *Gratiarum actiones*, ſi denique ad intercedendum pro aliis, *Interpellationes* vocantur. Et quoniam *Hymni*, ſeu carmina ad celebrationem divi Nominis compoſita, cantusque facilius in animos influunt, attentionem augent, & memoriæ tenacius infiguntur, nulla dubitatio eſt, quin hymni cantusque cultui divino externo promovendo valde ſint idonei.

CCCXVIII. Etſi vero ratio ſibi ſoli relicta, quo in loco, quibus diebus, quoties aut qua forma hæc pietatis exercitia explicanda ſint, minime determinet, ea tamen docet, certum locum, tempus, & modum externo cultui eſſe deſtinandum, & inde colligitur, *templa*, *dies feſtos*, nec non *ceremonias*, quæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione negotii alicujus debemus recordari, tum

ſigu-

figuras hieroglificas, & *imagines* insignem habere utilitatem, & ad Dei cultum augendum prodesse.

CCCXIX. In his omnibus tamen ea tenenda moderatio est, ne dies festi nimia tandem frequentia vilescant, & in contemptum abeant, neve necessariis laboribus, aliisve implendis officiis sint impedimento; ne ceremoniæ ad rerum sacrarum memoriam instaurandam ineptæ adhibeantur; ne denique homines sensuum imperio adsueti cultum rei significatæ, Creatori scilicet ejusque attributis in mentem revocandis, debitum ipsis signis ac imaginibus exhibeant.

CCCXX. Atque ex his adparet, quam absurde nonnulli cultus externi necessitatem sola ratione colligi posse negaverint. Utique actiones nostræ omnes, adeoque etiam externæ in fine ultimo consentire debent, nemo autem gloriam Dei manifestare sine externis signis potest. Sed & internam cujusvis pietatem frigescere necesse est, nisi in externam gestiat prorumpere. Et ideo cogitationes nostræ, quas diversæ sensationes sæpius impedirent, perceptionibus sociis confirmandæ sunt.

CCCXXI. Nunc quid tam interno quam etiam externo Dei cultui adversetur, pronum erit judicare. Eo nimirum spectat *Blasphemia*, seu dictum vel factum in contemptum Dei vergens, *Idololatria*, si venera-

ra-

ratio ſoli Deo propria rebus creatis exhibetur. Dein *Pietas politica*, quæ in externis tantum actibus, ſine animi conſenſu reperitur. Abit autem hæc vel in *Hypocriſin*, ſi a rerum captandarum cupiditate ducitur, vel in *Phariſaiſmum*, ſi ad nudam oſtentationem pertinet.

CCCXXII. Eo quoque referenda ſunt *pietas mechanica*, & *preces* tantum *formulariæ*, quas dum os memoria profert, mens alio divagatur, aut plane non intelligit, porro *Bilis*, quæ pro zelo, *Triſtitia*, quæ pro amore Numinis, & *Paroxiſmi hypocondriaci*, qui pro pugna cum dæmone habentur; *Pudor pietatis*, cum quis erubeſcit preces fundere, aut Deum confiteri.

CCCXXIII. Ad hanc denique claſſem pertinent facta omnia ſuperſtitioſa, fanatica, ac divinatoria, quorum quidem plurimæ ſunt formæ, ſed ſatis fuerit pauca quædam extantiora exempla deſignare. In hoc nimirum luto hærent, qui effectus a præſtantiſſima natura tantum pendentes tribuunt creaturis; qui occulta Dei judicia interpretantur temere; qui Deum quaſi ens avarum donis facile placari, aut ſolo externo cultu propitiari poſſe cenſent; qui falſa fingunt miracula, aut uſum propriarum facultatum negligentes, illa tamen implorant; qui non horrent humanos immolare victimas, ac tandem qui a Deo aliquid infini-

ni-

nitis ejusdem perfectionibus diſſentaneum efflagitant.

CCCXXIV. Actiones affirmativæ certo loco, tempore, & viribus indigent ſeu occaſione, quæ tamen in actionibus negativis deeſſe nunquam poteſt. Ex quo conſequitur, ut divinam gloriam immediate illuſtrare ſemper quidem, ut ajunt, ſed non pro ſemper, eam vero non obſcurare, ſemper & pro ſemper, hoc eſt ſine ullius temporis, vel loci intermiſſione teneamur.

CCCXXV. In Dei cognitione & cultu poſita eſt *Religio*, quæ *vera* eſt, ſi Dei conveniat attributis, *falſa* ſi eisdem repugnet. Et porro alia *naturalis*, quatenus ſolius rationis lumine cognoſcitur, vel *poſitiva*, ſi primum accedente divina revelatione innoteſcit. Quia vero leges omnes naturales neceſſariæ ſunt, atque immutabiles, ſatis liquet, præcepta Religionis naturalis per ea, quæ Deus ſpeciali modo nobis manifeſtavit, ſublata non fuiſſe.

CCCXXVI. Actiones omnes liberas adeoque & illas, quæ piarum genere continentur, ab intellectu & voluntate tanquam a ſuis principiis proficiſci, intellectum vero & voluntatem phyſice cogi non poſſe ſatis conſtat. Inde vero colligitur etiam actiones pias ab omni phyſica coactione eſſe immunes: quoniam vero obligatio naturalis atque immutabilis Deum recte cognoſcen-

di,

ndi, & colendi paullo ante demonstrata est, eatenus profecto nulla existit religionis libertas moralis, atque adeo hoc sensu *libertas*, quam vocant, *conscientiæ* turpe est commentum.

CCCXXVII. Quum Ecclesia sit societas ad Deum eodem modo colendum tendens, omnes autem homines unitis viribus ad hunc finem obtinendum lege naturali obligentur, non obscurum est concipi posse Ecclesiam naturalem, ratione tantum cognitam, absolutam atque universalem, in qua tamen, nec personarum, aut rerum discrimen, nec certi ritus, aut dies festi, nec sacrificia, nec humanum imperium intelligitur. Quapropter homo hominem ab illa excludere, vel semetipsum separare nullomodo potest. Hæc igitur omnia determinari oportuit lege positiva; in quo quidem christianæ Religionis præstantia conspicitur.

* Explanentur hic leges divinæ positivæ.
I. *De arbore vetita. Gen. II.* 17.
II. *De Sabatho sanctificando. Gen. I.* 27.
III. *De esu sanguinis vitando. Gen. IX.* 4.

CCCXXVIII. Nihilominus insignis hodie adhuc est Religionis naturalis usus. Primo enim hæc homines populosque, qui auctoritatem non agnoscunt sacrarum litterarum, aliquo tamen vinculo & fræno cohibere potest. Dein vero religionis revelatæ necessita-

ſitatem ſuggerit, & regulas docet, quibus falſa revelatio a vera rectaque diſcernatur. Etſi enim rationem ſuperet revelatio, attamen doctrinas, quæ veritatibus ratione perſpicuis, & divinis perfectionibus adverſantur, ad falſas ſpuriasque eſſe referendas inde pateſcit, quod Deus rationis, & revelationis auctor ſibi ipſi nequeat repugnare.

CAPUT IX.

De officiis erga ſe ipſum, ſeu de honeſtate naturali.

CCCXXIX. Inter fines, quos ſpectavit ſapientiſſimus conditor hujus univerſi, illum quoque reperiri alibi demonſtravimus, ut quisque ſe conſervare ſtudeat, ſe perficiat, diligatque; hoc enim neglecto, nec ea, de qua antecedente capite egimus, divinæ gloriæ illuſtratio obtineri ullo modo poteſt. Nemo igitur eſt, qui non huic fini actiones ſuas attemperare teneatur. Quod idem, quum & cuique innati ſuggerant naturæ ſtimuli, & recta ratio ex veri boni notione luculenter perſpiciat: quin obligationes & officia erga ſemetipſum dentur, abſurdum foret dubitare.

CCCXXX. Quicunque facultatum à naturæ auctore tributarum ſibi ſatis non eſt conſcius, atque adeo quas perfectiones adquirere, aut imperfectiones evitare aptus ſit, probe non tenet, is in boni malique delectu facile inducetur in errorem; itaque unicuique imprimis curandum eſt, ut ſe ipſum noſcat, tum vitas hominum inſpiciat tanquam in ſpeculum, dein vero qua ratione alii perfectiores facti ſint, vel imperfectiores, ſedulo experiatur.

CCCXXXI. Quum vero hominis ſtatus vel internus ſit, vel externus, illeque anima & corpore atque utriusque facultatibus, hic autem pluribus aliis determinationibus contineatur: homini, qui ſtatum ſuum perficere debet, danda omnino eſt opera, ut ſe vivum ſervet atque incolumen, hinc bona animi, corporis, & ſtatus externi, atque ita omnium, quas habere poteſt, perfectionum cumulum ſive felicitatem conſequatur; quæcunque autem hiſce bonis ſunt contraria, quæque infelicitatem pariunt, diligenter declinet.

CCCXXXII. Animi perfectio in recta intellectus, & voluntatis exercitatione conſiſtit; quum igitur intellectui is propoſitus ſit finis, ut veritatum, quoad ejus fieri poterit, cognitionem capiat, nec tamen ſine uſu facultatum ſentiendi, reflectendi, intelligendi, judicandi, & ratiocinandi eo queat per-

perveniri: manifeſtum eſt, ad culturam harum facultatum cuique eſſe incumbendum, ut vincatur ignorantia, depellantur errores, eaque evitetur cognitionum confuſio, quæ in diſcernendo honeſto à turpi poſſet obvenire.

CCCXXXIII. Sed inutile foret honeſti ac turpis diſcrimen noſſe, niſi hauſtis veri boni cognitionibus actiones noſtræ congruant. Nulla ſane alia eſt deſerendi officii cauſa, quam quod appetiones, & averſationes potiſſimum ſenſitivæ à recta diſſentiant ratione, & vana tantum boni malive ſpecie decipiamur; quare voluntatem fini ſuo obtinendo adſuefacere oportet, & illam ita flectere, ut nonniſi ex verbi boni contemplatione ad appetendum, & ex contemplatione veri mali ad averſandum ſe determinet, atque hoc modo præclarus ille rectæ rationis cum inferioribus adpetendi facultatibus conſenſus exiſtat.

CCCXXXIV. Sed nihil magis voluntatem in transverſum agere poteſt, quam affectus, in quibus adpetitio, vel averſatio ſenſitiva dominatur; quare omnibus maxime cordi eſſe debet, ut eosdem regant, & in diſciplinam, atque obſequium tradant rationi; hæc enim hujusmodi vehementiores animi motus, ne in actus legi contrarios erumpant, compeſcet, ſedabitque, aut etiam, ſi ita res ferat, illis tanquam calca-

ribus ad appetitionem, vel averſationem rationalem magis ſtimulandam, augendamque utetur.

CCCXXXV. Uti animi imperio, ita corporis ſervitio indigemus; quapropter hujus *ſanitatem*, quantum quidem in nobis eſt, conſervare, *habilitatem* vero exercitatione & arte augere in officio eſt. Ita porro fiet, ut organa, quæ vel ad vitam generatim, vel ſpeciatim ad ſenſus ſive internos, vel externos, tum ad motus alios, veluti loquelam & ambulationem efficiendos pertinent, proprio muneri implendo magis idonea reddantur. In hiſce enim functionibus tam connata, quam adquiſita machinæ corporeæ perfectio conſiſtit.

CCCXXXVI. Ex hiſce autem compertum eſt, quam turpe ſit corporis vires mollitie atterere, vitæ aut ſanitatis pericula temere ſubire, membra mutilare, aut plane mortem ſibi ipſi conſciſcere. Sane, qui ſpiritum e cuſtodia dimittunt, munus defugiunt à Deo ſibi aſſignatum, & eſſentialem illam hominis perfectionem, quæ in corporis cum anima commercio poſita eſt, funditus evertunt, quo facto omnis quoque corporis ac animi perficiendi ipſiusque divinæ gloriæ illuſtrandæ occaſio eſt erepta.

CCCXXXVII. Pendet autem hominis conſervatio, & major perfectio à rerum ſeu facultatum externarum uſu, ut nimirum

ci-

cibus, potus, amictus, & incidentibus morbis medicamenta prompta habeantur. Ex quo ſatis adparet, eos ab officio diſcedere, qui in rebus hujusmodi parandis vel tuendis negligentes ſedent, & oſcitantur.

CCCXXXVIII. Omnis opera ſeu exercitatio facultatum noſtrarum, cum aliqua ſaltem ægritudine conjuncta, & illa ſpeciatim, quæ in rebus parandis tuendisque verſatur, *labor* dicitur, cui opponitur *otium*, ſeu vacatio à labore. Quum nemo ſit, cui ab actione ad finem ſuum pertinente, ſeu occupatione vacare liceat, vel qui ſine ulla minima moleſtia ſe perficere, & rerum potiri ſatis poſſit, conſequens eſt, ut unus quisque teneatur laborem ſectari, & eatenus otium fugere.

CCCXXXIX. Quoniam rerum expetendarum illa tantum ratio eſt, ut implendi officii ſint remedia, curare omnes oportet, ut cibo, potu, ac medicamentis utantur minime noxiis, & moderate; ut veſtimenta frigoris & tempeſtatum moleſtiis arcendis ſervandæque verecundiæ inſerviant; ut in domiciliis ſalubritas, ac commoditas ſpectetur; ut denique labor vitetur immodicus, qui vires frangit, & operas impedit futuras. Quapropter jam quiete frui, jamque jucunde & cum innoxia voluptate occupari ſive honeſto in otio vivere ſine negotio aliquando licebit.

CCCXL. Qui in corporis habitu, & rebus comparandis atque expendendis ſtatutum ſervant modum, iis *frugalitas* & *temperantia*, & quatenus hæc omnia in oculos cadunt, etiam *decorum* tribuitur. Ex quibus perſpicuum eſt, haſce virtutes ad officia erga ſe ipſum eſſe referendas, vitia autem contraria, intemperantiam, & luxuriam, tum ingluviem, ebrietatem, avaritiam ac profuſionem à lege naturali abhorrere.

CCCXLI. Innumeræ autem ſunt laborum, & occupationum formæ, nec cujusquam hominis tantum eſſe poteſt animi, vel corporis robur, ut omni veritati cognoſcendæ, omnique operi præſtando ſufficiat. Quare ſingulos ad certos quosdam labores & occupationes, hoc eſt, *vitæ genus* ſeſe adplicare, & habitus illi conſentaneos adquirere neceſſe eſt. Eam nimirum quisque ſibi accommodet perſonam, in qua finibus vivere convenientiſſime, & ita maximas, quæ in ipſum cadunt, perfectiones obtinere eſt aptiſſimus.

CCCXLII. Caveat porro quisque, ne antea implicetur aliquo certo genere, curſuque vivendi, quam potuit, quod optimum eſſet, judicare. Itaque animi, & corporis vires, ingenium atque indoles, facultates externæ, &, ſi ita res ferat, etiam voluntas eorum, qui pollent imperio, diligenter exploranda ſunt; tum vero perſona, quæ cuique eſt impoſita, ita gerenda eſt, ut nihil eorum,

quæ

quæ muneris ratio exigit, à nobis desiderari patiamur. In hoc peculiaria erga animum, corpus, & statum externum officia cernuntur.

CCCXLIII. Ad statum externum pertinet quoque *Existimatio*, seu judicium aliorum de morali nostra perfectione, vel imperfectione, ex quo si latius serpat, *Fama* proficiscitur. Utraque in *bonam* & *malam*, dein *in veram falsamque* abit. Bona existimatio iterum vel *simplex* est, seu naturalis, quæ cuique ob solam à malo abstinentiam competit, vel *intensiva*, sive adventitia, quam perfectiones vel intellectus, vel voluntatis superadditæ sibi vindicant. Ista si verbis declaratur, *Laus*, si factis, *Honor*, si autem bonorum, & peritorum consensu propter eminentes dotes stabilita sit, *Gloria* nuncupatur, quibus *Vituperium*, *Contemptus*, *Infamia*, atque *Opprobrium* sunt contraria.

CCCXLIV Quandoquidem bona *existimatio* partem jurium nostrorum constituit, prætereaque majores perfectiones adquirendi occasionem præbet, cujuslibet est officium eandem custodire & augere. Etsi enim quid homines de se loquantur, aut sentiant, præstare nemo possit, veram tamen laudem & honorem honestis actionibus promereri, in cujusvis potestate positum est. Fugienda vero sunt vitia tam *Ambitionis*, quæ est laudis & honoris per se tantum & propter se ad-

pe-

petitus, quam *Adrogantiæ*, qua ii ſunt infecti, qui à perfectionibus opinatis, vel fortuito obvenientibus laudes, aut honores aucupantur.

CCCXLV. Quum *Fortuna*, ſeu eventus ab inevitabili cauſarum nexu conſequentes nemini queant imputari, ideo nec à *proſpera* laudis, nec ab *adverſa* vituperii arripi argumentum poteſt. In eo autem eſt cuique elaborandum, ut nec fortuna proſpera emolliatur, nec in adverſa animum abjiciat, ſed eam patienter ferat, ſuaque virtute ſe involvat. In quo, quia excellens illa virtus *animi magnitudo* conſpicitur, ideo, ut in illam facilius aſſurgamus, neceſſaria eſt præparatio ad futuros caſus.

CCCXLVI. Sine concordia variorum in uno non intelligitur perfectio. Itaque ut hominis ſtatus omni ex parte in ſuo genere perfectus ſit, officia erga animum, corpus, & ſtatum externum inter ſe, & cum ſuo ſcopo tam generali, quam peculiari conſpirare debent. Quamobrem non ita ſtudendum eſt animi perfectionibus, ut corporis vires vel cetera bona externa negligantur, aut viciſſim.

CCCXLVII. Equidem in eum aliquando caſum demittimur, ut omnibus hiſce officiis ſimul ſatisfacere nequeamus; ſive quod neceſſaria nobis deſint remedia, ſive quod officiorum inter ſe conflictus oriatur. Ac tunc

qui-

quidem nulla dubitatio eſt, neceſſitatem abſolutam & ſimplicem non habere legem; quæ vero in legum pugna ſe nobis objicit neceſſitas hypothetica, illa utique eam legem habet, ut id ſemper, quod ad majores obtinendas perfectiones valet, ac porro finis remedio, malum minus malo majori, adeoque etiam malum incertum malo certo præferatur. Id tamen non imus inficias, malum incertum grave malo certo, ſed longe leviori, redimere licere.

CCCXLVIII. Itaque *jus* quod vocant *neceſſitatis*, eſt facultas moralis, legem negligendi debiliorem, ut propter conflictum legi fortiori pareatur, & generatim juribus ſtricte talibus adſcribitur. Differt ab hoc *favor neceſſitatis*, qui tam in neceſſitate ſimplici ad excludendam omnem imputationem, quam in hypothetica vel ad tollendum reatum, ſi exceptio ſecundum leges inſtituatur, vel ad minuendam moralitatem, ſi falſam quis fecerit exceptionem, pertinet.

CCCXLIX. Ex hiſce autem intelligitur, cur incidente contentione I. ſatius quidem ſit animi quam corporis perficere facultates. II. cur tamen officium, quod ad vitam tuendam valet, anteponendum ſit illi officio, quod ſcientia, & cognitione continetur. III. cur porro corporis totius magis quam partis, aut facultatum externarum ratio ſit habenda. IV. curque ſi aut membrorum,

aut rerum facienda ſit jactura, quod ad longiorem vitæ conſervationem pertinet, conſiderare oporteat, & alteri præferre.

CCCL. Sunt porro res vel *neceſſariæ*, ſine quibus vita corpusque incolume nequit conſervari, vel *utiles*, quæ ad vitam ſine tædio ac ægritudine tranſigendam requiruntur, vel denique *jucundæ*, quarum uſus ſenſuum externorum voluptati inſervit. Itaque non obſcurum eſt, res neceſſarias utilibus, utiles autem voluptuariis eſſe anteponendas, & ita etiam labores alios aliis antecellere.

CCCLI. Is vero officiorum erga ſemetipſum conflictus exiſtere nunquam poteſt, in quo licita eſſet *autochiria*, ſeu voluntaria ſui ipſius occiſio. Eſt ſane vita omnium bonorum temporalium fundamentum, & æternorum occaſio. Igitur omnibus facultatibus internis, atque externis, libertati, exiſtimationi, valetudini, & corporis integritati præſtat, quæ fere omnia aliquam moram habere poſſunt, ac ſuſtentationem. Quare qui manus violentas ſibi inferre mallet, quam bonorum, quæ modo memoravimus, jacturam ſentire, falſam utique faceret exceptionem, & fini remedia, bonumque partis bono totius anteponeret.

CCCLII. Et quoniam omne periculum mali incerti infra idem fere malum certum, eſt ponendum, turpe profecto foret, mortem

tem futuram etſi valde veriſimilem, & acerbiſſimam, morte voluntaria certa ac præſenti occupare. Præterquam quod enim multa, ut ajunt, inter os & offam intervenire poſſunt, ipſi etiam dolorum acerbitati longius vitæ ſpatium quam maxime præponderat, ut nulla adeo mors incerta cum certa morte comparari poſſe videatur. Quid quod ſe ipſum morti dans animum anguſtum & minutum prodit, dein patientiam exercendi, & fiduciam in Dei providentia ac bonitate collocandi negligit occaſionem.

CCCLIII. Sed nec vitæ vel aliorum bonorum ſervandorum cauſa, leges Religionis naturalis negativas migrare unquam licet. Vitam enim & reliquas noſtras facultates, ea tantum ratione cuſtodire, & perficere obligamur, quatenus ad Dei perfectiones manifeſtandas ſunt remedia. Nefas itaque foret horum remediorum cauſa fine omnium ultimo excidere. Quare id omnino tenendum eſt, totius inhoneſtatis nullam eſſe capitaliorem, quam quæ contrahitur contemptu ſummi Numinis, & divinæ gloriæ obſcuratione.

CCCLIV. Contra ſi cum præceptis erga Deum affirmativis incideret contentio, quoniam illis implendis ſufficiente opus eſt occaſione, in gravi vitæ, vel rerum diſcrimine actionem, quæ ad gloriam Dei immediate illuſtrandam conduceret, præter-

mit-

mittere non erit in vitio. Sane poterit quis alio loco, & tempore eodem officio fungi, nec qui ſe ipſum ſervat absque impietate, recedere intelligitur à divino cultu, quippe ad quem omnes & ſingulæ actiones noſtræ ſemper referendæ ſunt.

CAPUT X.

De naturali æquitate ſeu officiis imperfectis.

CCCLV. Leges & obligationes erga alios ſiquidem ex merito fluunt & dignitate, *imperfectas*, ſi vero ex ſuo illorum conſequntur, *perfectas* nuncupari ſupra vidimus, & inde officiorum, quæ aliis debentur, diſcrimen duximus, ut jam imperfectis ſive æquitati, jam vero perfectis, ſive juſtitiæ adſcribantur. Supereſt modo, ut de utroque officiorum genere ſingillatim diſputemus; quæ iterum, pròut vel ex ſola natura, vel ſimul ex accedente quodam facto pendent, in *abſoluta* & univerſalia, vel in *hypothetica* & particularia diſpeſcuntur.

CCCLVI. Ea nimirum eſt naturalis hominum infirmitas atque imbecillitas, ut nemo ſemet ipſum perficere ſolus poſſit; alii itaque aliorum indigent opera, atque adeo ſinguli neceſſe habent vires ſuas, & facul-

ta-

tates conjungere, ut ita propoſitum quisque finem conſequatur; quod ipſum cum ex congenito cuique communitatis appetitu, tum maxime ex fine naturæ auctoris omnium perfectionem æque intendentis intelligitur.

CCCLVII. Si efficimus, ut alter uſu virium noſtrarum propoſitum ſuum adſequi poſſit, eum dicimur *juvare.* Itaque id a natura cuique impoſitum eſt munus, ut aliorum perfectionibus tuendis, augendisque importet adjumenta; quæ quidem varii ſunt generis, prout nimirum diverſas vel animi, vel corporis, vel ſtatus externi facultates cum aliis copulamus. Ceterum quoniam unitas in variorum conjunctione continetur, per ſe patet, cur ii, quorum vires ita inter ſe coierunt, pro *uno* recte habeantur.

CCCLVIII. Quandoquidem perfectio noſtra non niſi virium & facultatum copulatione poteſt obtineri, ideo obligatio erga ſe ipſum ab obligatione erga alios ſeparari nequit. Quare etiam oportet, quemlibet hominem aliis hominibus in anima, corpore, & ſtatu externo perficiendis dare operam, multoque magis ab inferenda quacunque imperfectione abſtinere. Quæ cum ita ſint, utique officia quæ quisque aliis debet, plane eadem ſunt, ac illa, quæ ſibi ipſi ſunt præſtanda.

CCCLIX.

CCCLIX. In habitu voluntatis aliorum promovendi perfectiones, ac in propensione ad voluptatem inde capiendam eorum dilectio atque amor conspicitur. Quum igitur officia erga alios eadem sint, atque erga semetipsum, consequens est, ut quilibet alios homines sicut semetipsum amare & diligere teneatur. Sunt sane tam sui quam aliorum amor, atque dilectio, paria ad obtinendum finem ultimum remedia: nulla porro eatenus adparet ratio, ex qua hæc officia possent inter se differre.

CCCLX. Virtus alios diligendi tanquam semetipsum *Caritas* vocatur; igitur ad caritatem, seu Philantropiam universalem obligamur, quam *Humanitas* seu habitus caritatem per actiones externas significandi, dein *candor*, *comitas*, *civilitas*, *festivitas*, atque *misericordia* comitantur. Inde vero patescit aliorum *odium*, *inhumanitatem*, *invidiam* seu tædium ex aliorum bonis ortum, *sinistra judicia*, solipsismum denique, seu *egoismum moralem*, qui in excessu amoris erga se positus est, legi naturali repugnare.

CCCLXI. Equidem alios homines sicut nosmetipsos, non autem magis diligere obstricti sumus; inde vero consequitur, ut si caritatis exercitatio cum amore pugnet sui ipsius, nemo alterum, si modo reliqua omnia sint paria, sibi ipsi præferre teneatur. Atque hoc sensu verissimum est vulgatum illud:

illud: *caritatem à ſemetipſo inchoare.* Quomodo enim aliis quisquam prodeſſe poſſet, ſi officia ſibi ipſi debita negligeret.

CCCLXII. Aſt falleret hæc ipſa regula, ſi quis in eum ſtatum demittatur, in quo neglectus officiorum erga ſe ipſum propter pugnam cum officiis erga alios ad majores efficiendas perfectiones pertineret. Tunc enim bonum totius bono partis anteponere, & ad maximam, quam poſſumus humani generis felicitatem contendere oportebit. Ad id enim nos ſapientiſſimi naturæ auctoris voluntas ſolo rationis lumine conſpicua fortiſſimis omnium vinculis obſtringit.

CCCLXIII. Qui nos amat, *amicus*, qui autem nos odit, *inimicus*, generali ſignificatione nuncupatur. Quoniam omnes amare obligamur, & neminem odiſſe, danda eſt opera, ut omnibus ſimus amici, tam *interni*, quam etiam, ſi vires ſuppetant, *externi*, nemini vero inimici; & quia ſi quis legem naturalem violat, propterea jus nobis non tribuit eandem legem migrandi, etiam inimicos diligere tenemur, eos nobis *reconciliare*, aut ſaltem, ut minus noceant, *emollire.*

CCCLXIV. Animi ad alios perficiendos proclivitas *benevolentia*, ſeu benignitas dicitur, ipſi autem actus benignitatis, ſiquidem ſine ſpe retributionis fiant, *beneficentiam*, ſecus *officioſitatem* conſtituunt. Quoniam

om-

omnium amicitiam ſervare, & contra inimicitiam fugere obligamur, conſequens eſt, ut benevolentiam colere, & quantum in noſtra poteſtate poſitum eſt, etiam beneficentiam exercere, & viciſſim promereri teneamur. Bona vero neceſſitatibus noſtris haud attemperata, vel quæ non ex amore, ſed vel ex ignorantia, vel ex propriæ tantum utilitatis ſtudio, vel plane ex animo nocendi ſunt profecta, perperam beneficiis quisquam adſcriberet.

CCCLXV. Ac benevolentia quidem quoniam à conſtanti & perpetua voluntate pendet, nunquam per ſe exhauriri, aut cum aliis pugnare officiis poteſt. Aliud vero obtinet in beneficentia; neque enim inexhauſtæ ſunt vires noſtræ, & major ſemper eſt numerus eorum, qui auxilio indigent, quam ut omnibus iſtis adjuvandis ſufficere valeant. Itaque exiſtente pugna officiorum exceptionem aliquam facere erit neceſſe.

CCCLXVI. Prout autem officia erga alios vel omnibus generatim, vel certis tantum perſonis habita occaſione præſtantur, ita jam *indefinitis*, jamque *definitis* accenſeri conſueverunt. Servant igitur prioris generis officia, qui idoneum eligunt vitæ genus, ut aliis juvandis ſint aptiores, qui utilia perſequuntur inventa, qui denique virtutes intellectuales, & morales proprio exemplo commendant. Aſt eadem hæc officia præter-

termittunt violantque ignaviæ ſectatores, qui nulli ſe addicunt vitæ generi, ſed vitam ſilentio tranſeunt veluti pecora, quique vel falſas & perniciofas doctrinas promovent, vel utiles & proficuas aut occultant aut plane criminantur.

CCCLXVII. Poſterioris generis officia, ſive *definita*, in duplicem iterum abeunt formam, prout nimirum ſine minimo virium noſtrarum detrimento, vel vero nonniſi cum aliqua ejus, quod noſtrum eſt, deceſſione præſtantur; illa dicuntur *innoxiæ utilitatis*, hæc igitur *utilitatis non innoxiæ* licebit adpellare. In ambobus autem ratio habenda erit occaſionis, & ut orto conflictu iis, quæ a fortiore obligatione ducuntur, ſatisfiat.

CCCLXVIII. Scilicet aliorum dilectio amori erga ſe ipſum non poteſt repugnare; dein ſæpe adſunt perſonæ, quibus non tantum communi illo naturæ, ſed alio adhuc ſuperaddito vinculo, obſtricti ſumus. Ex quo conſequitur, ut tunc demum ſervetur benignitatis modus, ſi beneficium dans, ſe ipſum haud negligat, ſique, ut quisque erit conjunctiſſimus, ita in eum etiam non petentem beneficentiæ plurimum conferatur, ſiquidem obligationem ſimplicem obligatione compoſita eſſe debiliorem, alibi oſtenſum eſt. Eos autem juvare haud erit opus, qui cum idoneis viribus ſint in-

ſtructi, ipſi convenientibus perfectionibus obtinendis jam ſunt pares.

CCCLXIX. Actus benevolentiæ nemini eſſe obtrudendos, ſive *invito non dari beneficium*, vetus quidem eſt adagium. Bona enim, ajunt, quæ alter repudiat, ſibi mala eſſe opinatur; qui igitur eadem admittere alterum cogit, ipſi non amoris, ſed odii præbet occaſionem. Enim vero quoniam alterum gravi periculo eripere, eique jam collum in laqueum inſerenti ſubvenire utique oportet, non eſt dubium, quin etiam invitis beneficia conferenda ſint, dummodo vires noſtræ, vires contrarias ſine alterutrius pernicie poſſint ſuperare. Aſt abſurdum foret eum vi opprimere, quem te jactas eſſe ſervaturum.

CCCLXX. In dilectione ejus, qui nobis benefecit, ineſt *gratus animus*, vulgo gratitudo. Quum plures & majores cauſſas ponderis plus habere oporteat, in eo autem, qui nos beneficiis ornat, præter communem humanitatis nexum, ſingularis adhuc felicitatis noſtræ promovendæ ratio inveniatur: conſequens eſt, ut cujuslibet ſit officium, erga homines beneficos ſe gratum præbere, atque hoſce animi ſenſus vel re, vel opera, vel verbis, quoad ejus fieri poterit, declarare. Quanquam enim quisque meritam debitamque gratiam *referre* non poteſt, *habere* certe poteſt.

CCCXXI.

CCCLXXI. Itaque fædior eſt animi ingrati, quam inhumani turpitudo, belluaque deterior is eſſe judicatur, qui nec collatis in ſe beneficiis potuit commoveri; ſed & eo major erit hujus vitii pravitas, quo præſtantiora ſunt bona, quæ alii in nobis collocarunt. Quæ tamen bona à quoppiam ſine beneficentiæ ſtudio, aut præter dantis intentionem in nos profecta ſunt: quia in numerum beneficiorum referri nequeunt, gratum animum non poſtulant.

CCCLXXII. Quandoquidem officia, quæ in augendis aliorum perfectionibus verſantur, *imperfecta* eſſe ſupra vidimus: facile patet, ea, quæ de amore, caritate, miſericordia, amicitia, benevolentia, beneficentia, officioſitate, & grato animo hactenus tradita ſunt, lege quidem naturali decerni, aliquem tamen, ut hiſce legibus ſe attemperet, cogere vi externa, naturaliter non licere. Sane ceſſaret tunc beneficentiæ notio, dein ſæpe ad id cogi quis poſſet, ad quod non habet vires, & ipſa tandem naturalis libertas plane corrueret.

CCCLXXIII. Nec inanis propterea erit hæc obligatio; qui enim æquitatis denegat officia, ſe odio aliorum exponit, bonam perdit exiſtimationem, atque hoc modo neceſſaria ſe perficiendi remedia amittit; in perpetuo denique vivit periculo, ne jus iniquum alii in ipſum retorqueant. Illud vero

maximi eſt ponderis, divinæ voluntatis transgreſſori præter naturales illas hujus vitæ poenas etiam poenas vitæ futuræ ab infinita Juſtitia imminere. Ceterum fieri etiam poteſt, ut officia imperfecta, quatenus in actibus externis poſita ſunt, vel ſuperioris *imperio*, vel majore urgente *neceſſitate*, vel novo quodam *facto*, in officia perfecta commutentur.

CAPUT XI.

De officiis erga alios abſolutis perfectis, ſeu de juſtitia ſtricte ſumta.

CCCLXXIV. Poſtquam communi omnium utilitati eſſe ſerviendum, ſatis demonſtravimus, facile erit intellectu, multo adhuc magis omittendam eſſe aliorum læſionem. Hæc enim cum a veris naturæ ſtimulis, atque adeo a finibus Creatoris ſola ratione conſpicuis abhorret, tum præterea læſo jus defenſionis, violentiæ, & belli, ſeu mala lædentibus inferendi tribuit. Quare, qui propriæ ſalutis non eſt immemor, neceſſe habet, *quod ſibi fieri non vult, alteri non facere*, neminem lædere, aut injuria adficere, verbo abſtinere ab alieno. In quo justitia ſtricte ſumta, jus cogens & officia perfecta continentur.

CCCLXXV. Quoniam ii lædunt, & injuriam faciunt generatim, qui in ſuum alterius involant, ad ſuum autem cujusvis imprimis jura æqualitatis, & libertatis a ſubjectione pertinent, non eſt obſcurum, hæc jura a nemine eſſe violanda. Itaque eſſent injuſti, qui durante illo naturali ſtatu, poteſtatem ſibi adſumere vellent in actiones alterius, quique externis factis proderent adrogantiam, & ita vel prærogativam, vel præcedentiam adfectarent.

CCCLXXVI. Sed & bona animi, corporis, & ſtatus externi ſuum cujusvis conſtituunt. Unde leges illæ perfectæ eſſe intelliguntur, quæ nos jubent, neminem inducere in errorem, præcipue quoad cognitionem honeſti ac turpis; alterius voluntatem, & mores haud corrumpere; neve dictis, aut factis, malove exemplo quempiam ſeducere; cavere ab homicidio tam doloſo, quam culpoſo; nullius ſanitatem perdere, atque adeo ab aliorum percuſſione, vulneratione, mutilatione, ſimilibusque inferendis malis abſtinere; nihil denique expugnandæ alienæ pudicitiæ cauſa, vi dolove attentare.

CCCLXXVII. In bonis ſtatus externi ſunt res potiſſimum, atque exiſtimatio: nulli igitur res ſuæ ſunt auferendæ, aut exiſtimatio, & fama quomodocunque violanda. Ex quo colligitur, vituperium, ac contemptum

aliorum, & hinc dicta, vel facta, & ſcripta omnia, quæ in eorum vergunt contumeliam, ſeu *injurias* ſtrictius ſumtas officiis perfectis repugnare. Etſi vero nemo majorem, quam ſimplicem exiſtimationem alteri tribuere debeat, attamen, qui cum contemptu externo exiſtimationem adquiſitam alicui denegat, eum lædere adhuc eſt cenſendus. DARJES *Obſ.* 9. N. XXXIX. §. 9.

CCCLXXVIII. Quemadmodum veritas judicii de alterius imperfectione, ſiquidem ſine jure imputandi, & in illius contumeliam proferatur, ab animo injuriandi non abſolvit, ita falſa vituperia, ſeu *calumniæ* quantitatem augent læſionis; graviſſima autem eorum eſt calumniandi ratio, qui *vaga* utuntur *criminatione*, ac vitia generatim, & indefinite alicui aſſignant. Præterquam quod enim nonniſi actio ſingularis, ſeu factum, poſſit imputari, atque adeo hujusmodi convicium pro falſo omnino ſit habendum, locus quoque contundendi vagas criminationes hacce ignominia notato vix relinquitur.

CCCLXXIX. Quoniam etiam is lædit, qui alterum impedit, ne jure ſuo utatur, non modo in jura perfecta, ſed etiam in imperfecta cadere læſio poteſt: qui enim aliquem, quo minus ſuas augeat perfectiones, interpellat, naturalem ejus libertatem præcidit, & porro, quod alienum eſt, uſurpat.

pat. Quare ſi juſti eſſe volumus, ne quis quodcunque jus ſuum exerceat, atque aliquam adquirat perfectionem, non ſimus impedimento, neque illorum, qui præſtare aliis auxilia, aut mala ab iis avertere ſtudent, conatus remoremur.

CCCLXXX. Alterius vero commoda oppugnare, & lædere naturaliter non videtur, qui ab eo, cui infertur, non propulſat injuriam. Etſi enim cuilibet opem ferre, & mala ab eo avertere omnium ſit officium, id tamen caritatis eſt, non autem juſtitiæ, cui niſi alia ſupperaddita ſint vincula, jam ſatisfaciunt, qui abſtinent ab alieno. Suum nimirum cuique in agendo judicium relinquere oportet, ne ſecus ad id, quod ejus excedit vires, præſtandum, aliquem cogamus. Atque propter hanc ipſam cauſam, qui alterius imperfectiones ſermone aliove ſigno arcere poterat, ſi tamen id facere prætermittat, caritatem quidem violat, aſt propterea actionis injuſtæ auctor nequit declarari.

CCCLXXXI. Atque ex his principiis ad perdifficilem illam reſponderi quæſtionem poteſt: an & ii aliquando lædant, qui officia innoxiæ utilitatis petentibus refragantur. Quod enim horum præſtationem jure tantum imperfecto deberi traditum eſt ſuperiori capite, id ita intelligi debet, ſi nimirum officia fuerint affirmativa, quæque

in agendo & juvandis aliis verſantur: aliud vero dicendum eſt de officiis negativis, quæ ſine ullo virium noſtrarum uſu, & ſola omiſſione, ac patientia implentur *cf.* PUFEND. *de O. H. & C. I. VIII.* 5.

CCCLXXXII. Scilicet quisque a natura ea faciendi jus habet, quæ nec divino cultui, nec philautiæ, nec ſocialitati repugnant: igitur ſi de iis officiis ſit ſermo, quibus absque omni nocumento, & nuda ceſſatione fungi poſſumus, ſi tamen juſto alterius conatui reſiſtimus, eidem jure ſuo utenti inferimus impedimentum; quin porro injuriam in illum immittamus, lædamusque, non eſt dubitandum. GROT. *de J. B. & P. II. C. II.* §. 11.

CCCLXXXIII. Quoniam tamen aliquando accidit, ut quæ innoxia eſſe opinamur, alteri adferant imperfectionem, conſequens eſt, ut non antea injuriam ſibi factam quis poſſit judicare, quam ubi nudæ patientiæ officium rogatus, illud nulla adducta probabili cauſa denegavit. Tunc enim primo eum, qui jus ſuum exercenti reſiſtit, ad id, quod ſibi non nocet, & alteri prodeſt, patiendum compellere licebit. DARJES *Obſ. J. N. LII.*

CCCLXXXIV. Quoniam juri ſtricte tali, quod nimirum cum obligatione connexum eſt, renuntiare, & ſemetipſum lege ſolvere nemo poteſt, conſequens eſt, ut ſcientis

&

& volentis intellectum, vel voluntatem corrumpere, eum vita, ſanitate, fama, rebusque neceſſariis privare, aut quomodocunque imperfectiorem reddere adhuc juſtitiæ repugnet. Falluntur igitur, qui ad vulgatam regulam: *volenti non fit injuria*, provocant indiſcriminatim. Ea enim tantum valet, ſi agatur de juribus permiſſivis, quibus utendi vel non utendi libertas eſt conceſſa.

CCCLXXXV. Omne malum, quod naſcitur ex læſione, *damni* venit nomine; igitur ea mala, quæ vel ex uſu juris noſtri, vel ex neglectu caritatis alter patitur, ad damna non pertinent. Quum autem læſio vel phyſica tantum ſit, vel moralis, ita & damnum aliud *phyſicum*, *fortuitum*, ſeu *caſuale*, aliud vero *morale*, ſeu *injuria datum* nominatur: quod poſtremum pro reatus diverſitate in *culpoſum* & *doloſum* abit. Porro damnum ratione cauſſæ & modi vel *immediatum* vel *mediatum*, ratione facti & legis vero jam *commiſſionis*, jam *omiſſionis* eſſe poteſt. Hiſce nonnulli damnum addunt *poſitivum* & *negativum*, quod tamen veluti immediatum & mediatum declarant.

CCCLXXXVI. Damnum *reſarcire* ſeu reparare idem eſt, ac efficere, ut læſus bonis per læſionem ademtis expleatur. Ad quod quidem duo generales comparati ſunt modi; quorum alterum *reſtitutionem*, alterum

satisfactionem nuncupant. Nimirum restitutio est, cum illam ipsam rem singularem reddimus, quæ fuit ablata; satisfactio vero, cum alia in locum eorum, quæ fuerunt diminuta, veluti vicaria substituimus. Etsi enim aliquando in rebus ademtis restituendi via relinquatur; ubi tamen vitæ, membri, corporis integritatis, famæ, aut honoris facta est jactura, tunc sola *satisfactio* obtinere potest.

CCCLXXXVII. Is *præstare damnum* dicitur, qui ad illud resarciendum est obstrictus. Quum ei, qui auctor est facti, omnia quoque hujus consectaria assignanda sint, damnum vero, quod injuria datum est, læsionis moralis sit effectus, facile patet, cur, qui alterum sive dolo, sive culpa læsit, etiam damnum ferre, & porro vires suas ad dandam læso omnem, quæ fieri potest, reparationem accomodare teneatur: fingas vero auctorem facti injusti ab onere reparationis esse immunem, tunc non ad eum, qui libere agit, sed ad eum, qui necessario patitur, consectaria actionis moralis pertinerent, quod omnino est absurdum.

CCCLXXXVIII. Contra ex eo, quod damnum sine injuria datum nemini possit imputari, sequitur, ut furiosi, mente capti, infantes, aliique rationis usu destituti ad sinendum cuique, quod suum est, adeoque ad ipsam rem ablatam restituendam jure qui-

quidem cogantur, re autem pereunte, ab iis, qui nec damni ſunt auctores, nec ſuum augent ex alieno, ſatisfactio ex juſtitia proprie dicta nequeat poſtulari. Valet enim tunc illa juris regula: *caſum* ſive infortunium, niſi ad alicujus libertatem referri poſſit, *a nemine eſſe præſtandum.*

CCCLXXXIX. Quoniam reparatio damni ad id comparata eſt, ut imperfectiones per læſionem adlatæ corrigantur, determinare omnino oportet, quantam læſus, ſive immediate ſive mediate fecerit jacturam, ut nec plus recipiat, nec minus, ſed inter ea, quæ fuerunt ademta, cum iis, quæ reſarcienda ſunt, proportio teneatur. Fac enim læſum plus, quam quod eidem abeſt, exigere damni nomine, non jam ſuum quæreret, ſed alienum, & eo ipſo lædentis inderet perſonam.

CCCXC. Si plures ſint damni auctores, recte prodita illa eſt diſtinctio, ut ſi *dividuus* ſit actus, quilibet, quantum nocuit, tantum præſtare teneatur; cum vero actus fuerit *individuus*, nec certa pars damni ſingulis poſſit aſſignari, tunc omnibus ſimul ſumtis, in ſolidum reparatio incumbat. Etſi autem uno correo damnum ſarciente, jus læſi in reliquos auxiliatores eatenus perimatur; eum tamen de futura ſecuritate pro ratione malitiæ cujusvis & juxta datas alibi de quanti-

titate imputationis regulas, ſibi adhuc proſpicere poſſe, patebit ſuo loco.

CCCXCI. Quemadmodum officia erga alios humanitatis, ita & officia juſtitiæ cum officiis erga ſe ipſum venire in conflictum poſſunt: quod ſi acciderit, etſi aliquando lege interna, & ex caritate quis alterum ſibi ipſi præferre obligetur, nemo tamen, ut id præſtemus, nos vi externa cogendi naturaliter jus habet, quippe quod tantum a læſione ducitur, & propterea vel proprii, vel alieni commodi cauſa, quid alicui ex ſuo detrahere minime licebit. Si enim ſic affecti ſumus, ut propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, totam humani generis ſocietatem disrumpi neceſſe eſt.

CCCXCII. Quod ſi autem officia incolumitatis erga ſe vel alterum cum officiis juſtitiæ ita inter ſe pugnarent, ut vel uni eſſet pereundum, vel jus alterius, ſalva tamen ipſius incolumitate, violandum: tunc, quoniam quisque jure gaudet connato ſe aliosque ab interitu liberandi, utique hujus juris exercitio poneret impedimentum, quicunque res alteri neceſſarias, & ſibi tantum utiles poſtulanti recuſaret; ac propterea jus etiam cogendi tribueret. Ex quo conficitur, ut ſi id, quod nobis utile aut jucundum, cum eo, quod aliis neceſſarium eſt, comparetur, jacere quoque utilitatem noſtram

ſtram oporteat, & aliorum neceſſitatem valere.

CCCXCIII. Gravior autem eſt quæſtio deligendi officii, ſi incolumitas noſtra, cum alterius incolumitate confligatur, Qua in ſpecie nonnulli quamlibet eſſe honeſtam expediendæ ſalutis rationem docuerunt. Enimvero quamdiu jura ſunt æqualia, unum altero efficacius eſſe nullo modo poteſt, atque eatenus neceſſe eſt, omnia in eodem ſtatu permanere. Nulla igitur tunc ſubeſt ſufficiens ratio, cur, qui remedium tenet evadendi, ab altero, qui id non tenet, illo poſſit ſpoliari: & quia quisque hocce ſuum remedium jure tuetur, injuſtum omnino eſſe oportet aggreſſorem, qui id alteri conatur eripere; ſed & jura dediſſe repugnantia a divini legislatoris ſapientia omnino abhorret.

CCCXCIV. Ex hiſce autem manifeſto conficitur, ut qui fame periturus eſt, panem alteri æque neceſſarium jure auferre minime poſſit; ut nemini hominem etſi conſentientem occidere fas ſit, ut eo in ſumma inopia veſcatur; ut illi, qui e naufragio ſecus nequit enatare, alterum de ſcapha vel tabula, quam jure tenet, depellere minime liceat; ut denique homini mediæ viæ interpoſito, nec de illa declinare valenti, certam necem inferre, & ita facilitare fugam legi naturali perfectæ adverſe-

tur.

tur. Et quæ hujus ſunt generis. Ceterum convenire aliquando caritati alterum alteri cedere, jam ſupra docuimus.

CAPUT XII.

De officiis circa ſignificationem mentis.

CCCXCV. Is mentem ſuam declarat, qui actionem animæ internam, veluti cogitationem, aut volitionem alteri notam facit. Quod quum præſtari nequeat ſine aliqua actione externa, quæ internæ ſignum ſit, conſequens eſt, ut, qui animi ſui ſenſa ſignificare, ſeu *loqui* generatim intendit, ei ſigna quædam adhibenda ſint exteriora, quæ actionibus internis tam illius, qui easdem ſignificat, quam ejus, cui hæc ſignificatio fit, reſpondeant.

CCCXCVI. Eſt autem mentis declaratio alia *expreſſa*, ſi verbis ſeu ſonis articulatis, ſcriptura, vel quibuscunque aliis certis ac determinatis ſignis, veluti maniloquio, pediloquio utamur, alia *tacita*, quando ea facta ponuntur, ex quibus habita loci, temporis, ac reliquorum adjunctorum ratione, agentis intentio probabiliter colligitur, juxta id, quod plerumque accidit.

CCCXCVII. Quemadmodum actiones noſtras omnes cum fine ultimo conſpirare opor-

oportet, ita officium generale & abſolutum ſermocinantis eſt, ut toties animi ſui ſenſa alteri communicet, quoties ſine hoc remedio divinum cultum, ſui, ac aliorum perfectionem non poſſet promovere: contra vero a quacunque locutione abhorreat, quæ amori tam ſummo Numini, quam ſibi atque aliis debito adverſatur; quod ex traditis antea pietatis, philautiæ, juſtitiæ ac æquitatis officiis abunde illuſtrare licet.

CCCXCVIII. Quoniam aliquando tacere, aliquando autem loqui obligamur, conſequens eſt, ut intermiſſio locutionis, ſeu *ſilentium* jam ad actiones præceptas, jam vero ad prohibitas pertineat; in prioribus virtus *taciturnitatis*, in poſterioribus vero vitium *reticentiæ* poſitum eſt. Et quia occultatio actionis externæ, quæ proderet internam, quomodocunque facta *diſſimulationis* venit nomine, per ſe patet, nec omnem diſſimulationem licitam, neque omnem illicitam eſſe poſſe, & propterea hanc inter actiones, quæ ſpectata ſola notione vocantur indifferentes, eſſe numerandam *cf.* I. *Reg.* XV. 2. & *D.* AUGUSTIN. *lib. contr. mend.* c. X.

CCCXCIX. Qui ſignis externis utitur ad id, quod cogitat, ſignificandum haud receptis, ille animi ſui ſenſa alteri non declarat, neque efficit, ut ab eodem intelligatur; itaque aut eum ludificat, aut *fallit* ſive in-

inducit in errorem, læditque; quapropter aut ſervare ſilentium, aut, obligatione loquendi exiſtente, iis uti ſignis neceſſe erit, quæ ad mentem declarandam ſunt idonea; hinc facta vel vocabula adhibere, prout communis fert uſus. v. HORAT. *art. poet.* v. 73.

CCCC. Quemadmodum veritas generatim vacuitas eſt a repugnantia: ita *veritas logica* in convenientia ideæ cum ſubjecto, in quo verſatur, *veritas* autem *moralis* in concordia verborum, vel paris alterius ſigni cum mente reperitur; ex quo perſpicuum eſt, quænam *falſitas logica*, quænam *moralis* ſit dicenda.

CCCCI. Ex hiſce ſimul patet, alios eſſe ſermones veros, *veriloquia*, & alios ſermones falſos, *falſiloquia*, ac ambo quidem tam logica, quam moralia: aliquando tamen, quæ moraliter vera ſunt, poſſe eſſe logice falſa, & viciſſim: & quia actio externa, quæ cum interna conſentit, dicitur *ſincera*, quæ autem diſſentit, *ſimulata*, non obſcurum eſt, veriloquia moralia eſſe actiones ſinceras; contra actiones ſimulatas eſſe aut in verbis, falſiloquia moralia, aut in factis, *ſimulationes* ſtricte ſumtas.

CCCCII. *Locutio contra mentem cum intentione alterum fallendi* eſt *mendacium*: * Hoc aliud *externum* eſſe dicunt ſeu *pernicioſum*, quod ad alterius dirigitur injuriam, aliud vero *inter-*

num,

num, & quidem vel *jocoſum*, ſi jucunditatis & oblectationis tantum cauſa ſit conflatum, vel *officioſum*, ſi plane quis aliorum utilitatem ac commodum falſo ſermone conatur promovere. * *cf.* D. AUGUSTIN. *Enchir.* C. 22.

CCCCIII. Quoniam primo nulli inferenda eſt injuria, dein omnis verbi otioſi, & temere prolati rationem reddere oportet, ac denique uni mala intentare, ut alteri feratur auxilium, minime licet: in aperto eſt, omne mendacium, utpote locutionem ſimulatam obligationi tacendi vel dicendæ veritatis repugnantem, a lege naturali abhorrere: nosque ad *veracitatem*, quæ eſt proclivitas mentis ad ea loquenda, quæ a cogitatis non ſunt aliena, omnino eſſe obſtrictos: *Proverb.* XIII. 5. *Pſalm.* V. 7. *Coloſſ.* III. 9.

CCCCIV. Plenam itaque notionem mendacii non dant illi, qui vel falſam locutionem juri alicujus perfecto, aut imperfecto contrariam, vel falſiloquium cum damno alterius conjunctum, id definiunt. Illum enim non mentiri, qui, cum nullo peculiari vinculo mentem aperiendi eſſet obſtrictus, falſitates tamen enuntiat morales fallendi animo, utique a communi hominum ſenſu abhorret. Semper enim obligatio illa generalis violatur, quæ ducitur a ſocialitate, & ſermonis ſcopo, quæque ab

eo contrahitur, qui, dum alterum alloquitur, eo ipſo præſefert, eidem, in falſas locutiones haud conſentienti, veritatem ſe dicturum.

CCCCV. Allegoria eſt continuatio ſermonis a propria ſignificatione ad alienam translati ob ſimilitudinem. Quorſum *fabulæ*, *apologi*, aliæque locutiones figuratæ pertinent. Quum igitur tunc verba non diſconveniant a mente, differt allegoria a falſiloquio morali; nec ea quidquam vitii involvit, quia is, cum quo loquimur, ſi docilis ſit, mentem noſtram, & veritatem cognoſcere ſatis poteſt. Aliud foret, ſi peculiaris daretur obligatio clare, & aperte cogitationes declarandi, adeoque etiam verba in ſenſu proprio adhibendi.

CCCCVI. Verba *ambigua* ſunt, quæ ex communi loquendi uſu plures admittunt ſignificationes; poſita igitur obligatione animi noſtri ſenſa clare manifeſtandi, ſermone ambiguo oportet abſtinere. Contra ad eum recurrere licebit, ſi nullo jure a nobis exigatur veritas, ſermo autem apertus ei, cui honeſte non poſſumus non reſpondere, parum aut nihil commodi, nobis vero aliisve majus detrimentum eſſet adlaturus; nec enim tunc decipimus audientem, ſed permittimus, ut a ſemetipſo fallatur. *v. Gen.* XX. 2. GROT. III. c. 1. §. 8.

CCCCVII. Simulationes factis constant ambiguis, quæ diversa recipiunt significata; igitur, quæ de sermonibus obscuris modo sunt tradita, etiam simulationibus erunt adplicanda. Et sane quum hujusmodi tacitæ declarationes signis tantum fiant probabilibus, nec communi voluntate introductis, a libertate cujusvis naturali pendebit eadem etiam contra morem consuetum usurpare; dummodo nihil agatur, quod obligationem alteri veritatem aperiendi, & ipsius præcavendi errorem violaret. I. *Reg.* XIX. 13.

CCCCVIII. Sed nec omne falsiloquium morale, si nimirum absit fallendi animus, mendaciorum numero recte adscribitur. Quare mendaces haud sunt censendi, qui sine dolo malo verba a cogitationibus dissona enuntiant, veluti furiosis, mente captis, infantibus, noctambulonibus, vel iis, quibus prædictum est, falsa narratum iri, quique juri sciendæ veritatis permissivo renuntiantes se falsas audire velle locutiones declarant. Quod ipsum obtinet, etsi is, cum quo non loquimur, cuique mentem nostram occultare oportet, inde errandi caperet occasionem.

CCCCIX. An autem mendacii genere & illud falsiloquium morale contineatur, quo quis, orto officiorum conflictu, eo tantum animo utitur, ut legi per se fortiori, veluti hominem ab interitu liberandi, satisfaciat?

quæſtio eſt, ut jam obſervaverat D. Auguſtinus, *latebroſa* & *inter doctos alternans*. Plurimi cum eodem affirmant, quod hujusmodi locutiones diſſenſum pariant in agente, adeoque imperfectionem; nullus autem fingi caſus poſſit, in quo a natura & fine ſermonis liceat declinare.

CCCCX. Addunt porro veritatem vita eſſe pulchriorem; quod qui negent, illos viam aperire mendaciis, & fortiſſimum humanæ ſocietatis vinculum diſcindere; illud denique potiſſimum urgent, hujusmodi falſum ſermonem divinæ veracitati adverſari; nullum autem antiquius officium eſſe ducendum, quam quod in non obſcuratione divinæ gloriæ collocatur: veriſſime igitur docere Hebræos, *ſi quis norit uti perplexiloquio, recte, ſin minus, taceat.*

CCCCXI. Aſt fuere etiam olim inter Eccleſiæ Patres, ſuntque hodie inter catholicos doctores, qui falſiloquia ita prolata turpitudinis arguere non ſunt auſi: quum enim, exiſtente legum pugna, lex fortior præferenda ſit debiliori, putant, legem, quæ vult hominem ſervari incolumem, ea, quæ alterum inducere in errorem vetat, eſſe fortiorem. Omnem, dicunt, abeſſe malitiam, ſi is, cum quo loquimur, conſentiat in errorem; teneri autem quemlibet in id conſentire, quod cum nulli aut plane modico ſibi ſit detrimen-

mento, ad alterius ſalutem expediendam pertineat.

CCCCXII. Denique legem caritatis autumant reliquarum eſſe menſuram; hanc vero poſtulare, ut officia *neceſſitatis* reliquis omnibus prævaleant, dummodo pietas erga Deum nullo modo violetur: nihil autem ab eo, qui, ut hoc utamur, alterum ſervaturus, venenum quod eſt, venenum eſſe negat, committi, quod aliquam de Deo imperfectionem adſereret, aut infinitam ejus veracitatem in dubium revocaret: etiam homicidia & rerum alienarum ablationes eſſe natura turpes, mala autem hæc eſſe deſinere, ſi, poſito obligationum conflictu, recta exceptio inſtituatur, atque hoc modo obſtetrices ægyptiacas, & mulierem Rahab ab omni culpa excuſant. *Exod.* I. 19. 20. *Joſue* II. *

CCCCXIII. Fuere, qui ut hiſce difficultatibus occurrerent, *reſervationes mentales*, ſeu internas excogitarunt, ſed hi magna minati, extricarunt nihil. Deſignant autem hoc nomine ſermones, qui tum primum verum ſenſum habent, ſi vocabula in mente retenta iis adjiciantur; veluti ſi interrogatus: an *litteras ſibi exhibitas exaraverit*, eas ſe ſcripſiſſe neget, ſubaudiendo *Romæ*, cum

* Rariſſimi erunt profecto hujusmodi caſus, & forte *ſatius erit a paucis etiam juſtam aliquam exceptionem non accipi, quam aliquam ab omnibus tentari.* SENEC. *b.n.* VII. 16.

Viennæ eas ſcripſiſſet; quum autem hujusmodi ſermones re ipſa a mente diſſentiant, nemo non videt, eorum inventores vel egiſſe nugas vel latebras mendaciis quæſiviſſe.

CCCCXIV. In eodem prorſus luto hærent illi, qui reſervationum pertæſi ita rem expediri poſſe arbitrantur, ſi aut quod quis ſcire ſe negat, de cognitione, quam cum altero communicare fas ſit, intelligat, aut vero ſi vocabula in eodem rerum ſtatu omni carere ſignificatione adſeramus; ſi quidem genus humanum, quod verbis vim tribuit ac poteſtatem, id ipſum tunc voluiſſe cenſeatur. Prioris enim opinionis auctores doctrinam reſervationum recoquunt; qui vero poſteriorem ſunt amplexi, animadvertere debuiſſent, malitiam non in phyſico verborum ſono, ſed in voluntate fallendi reperiri.

CCCCXV. Reſervationes *externas*, ſeu, ut vocant, non *pure mentales* quod attinet, quas ſcilicet ex natura negotii, vel aliis ſignis ſenſibilibus acutus auditor deprehendere poteſt, facile admittunt omnes, ad eas tunc perfugere licere, quoties quis veritatem nude patefacere non obligatur, ſed potius ejus obtegendæ juſta ſubeſt cauſa: etſi enim, ajunt, loquens verum ſenſum ab audiente non perceptum iri confidat, is tamen non alterius intendit deceptionem, ſed occultationem veritatis, ipſius autem errorem ſo-

ſolummodo permittit. Quoniam vero hujusmodi reſervationes re ipſa ſunt ſermones ambigui ſeu amphiboliæ: quænam harum ſit moralitas, jam ſupra fuit oſtenſum.

CAPUT XIII.

De dominio, ejusque adquirendi modo ſimpliciter originario, ſive occupatione.

CCCCXVI. Egimus hactenus de officiis erga alios abſolutis: nunc ſequuntur hypothetica, quæ cum a natura, tum ſimul ab aliquo hominum inſtituto atque eorum factis derivantur. Ac primo quidem ſeſe offerunt ſpecialia rerum jura; quod enim ſupra cuique adſeruimus jus ad res neceſſarias indeterminatum, nec ulli certæ rei adhærens, illud, quoniam ex ſola fluit hominis natura, & in omnibus æqualiter reperitur, ad jura connata & univerſalia ſpectat.

CCCCXVII. Quoniam naturaliter omnes homines habent æquale jus, nemo eatenus gaudet jure rerum proprio; ergo non dantur natura res *ſingulorum*, ſed omnes ſunt vacuæ & nullius, ſive quod idem eſt, in communione negativa, a qua nemo poterat excludi; & quæ ideo *primæva* nuncupatur. *v. Virgil. I. Georg. v.* 126.

CCCCXVIII. Inde fluit I. ut in eo ſtatu omnes quidem haberent jus in omnia, ſed ſine cujusquam excluſione, II. ut tam res, quæ ſponte naſcebantur, quam quæ induſtria & labore, ab omnibus vi legis naturalis ad mutuam felicitatem adhibendo, producerentur, eſſent quaſi in medio poſitæ & nullius propriæ; III. ut cuique daretur jus ad actus neceſſarios pro jure illo ad res exercendo, veluti capienda fera, pomo decerpendo, ponenda habitatione, tranſeundo per quævis loca, modo nemo læderetur. Quo ſenſu, *unum cunctis fuiſſe patrimonium*, dixit JUSTINUS XLII. 1.

CCCCXIX. Rem apprehendere eſt illam ita ſuæ potentiæ ſubjicere, *redigere in ſuas vires phyſicas*, ut uſui poſſit ſervire cum aliorum excluſione. Quia uſus rei, quæ conſumitur, uni tantum prodeſſe poteſt, nec ab uſu apprehenſo quempiam licet excludere ſine læſione: is, qui ſemel rem tenebat, non potuit illa privari, ſed in pari cauſa melior fuit ejus conditio. Hinc & hoc jus rerum ad jura perfecta pertinuit. *v. Cic. Fin. III.* 20.

CCCCXX. Aucto humano genere ſponte nata non ſuffeciſſent omnibus; major erat neceſſaria cultura, nec non aſſiduus labor ad res induſtriales & artificiales producendas. Sed frigeſcente amore mutuo & legum naturalium cuſtodia, quum multi otio tor-

torpeſcerent, & tamen vivere vellent, alii diligentiores operam & laborem ſuum fruſtrabant; hinc oportebat res omnis generis in futuros uſus apprehendere, aſſervare, & animo ſibi tamquam *proprias* habendi detinere, hoc eſt, *poſſidere.* *

CCCCXXI. Apprehenſio rei nullius animo ſibi habendi ut propriam, dicitur *occupatio.* Sunt ergo requiſita occupationis I. ut ſit res nullius, II. ut factum accedat, natura enim nulla res externa alicujus propria eſt; III. ut illud factum ſit ſufficiens ad rem in noſtram poteſtatem phyſicam redigendam, ſive ut adſit apprehenſio, rei detentio, *poſſeſſio corporalis*; IV. ut hæc detentio ſit cum animo rem ſibi propriam habendi, *poſſeſſio juridica.*

CCCCXXII. Fruſtranea fuiſſet rei apprehenſio & ejus poſſeſſio, ſi cuique licuiſſet poſſeſſorem turbare, aut re dejicere. Ex facto occupationis igitur orta eſt tam obligatio negativa aliorum ſe a re tali abſtinendi, quam facultas moralis, ſeu *jus poſſeſſoris de ipſius rei ſubſtantia & conſectariis pro arbitrio diſponendi*, ſive declarandi, quid fieri, vel non fieri velit, dummodo neminem læderet, quod jus *dominium* vocatur. Eſt itaque dominium *Jus in re*, *Jus reale*, quod *per-*

* Hæc origo philoſophica juris rerum proprii; hiſtoricam docet *Geneſis I. 29. IX. 2.*

ſonæ competit in re ſine reſpectu ad aliquam perſonam. v. L. 1. D. de adq. vel am. poſſeſſ.

CCCCXXIII. Si plures eandem rem occupant ſimul, omnibus competit æquale jus, & reliquos poſſunt excludere; itaque habent *condominium*, quod alias dicitur *communio poſitiva.* Aſt ſi ex illis pluribus nemo habeat partem juris proprii, ſed res ſit univerſitatis, ut in monaſteriis, adeſt *communio mixta.*

CCCCXXIV. Id, quod eſt medium ſufficiens adquiſitionis, *modus* dicitur, eſtque alius *originarius*, ſi res nullius eſt, alius *derivativus*, ſi res jam ſit alicujus propria. Ratio autem, ex qua intelligitur juſtitia adquirendi, eſt *titulus.* Igitur ab initio titulus ſeu cauſa remota domini fuit *jus connatum occupandi*, modus autem ſeu cauſa proxima fuit ipſe actus occupationis, quæ porro ſola eſt modus adquirendi dominium *originarius ſimpliciter talis.*

CCCCXXV. Ex dictis ſequentes deducuntur concluſiones: I. ut qui *poteſt* tam phyſice, quam moraliter, & *vult*, is rem adquirat, II. ut tamen prior tempore ſit potior jure, III. ut res a nobis occupata, & dominium ſint in *τῳ noſtro*; quæ vero occupantur ab aliis, ſint in *τῳ alterius*, & ſine læſione auferri nequeant, IV. ut dominium non ſit jus connatum, ſed adquiſitum. V. ut introducto dominio ceſſaverit pars ſtatus ori-

originarii, diversa accesserint jura, & aliqua invaluerit inaequalitas.

CCCCXXVI. Sunt, qui hancce dominii originem redarguunt. Primo enim ajunt, res, ad quas omnes homines jus connatum habent, unanimi tantum eorum voluntate occupari potuisse. Tum putant multis hoc modo nimiam rerum copiam obtigisse, quibus porro alii cogantur non sine injuria carere. Respondent Grotius *, ac Pufendorfius **, res communi olim voluntate fuisse divisas, datamque simul cuique facultatem, quod reliquum erat, exinde occupandi, adeoque modum adquirendi antiquissimum & originarium etiam *divisionem* faciunt.

CCCCXXVII. Enimvero haud opus est hisce ambagibus. Communio enim rerum primaeva positiva non fuit, sed negativa, in qua omnia erant nullius, & quasi in medio posita; itaque jus rerum connatum jus tantum erat apprehendi res vacuas, non vero jus impediendi, ne eas alii, si vellent, & possent, occuparent. Quare quum nemini fieret injuria per hujusmodi occupationem, necesse etiam non erat aliorum declarationem expectare. Ceterum, quanta cuiusque esset indigentia, id ejus arbitrio erat relinquendum, si modo res necessariae singulis superessent. *v. Gen. I.* 29.

CCCCXXVIII.

* *L. II. C. II. §. 1. n. 5.*
** *J. N. & G. L. IV. C. IV.* §. 4.

CCCCXXVIII. Res eæ poſſunt occupari, quæ I. ſunt nullius, vel a domino derelictæ, quas ſcilicet non vult amplius in τῷ ſuo habere, II. quæ uſibus noſtris inſervire poſſunt, III. quæ ſunt exhauſti uſus & apprehenſionis atque cuſtodiæ capaces, ſive ſint *inanimatæ*, tam *mobiles*, quam *immobiles*, ſive *animatæ*, veluti piſces, volucres. Quum enim nulla nobis ſit cum brutis juris communio, dubium non eſt, quin ea & occidi, & in cibum converti tuto poſſint.

CCCCXIX. Hoc modo occupantur I. *res animatæ venatione*, *piſcatione*, *aucupio*, ſi modo retibus, vel aliis inſtrumentis, aut etiam loco circumſepto ita detinentur, ut aufugere nequeant. II. res *inanimatæ* α) *mobiles inventione*, veluti gemmæ, lapilli in litore maris, theſaurus in loco nullius detectus; β) *immobiles*, quum quis fundum ingreditur, terminos ponit, aut ſepem, vel parat ad meliorem uſum induſtria & labore, etiamſi ſingulas glebas non circumambulet. *v. L.* 3. §. 1. *de adq. vel om. poſ.*

CCCCXXX. Contra materiam occupationis haud conſtituunt res, quæ non ſunt nullius, veluti homines, & quæ in eo ſunt ſtatu, ut quis occuparit jus eas occupandi; quales ſunt piſces in parte fluvii occupata, theſaurus in alieno fundo: quæ res *jacentes* vocantur, neque ſunt ſimpliciter nullius.

CCCCXXXI. Nec occupantur res *nunquam derelictæ* : uti bona naufragorum ; *res amissæ* veluti e rheda cadentes, vel *fugitivæ*, si cognosci possint; nec res inexhausti usus, & quæ non possunt custodiri vel apprehendi, ut sol, mare, aer; cessant enim hisce in rebus tam possessio, quam reliquæ dominii causæ, & hinc in communione primæva permanserunt. *Virgil. Æn. VII. v.* 229.

CAPUT XIV.

De effectibus dominii, seu de juribus & obligationibus, quæ ex dominio nascuntur, & accessione.

CCCCXXXII. Habet dominus jus disponendi de ipsius rei substantia & consectariis. Igitur generalis dominii effectus est, ut eidem vi libertatis naturalis etiam jus competat ad omnes actus in re sua possibiles ; & ut quilibet homo obligetur, ne dominum in horum jurium exercitio turbet, ac læsionem factam resarciat.

CCCCXXXIII. Hinc vero specialia domini jura derivantur, I. ut rem suam possit possidere, II. omne ex illa percipere emolumentum, vel etiam III. sese possessione aut dominio, sive toto, sive pro parte abdicare ; quare quisque dicitur rei suæ moderator & arbiter.

CCCCXXXIV. Ex facultate possessionis jus consequitur quoscumque alios a re sua excludendi, & cunctis omni actu circa eandem interdicendi; potest porro dominus i lam tueri, amissamque ab omni detentore repetere, & probato dominio *vindicare*.

CCCCXXXV. Vi juris, quod habet ad omne emolumentum, licet domino re sua non modo *uti*, hoc est, id, quod poscit necessitas, percipere, sed & *frui*, nimirum quidquid ex illa provenit, ad utilitatem & jucunditatem suam convertere, tum *meliorare*, immo in aliam plane formam transferre, *specificare*.

CCCCXXXVI. Ex eo denique, quod domino sit jus disponendi pro arbitrio, sequitur, ut is possit rei dominium in alios transferre, *dare*, vel totum vel partem tantum; sive ea pars fuerit jus in solam substantiam, *proprietas*, *dominium directum*, sive jus in omnia consectaria, *dominium utile*; sive jus, vi cujus dominus aliquid in re sua pati vel non facere teneatur, *servitus*, veluti *usus*, aut *ususfructus*; quarum altera jus est *re aliena utendi*, altera *jus etiam fruendi salva substantia*.

CCCCXXXVII. Quid! quod vi justitiæ stricte talis in foro externo etiam rem suam destruere, corrumpere, perdere & ea abuti cuique licet, modo id nemini noceat, quamquam res dilapidare & jactare officiis tam

erga

erga alios imperfectis, quam erga se ipsum repugnet. *v. L. 2. D. si a par. quis manum.*

CCCCXXXVIII. Quum nemo in jure suo tam connato, quam hypothetico sit lædendus, & læsio facta resarcienda, patet, *Furtum*, quod est fraudulenta rei alienæ ablatio invito domino animo sibi habendi, & *Rapinam*, quæ est furtum violentum, *Invasionem*, quæ est factum, quo quis possessione rei suæ immobilis dejicitur, omnem denique *defraudationem* & damnum dolo vel culpa illatum lege naturali prohiberi; atque auctorem mali ex hujusmodi factis orti ad restitutionem vel satisfactionem obligari.

CCCCXXXIX. Rem autem alienam casu ad nos pervenientem esse restituendam, aut a tertio *nobis suffragantibus* occultatam domino manifestandam, inde colligitur, quod, qui secus ageret, is caussa esset, ut dominus rei suæ jacturam patiatur; quod quum sit lædere, in aperto est, quemlibet ad rei alienæ restitutionem *faciendam*, vel *silentio non impediendam* obligari, quia reticentia hujusmodi involveret lædendi animum.

CCCCXL. Quum damnum casu illatum nemini possit imputari, sed casus domino noceat: consequens est, ut si animal absque domini culpa rem alterius destruat, quoniam hoc damnum fortuitum est, id etiam rei dominus pati teneatur; nec dominus animalis ad damnum resarciendum, vel

ani-

animal, quod nocuit, extradendum cogi posſit, ſed in pari cauſſa melior ſit conditio poſſeſſoris.

CCCCXLI. Quoniam in colliſione officia erga ſe ipſum neceſſitatis officiis erga alios commoditatis præferenda ſunt, nec jus connatum ad res neceſſarias introductione dominorum cuiquam adimi potuit, quippe quod ex obligatione immutabili ſe conſervandi ortum eſt, ſequitur, ut, ſi quis cum extrema neceſſitate luctetur, nec ulla alia pateat evadendi via, domino etiam invito eadem neceſſitate non laboranti res auferre, deteriorare, perdere jure poſſit.

CCCCXLII. Inde patet, licere res alienas in mare projicere ad levandam navim, orto incendio ædificium vicini diſſipare, arma ad defenſionem alteri eripere, & quæ ejus ſunt generis; niſi tamen dominus alia via mala noſtra avertere idoneus paratusque ſit.

CCCCXLIII. Quamprimum tamen rei ablatæ reſtitutio fieri poterit, ea facienda eſt. Jus enim ad illam ſolum ex neceſſitate ortum eſt; ergo non niſi ex neceſſitate accipit menſuram. Quare ſi ſufficiat *uſus*, non datur jus in ſubſtantiam, & ſi ſubſtantia pro tempore opus ſit, ea vel ejus æquivalens non poterit perpetuo, & neceſſitate ceſſante retineri; alias hæc ipſa ulterior retentio dominum læſione adficeret.

CCCCXLIV. Incrementum, quod adquirit res in dominio alicujus exiſtens, vocatur *Acceſſio*, & ſi fiat naturæ beneficio, *naturalis*, ſi facto hominis, *induſtrialis*, ſi utroque modo ſimul, *mixta*. Sunt vero acceſſionis naturalis hæ ſpecies, I. *fœtura*, hoc eſt fructus animalium, ut agni ovium; II. *alluvio*, quum agro particulæ terræ ſenſim & pedetentim adjiciuntur; III. *vis fluminis*, ſeu incrementum ſimul & ſemel adjectum; IV. *inſula* in fluvio nata; V. *alvei mutatio*.

CCCCXLV. Duæ autem ſunt acceſſionis naturalis regulæ: una, ut incrementum rei noſtræ, quod ex eadem provenit, noſtrum ſit; quare inſula, & alveus derelictus ejus eſt, cujus fluvius, & quod naſcitur ex animalibus, ad dominum ventris ſtatim pertinet. Altera, ut ſi incrementum veniat aliunde, & *certæ ſit originis*, priori domino reſtituatur, veluti in vi fluminis; ſi vero id ſit *incertæ originis*, ſicut in alluvione, dominus rei principalis præcipuum jus habeat acceſſionem occupandi.

CCCCXLVI. Acceſſionis induſtrialis ſpecies ſunt I. *adjunctio*, quæ fit α) *incluſione gemmæ*, β) *intextura purpuræ*, γ) *ædificio*, δ) *adferruminatione*, ε) *adplumbatura*, ζ) *pictura*, η) *ſcriptura*; tum II. *confuſio rerum liquidarum*, & *commixtio* rerum aridarum, & III. *ſpecificatio*; ſi v. c. ex argento quis faciat vaſa, vel vinum exprimat ex uvis.

CCCCXLVII. Doctrina acceſſionis induſtrialis duplici quoque regula continetur; prima eſt: ſi rei meæ novum aliquid accedat, quod alienum non eſt, erit meum, veluti ſi pingam in mea tabula. Secunda: ſi acceſſorium fuerit alienum, vel poteſt ſeparari, & reſtitui debet priori domino, vel ſeparari nequit, & res erit *pro rata communis*; ita tamen, ut qui communionis auctor eſt, is alteri omne damnum debeat reſarcire; ſi autem nemini communio imputari poſſit, tunc vel voluntate utriusque, vel ſorte ſit decidendum, quinam retineat rem, & alteri per æquipollens ſatisfaciat.

CCCCXLVIII. Species demum acceſſionis mixtæ ſunt *ſatio*, atque *implantatio*; in quibus eædem ſunt tenendæ regulæ, quæ in induſtriali acceſſione. Igitur illud axioma: *acceſſorium ſequitur principale*, omni in ſenſu verum non eſt; ſed ſolum ea in ſpecie, quando *rei meæ aliquid ſit acceſſorium, quod adquirere volo, & poſſum phyſice atque moraliter*. Tunc enim acceſſio modus eſt dominium adquirendi, & quidem *ſecundum quid originarius*.

CA-

CAPUT XV.

De Pactis.

CCCCXLIX. Qui alteri declarat ſuam voluntatem rei alicujus præſtandæ, hoc eſt, aliquid dandi, faciendi, vel non faciendi, *promittit*; qui vero declarat voluntatem rem ſibi promiſſam in τὸ *ſuum* recipiendi, ille *acceptat*, ſeu *ſtipulatur.* Promiſſio acceptata *pactum* dicitur; ergo in pacto adeſt *conſenſus* ſeu identitas duarum voluntatum in idem.

CCCCL. Inde fluit, ad pactum requiri, I. ut duo vel plures idem ſe velle declarent, hoc eſt, *conſentiant.* II, ut præſtatio ſit poſſibilis. Quæ ſi fuerint obſervata, tunc τὸ *ſuum* promittentis fit τὸ *ſuum* acceptantis; adeoque ille paciſcendo vel rem, vel operam, vel particulam libertatis naturalis in agendo alienat, hic vero unum ex his adquirit *modo derivativo.*

CCCCLI. Quoniam voluntas alterius ſciri nequit, niſi ex ſignis externis: *uti ſe alter ſufficienter declarat, ita eum judicandi jus habemus.* Et quia ſufficiens declaratio ipſi voluntati æquipollet, ideo licet paciſcentes aliud mente volverent, aliud ore proferrent, pactum tamen exiſteret. Non vero paciſcuntur, qui ſe *jocari* manifeſtant, aut ſolum *tractatus* faciunt, & negotiationes pactitias, in quibus adhuc deliberatur, utrum

consentiendum sit, nec ne. *v. L. 7. §. 2. de supell. leg.*

CCCCLII. Pactum ratione declarationis est *expressum*, si verbis, literis, nuntio, aliisve similibus signis fiat; & *tacitum*, si vel ex factis desumatur, vel per necessariam consequentiam ex iis, quae expressa sunt, fluat; ita qui in caupona mensae communi adsidet, tacite promittit se partem suam soluturum.

CCCCLIII. In pacto vel unus tantum promittit, & unus pariter tantum acceptat, vel ambo quid promittunt, atque invicem acceptant; prius vocatur pactum *unilaterale*, posterius *bilaterale*.

CCCCLIV. Sola promissio sine acceptatione vel antecedente, vel consequente non facit, ut res promissoris alteri non stipulanti adquiratur. Si quis porro non impleat hujusmodi promissum: quia nihil de τῷ *alterius* aufert, obligationem violat tantum imperfectam. Inde patet *pollicitationis* vis, quae definitur: *promissio sine jure acceptandi facta.*

CCCCLV. Quare si quis per literas vel tabellarium alteri absenti quid spondeat, antequam literae sint redditae, aut tabellarius mentem nostram declaraverit, & voluntas alterius accesserit, promissio sine injustitia revocatur. Et licet postea sequatur acceptatio, ea tamen nullum habet effectum deficiente jam *consensu mutuo. Seneca de Benef. V.* 21.

CCCCLVI.

CCCCLVI. Promittens, qui pactum non servat, denegat stipulatori id præstare, quod in τὸ *illius* est jam translatum, & eum lædit: contra lædentem datur jus cogendi, quod perfectum dicitur, ergo etiam promittens perfecte obligatur, seu *debet* pactum servare, fidem creditori datam liberare, & porro a *perfidia*, quæ dolosa est fidei datæ violatio, abstinere. Summa igitur est pactorum necessitas, ut obligatio alias imperfecta & minus secura firma fiat atque perfecta.

CCCCLVII. Ii omnes, qui possunt consentire physice & moraliter, pacisci possunt. Proinde furiosi, mente capti, dementes, infantes, seu pupilli naturaliter, plene ebrii & in somnio annuentes, inire pacta nequeunt; quippe qui usu intellectus & rationis, atque ipsa voluntatis declarandæ facultate carent.

CCCCLVIII. *Error in pacto* venit vel a *promittente*, vel a *stipulante*, vel a *tertio*, semper vero ei imputari & nocere debet, qui est erroris causa; quare si promittentem suus tantum fefellerit animus, quum, quod verbis declaratur, pro vera sit voluntate, error ipsi soli nocebit.

CCCCLIX. Quod si error veniat ab *acceptante*, qui vel ipsemet errat, vel sciens dolo vult alterum fallere, eidem error & dolus imputatur; & quidem si error aut dolus causa unica & finalis fuit paciscendi,

pactum non modo non valebit, omni deficiente promissoris consensu, sed etiam tenebitur dolosus stipulator damnum datum reparare.

CCCCLX. Si autem error fuit *causa* solum *impulsiva* paciscendi, & ita incidit in pactum, ut tamen alter fuisset illud initurus, licet non eodem modo, tunc quidem valebit pactum, sed læsio erranti illata erit sarcienda. Demum si error veniat a *tertio*, huic tantum est imputandus, nisi erroris exceptionem etiam stipulator intelligat tacite inesse.

CCCCLXI. Si pactum metu injusto extortum sit, Grotius * putat illud valere, quod tamen absolutus adsit consensus; Pufendorfius ** negat, quod nemo jus habeat naturaliter metum alteri ad extorquendum pactum incutiendi, ergo qui metum injustum infert, promissionem sibi factam nequeat acceptare, sine acceptatione autem pactum non subsistat, licet promittens consenserit. Nos quidem eatenus Grotio adstipulamur, ut si metus in se injustus, pro justo externe habeatur, pactum in foro externo sit servandum; inde tamen nullum unquam jus nasci potest acceptanti ratione fori interni & conscientiæ.

CCCCLXII. Pacti materia est, quidquid dare, facere, vel non facere possumus tam phy-

* *L. II. c. XI. §. 7.*
** *De Off. H. & C. c. IX. §. 15.*

physice, quam moraliter; nulla ergo datur obligatio ad aliquid impossibile, veluti ad dandum hippocentaurum. Qui tamen hoc pollicetur, posset ex alio capite ad satisfactionem obligari, nimirum si rem possibilem esse simulans alterum decepit, veluti Alchymista. Quod si promissum ab initio præstari quidem poterat, sed postea culpa promittentis ei desint præstandi vires, tenebitur & is omni alio possibili modo fatisfacere. Exemplum est in guloso decoctore.

CCCCLXIII. Irrita est promissio rei illicitæ ac turpis, siquidem actionem a lege naturali prohiberi, & tamen nos ad illius præstationem adstringi repugnaret. Quemadmodum porro deficiente jure acceptandi pactum nullius est momenti, ita illud stare nequit, si jus promittendi deficiat, velut si res aliena promittatur.

CCCCLXIV. Quoniam per pactum aliquid in τὸ *suum* acceptantis transfertur, iste generatim jus habet non patiendi, ut ab aliis in jure acceptatione quæsito turbetur; speciatim vero cogendi promissorem, ut id, quod pacto conventum, impleat, atque posterius hoc jus *personale* appellatur, *quia personæ competit tantum in personam*, non in omnes, *ut hæc dare vel facere teneatur.*

CCCCLXV. Promittuntur vel facta tam commissiva, quam omissiva, vel res corporales, vel alia rerum jura. Igitur impletur

promissum, si promittens, quantum in se est, faciat vel omittat, aut si rem *tradat*, hoc est, possessionem ejus physicam transferat, aut si stipulatorem juris vel rei usum habere patiatur.

CCCCLXVI. Si promittatur res individua, & *immediate singularis*, jus, quod in illam promittens habet, transit in stipulantem per acceptationem; igitur, si is, qui promittit, sit dominus, dominium quoque, utpote res incorporalis, statim in acceptantem derivatur, & solum ad consequendam possessionem traditione opus est. Competit enim ante illam stipulatori *jus rei certae promissae inhaerens*, sive *jus reale*, ex quo illam a quocumque juste vindicaret.

CCCCLXVII. Ubi vero res *mediate tantum singularis* aut quantitas, veluti equus, centum aurei, pacto transferuntur, pendet adhuc a promittentis arbitrio determinare, quam rem in individuo dare velit. Igitur stipulator dominium & jus reale non adquirit ante traditionem saltem *brevi manu*, vel *longa manu*, vel *symbolice* factam, aut aliam sufficientem rei determinationem; sed habet solum jus personale, seu *jus ad rem*, ut promittens rem promissam certam faciat. Fac vero aliquod ens universale promitti, veluti *protectionem*, *assistentiam*, inutilis erit promissio, quae etiam re minima adimpleri posset.

CCCCLXVIII.

CCCCLXVIII. Circumſtantia, quæ actum ſuſpendit in futurum incertum rei eventum, *conditio* dicitur. Alia eſt *naturalis*, quæ ex rei natura ineſt, & ſubauditur; alia eſt *arbitraria*, quæ conventione adjungitur. Arbitraria vocatnr conditio ſtricte talis; hancque vel *poſſibilem* faciunt, vel *impoſſibilem*.

CCCCLXIX. Poſſibilis *poteſtativa* dicitur, ſi pendet ab arbitrio ejus, in quem jus transfertur; *caſualis*, ſi a fortuna; *mixta*, ſi eſt partim poteſtativa, partim caſualis. Porro *ſuſpenſiva* eſt, ſi jus & obligatio differtur, donec exiſtat conditio, *reſolutiva*, ſi jus & obligatio ſtatim adſit, ſed ceſſet conditione veniente. Quum nemo obligetur magis, quam quatenus ſe velle declaravit, ſi conditio deficiat, etiam pactum corruet. Eſt ergo conditio ſpecies pacti, quod ſervare oportet, niſi ſit impoſſibilis, & ideo vel naturæ vel legi repugnet.

CCCCLXX. Quamquam, qui ſub turpi conditione aliquid promiſit, ex pacto, quod nullum eſt, non obligatur, tamen ſi rem promiſſam præſtitit, repetere eam nequit. Qui enim ſcienter dat, quod non debet, gratis id ſe dare tacite declarat & donat; quod vero ſemel donatum eſt, ejus non conceditur repetitio. *v. L.* 82. *D. de Reg. Jur.*

CCCCLXXI. Atque hac occaſione, quum valde diſceptetur: *an actus jure naturali prohibitus ſit etiam irritus?* tres ſequentes regulas

ſtatuere erit opportunum. Prima igitur ſit: Actus ſimplex illicitus, quatenus vetatur, nunquam jus agenti producit, & eatenus eſt etiam invalidus. Legem enim naturalem actum prohibere, & tamen jus ex eodem tribuere eſſent repugnantia.

CCCCLXXII. Huic altera ſubjungenda eſt regula: ſi actio ſit compoſita, vel non in ſe, ſed tantum propter annexam externam circumſtantiam prohibeatur: ille, qui agit, ex ea actionis parte, quæ permiſſa eſt, jus adquirere poteſt. Nulla enim idonea ſubeſt ratio, cur actus, qui dividuus eſt, in quantum licitus eſt, effectum ſuum minime ſortiatur.

CCCCLXXIII. Denique tertia ſequitur regula: ut quamvis actus intuitu unius ſit illicitus, valere tamen intuitu alterius poſſit; & quidem duplici modo: vel tam in foro interno, quam externo, vel in alterutro ſaltem; prout nimirum & jus, quo hic utitur, internum eſt, vel externum, aut utrumque ſimul. Dum enim quis jus ſuum uſurpat, legem non habet repugnantem: ceſſat igitur cauſſa, ob quam actus robore ſuo privetur. *Cf.* Grot. *II.* V. §. 10. *n.* 1. & §. 16. *tum II. XI.* §. 11.

CCCCLXXIV. Quemadmodum conditione pacto adjecta non magis obligatur promittens, quam ſe obligari velle declaravit, ex eadem ratione, ſi addatur dies, ex qua præſtanda ſit res promiſſa, eam nequit

ex-

exigere acceptans, antequam dies appoſita venerit. Ubi vero pura, id eſt, ſine die & conditione facta eſt promiſſio, tenetur illam implere promittens, quam primum id facere poteſt, & ſtipulator præſtationem poſtulat, nec tamen hic ſtatim *cum ſacco adire debet. v. L.* 105. *D. de Solut. L.* 33. *D. de uſur.*

CAPUT XVI.

De poſſeſſionis jure & dominio opinato.

CCCCLXXV. Finita eſt, teſte experientia, humani ingenii vis, nec tanta cuiquam obtigit rerum cognitio, ut non maximum earum numerum ignoret, quas omni licet adhibita diligentia ſcire tamen nequit. Quidquid per vires noſtras phyſicas noſcere impoſſibile eſt, uti & id, ad quod cognoſcendum non ſumus obligati, illud invincibiliter ignoramus, lege haud repugnante; planum igitur eſt, dari juſtam plurimarum rerum ignorantiam. *v. L.* 42. *Dig. de Reg. Jur.*

CCCCLXXVI. Quod ex ignorantia invincibili patratur, nemini imputari poteſt, quare *factum*, vel *non factum circa rem alienam* ſuſceptum, quamdiu hujusmodi ignorantia durat, læſio moralis non eſt, ſed actio lege permiſſa. Jus proin competit cuique ea agendi tanquam juſta, quæ talia non eſſent,

ſi

ſi ſuam ignorantiam poſſet ſuperare. *v. L.* 99. *De Reg. Jur.*

CCCCLXXVII. Qui juſta laborat rei alienæ ignorantia, is eſt in *bona fide*, qui vero ſuum eſſe ſimulat, quod alienum eſſe ſcit, vel culpoſe ignorat, is eſt in *mala fide*; ex quo quinam bonæ & quinam malæ fidei poſſeſſor ſit, intelligitur.

CCCCLXXVIII. Itaque patet, bonæ fidei poſſeſſorem rem alienam eſſe ignorare, verum ſe dominum opinari, & hinc poſſeſſionem interim retinere, aut amiſſam recuperare, atque actiones cum opinione veri dominii connexas ſuſcipere jure poſſe: neque ei læſionem vero domino illatam eſſe imputandam. Contra malæ fidei poſſeſſori, & illi, in quo mala fides ſupervenit, omnem poſtea actum imputari, qui ad exercitium dominii pertinet. *v. L.* 136. *D. de Reg. Jur.*

CCCCLXXIX. Atque ex his ulterius colligitur, dari occupationem, acceſſionem, & translationem dominii, aut alterius juris *putativam*, ſi quis rem alienam apprehendit, quam credit eſſe nullius, vel rem ſuæ rei accedentem ſuam eſſe judicat, aut a vero domino ſibi traditam opinatur; atque hujusmodi error omni culpa vacuus eſt.

CCCCLXXX. Hinc quanquam vera non adſit occupatio, nec vera acceſſio, nec vera dominii, aut juris adquiſitio derivativa, tamen bonæ fidei poſſeſſor pro vero domino

no habetur, donec contrarium appareat, & dominus verus cognoſcatur. Aliud dicendum foret, ſi culpa ſubeſſet adquirere volentis, veluti quum vel ex *loco*, vel ex *natura* rei inventæ ſatis deſumi poſſet, rem eſſe alicujus propriam.

CCCCLXXXI. Quia tamen inter cetera dominii jura & illud reperitur, ut quis poſſit rem ſuam vindicare, hinc medium ad hoc neceſſarium adhibere, poterit in hac ſpecie verus dominus ſuum probare dominium, hoc eſt, poſſeſſori fidem facere rem ab eo detentam ſibi eſſe propriam; quo præſtito præſumtio cedere veritati debet.

CCCCLXXXII. Aſt gravis difficultas eſt, an hocce dominium putativum diuturnitate temporis in verum dominium convertatur; ſive an ſola lege naturali nitatur *Uſucapio*, quæ dicitur modus adquirendi derivativus, quo quis rem alienam, ope I. juſti tituli, II. bonæ fidei, III. poſſeſſionis non interruptæ, & IV. longævi temporis ita ſuam facit, ut priori domino ſupervenienti amplius reſtitui ea non debeat.

CCCCLXXXIII. Adfirmant Grotius, Pufendorfius, Wolfius, aliique non pauci, quamquam non ex eodem fundamento. Quidam enim provocant α) ad præſumtam derelictionem rei tanto tempore non poſſeſſæ, aut non repetitæ data occaſione: β) quidam tacitam volunt interveniſſe con-

ven-

ventionem, quæ possessori diuturno verum dominium tribuat: γ) quidam rationem repetunt ex fine proprietatis, quæ non possit semper in incerto fluctuare, & hinc dominium putativum cum vero confundi debeat: δ) quidam denique felicitatem urgent humani generis, quæ stare nequeat, si perpetua admittantur de proprietate dissidia.

CCCCLXXXIV. Enimvero si vera adest rei derelicto, dominium occupatione adquiritur; si autem derelictio tantum præsumta est ac ficta, cedere debet veritati, quam primum verus dominus declarat se nunquam habuisse derelinquendi animum; quid, quod hujusmodi præsumptio contraria est legi naturali, quæ prohibet hominem res suas jactare?

CCCCLXXXV. Porrò domini silentium derelictionem satis non evincit; oritur enim sæpe ex ignorantia, vel ex metu possessoris; & si quis non contradicit, ut alter rem possideat, non sequitur, neque contradicere, ut perpetuum ejus habeat dominium. Sed etiam tacita quædam conventio rem permittendi possessori ultro fingitur; quin potius id voluisse omnes censentur, ut res amissa suo domino restituatur.

CCCCLXXXVI. Nec melior ratio est in confusione. Si enim confusio dominii putativi cum dominio vero causa esset usucapionis, hæc etiam cessare deberet cognito vero

rei

rei domino, ſiquidem tunc confuſio quoque deſinit.

CCCCLXXXVII. Denique communis felicitas non probat uſucapionem jure perfecto obtinere; ſiquidem officia beneficentiæ ac gratitudinis exhiberi etiam intereſt humani generis, inde tamen non concluditur, adeſſe obligationem perfectam, ut præſtentur. Immo vero paci & tranquillitati ſatis conſultum eſt *Jure poſſeſſionis*, quam quis licite tuetur, donec alter perſpicue demonſtret, ſe rei dominum manſiſſe; quod ſi fuerit factum, rei reſtitutio communi bono nullatenus repugnat.

CCCCLXXXVIII. Nulla igitur adduci ratio ſufficiens poteſt, ob quam a domino, qui neminem læſit, atque invito,* rei dominium in poſſeſſorem naturaliter derivetur. Præſertim ſi perpendamus, tempus, ex quo vel derelictio, vel conventio, vel confuſio colligi deberet, nullo modo ſola lege naturali determinari poſſe, an nimirum decem, viginti, centum, aut quot demum annis impleatur. Adeoque tota uſucapionis doctrina ad jura poſitiva pertinet.

CCCCLXXXIX. Sane ſi fingamus quietam rei poſſeſſionem duraſſe immemoriali tempore, ut nulla in contrarium eſſet memoria, utique idonea dominii probatio eſſet impoſſibilis; adeoque tunc jus poſſeſſionis a jure veri dominii quoad effectum non diſtabit.

CCCCLXC.

CCCCXC. Quamprimum autem dominus jus suum manifestat, possessor malæ fidei, cui omnes actus imputantur circa dominii exercitium, non modo cogitur rem restituere, si adsit, atque omne damnum resarcire; sed si res periit ob moram, nec alias fuisset peritura, dominum indemnem servare debet; porro fructus præstare omnes sive *perceptos*, sive *percipiendos*, quibus scilicet vel ipse, vel petitor frui potuisset.

CCCCXCI. Contra possessor bonæ fidei, quia domino ex ipsa re quidem obligatur, non autem ex *facto* in re, quam juste suam putavit; si res deterior facta sit, aut tota perierit, damnum utique non resarcit: ast restituere tenetur rem ipsam adhuc exstantem & omne ex re proveniens *lucrum*; quod scilicet possessor ex illa plus habet, quam antea habebat.

CCCCXCII. Atque eo pertinent I. æstimatio tam rei permutatæ, si eam habuerat gratis, quam donatæ, si aliam fuisset donaturus, nec dominus rem possit obtinere à secundo possessore. II. Dein omnes fructus exstantes, & ii, e quibus locupletior factus est, veluti si suis pepercit; non autem fructus plene consumpti, vel percipiendi. *v. L.* 151. & 206. *D. de Reg. Jur.*

CCCCXCIII. Sumtus, quos in rem facimus, sive ejus conservandæ, sive fruendæ, sive ornandæ caussa *Impensæ* dicuntur, & sunt

vel

vel *necessariæ*, vel *utiles*, vel *voluptuariæ*. Quoniam quilibet tenetur res suas conservare, & meliorare, impensæ necessariæ & utiles restituendæ sunt tam bonæ, quam malæ fidei possessori; nil enim fecerunt, nisi quod dominus ipse facere debuisset, cui porro non licet ex re aliena lucrari.

CCCCXCIV. Impensas voluptuarias vero quod attinet, eas malæ fidei possessor sciens facit, etsi facere non esset obligatus; eas igitur gratis domino concedere videtur. Ast bonæ fidei possessori illas *tollere* licebit, hoc est, auferre sine ullo rei detrimento, vel quantum inde lucri caperet dominus, ab ipso postulare.

CCCCXCV. Ceterum confundi non debet cum impensis id, quod possessor bonæ fidei sponte erogavit pro re adquirenda; si enim hoc reddere illi deberet dominus, re ipsa recuperaret nihil; sufficit igitur possessori salvum sibi esse regressum contra eum, a quo rem accepit; nec quidquam a domino potest postulare, nisi in illa specie, quando rem certo corrumpendam, veluti a pirata, eo animo quis redimit, ut domino eam restituat. Sed nec mercedula inventionis debetur inventori jure perfecto, nisi sit promissa. *v. L. 15. de Præscr. Verb.*

CAPUT XVII.

De pactis speciatim beneficis.

CCCCXCVI. Introducta rerum proprietate non eædem erant externæ hominum facultates, sed quidam certis rebus abundabant, quibus alii indigebant; quum autem homines mutuis viribus se se perficere tenerentur, inde orta est obligatio, ut res & operas sibi invicem communicarent.

CCCCXCVII. Erat tamen imperfectum illud vinculum, nec quisquam ad suum alteri concedendum invitus cogi poterat, ne secus inutilis fieret introductio dominiorum; igitur quicunque voluit τὸ *alienum* in τὸ *suum* recipere, is quoque domini consensu, adeoquo pacto opus habuit, & hæc pacta, quatenus perfectam pariunt obligationem, *contractus* etiam adpellantur.

CCCCXCVIII. *Essentiale* contractus id dicitur, sine quo contractus non est, ita ut vel actus sit plane nullus, vel transeat in alium contractum. *Naturale* est, quod per se inest, & subauditur, sed expressa conventione potest abesse; *Accidentale*, quod neque subauditur, sed per actum adjici potest.

CCCCXCIX. Si res vel operas unus alteri pacto promittit *gratis*, hoc est, absque quod aliquid velit ab eodem recipere, contractus est *gratuitus*, sive *beneficus*; si vero utraque pars ad ali-

aliquid præſtandum adſtringitur, contractus eſt *onerosus*, ſeu *permutatorius*. Translatio τοῦ *nostri* in accipientem *gratuito & ex liberalitate facta* eſt DONATIO generatim; omnis ergo contractus *beneficus unilateralis eſt*, & aliquam continet donationis ſpeciem, contra contractus oneroſus ſemper eſt *bilateralis* & donationis expers, ſeu aliqua PERMUTATIO. *v. L.* 19. §. 2. *D. de Donat.*

D. Quidquid donatur, vel eſt *res ipſa*, vel *rei uſus*, vel *opera*. Jam ſi RES ipſa gratis confertur corporalis vel incorporalis, adeſt *Donatio* ſtricte dicta. Si datur rei USUS gratis, aut res eſt *fungibilis*, quæ conſtat numero, pondere, menſura, quæque vice rei alterius fungitur ejusdem generis, ut una ſubſtitui pro altera poſſit, ac tantundem ſit idem, & naſcitur *Mutuum*.

DI. Aut res traditur non fungibilis, quæ uſu non conſumitur, veluti equus, habitatio; & iterum vel 1) ad definitum tempus & fit *Commodatum*, vel 2) ad libitum concedentis, & fit *Precarium*.

DII. Denique ſi OPERA tantum alteri gratis confertur, aut hæc opera conſiſtit in re aliena cuſtodienda, & naſcitur *Depoſitum*; aut in negotio alterius ſibi commiſſo gratis gerendo, & dicitur *Mandatum*. Ab his autem contractibus pacta de donando, de mutuo dando, de commodando, de deponendo & mandato ſuſcipiendo diſtingui debent.

DIII. Regulæ donationis ſunt: I. Donans alienat vel rem, vel jus, ſolus igitur dominus poteſt donare. II. Pacta ſemel inita ſervare oportet, igitur ſecuta donatione res donata tradi debet, nec competit jus revocandi. III. Sed liberalitas nondum acceptata non eſt donatio, ergo tunc revocatur ſine læſione, tam *ſimplex*, quam *remuneratoria*. IV. Uti in pactis, ita in donatione non plus donatarius adquirit, quam donans ſe donare velle declaravit, igitur addi conditio poteſt, veluti ſi donans ante donatarium moriatur, & hæc eſt *donatio mortis cauſſa*. V. Pactum donationis reciprocæ tam donantem, quam donatarium obſtringit, quare ad contractus beneficos hæc non pertinet.

DIV. Quum *mutuum* ſit contractus beneficus, quo res fungibilis datur ea lege, ut poſt certum tempus in eodem genere reddatur, mutuans rem in genere non alienat, ſed ejus uſum temporarium concedit, quem porro ante temporis lapſum repetere non poteſt.

DV. Quia tamen uſus rei fungibilis in abuſu conſiſtit, mutuatarius jus habet plene diſponendi de ſpecie mutuo accepta, fit datæ ſpeciei dominus, & illius fert periculum. Quare corpora mutuo data alienari conſtat, non autem quantitatem; eſt enim alienum, quod nos aliis debemus. * Ideo mutuatarius obligatur mutuum creditori reſtituere in eadem.

* *L. 213. D. de V. S.*

dem quantitate & qualitate, ſcilicet ut non minus recipiat, quam dederat, & ſolo uſu carere videatur.

DVI. *Commodatum* dicitur contractus beneficus, quo res non fungibilis alteri gratis, & ea lege traditur, ut poſt certum uſum & tempus eadem in ſpecie reſtituatur. Igitur non poteſt commodatarius magis re uti, quam pacto conceſſum, ſecus faceret *furtum uſus*, & finito uſu tenetur rem in ſpecie, hoc eſt, numero eandem, reddere commodanti; hinc cavere omni diligentia, ne res pereat, aut deterior fiat, impenſas ad rei uſum, v. c. ad alendum equum, neceſſarias ferre, & ſi ſua culpa res deſtruatur, vel diminuatur, præſtare ſatisfactionem.

DVII. Aſt quæſtionis eſt, an commodatarius teneatur, α) rem ante tempus reſtituere, ſi ea indigeat commodans, aut β) aliam rem præſtare, ſi caſu periit res commodata, quæ apud dominum non fuiſſet peritura. Sunt, qui tacitam urgent conventionem id præſtandi; aſt ſtricto jure utrumque negari poteſt, quia certus rei uſus jam ad commodatarium pertinet, nec amplius ei adimi poteſt invito, & quia naturale eſt, ut res pereat ſuo domino: quæ jura permanent, donec contrahentes contrarium ſufficienter declaraverint; quamvis ratio æquitatis aliud ſæpe poſtulet.

DVIII. Si quid promittitur pro uſu rei, ceſſat commodati ſubſtantia, & pactum tranſit in contractum oneroſum; aliud foret, ſi daretur *Honorarium* remunerandi cauſa, quod antea promiſſum non eſt. In *precario* res ad lubitum revocari poteſt; ergo nulla obligatio adeſt reſpectu concedentis, ſed obligatur accipiens, rem reddere domino, quandocunque is voluerit.

DIX. *Depoſitum* definitur: contractus, quo res alicui cuſtodienda traditur, ut quandocunque placuerit, deponenti reſtituatur. Itaque incumbit depoſitario diligens rei cuſtodia tempore convento, abſtinentia ab omni rei uſu, reſtitutio depoſiti etiam ante tempus pacto definitum & damni culpa dati reſarcitio. Aſt culpa non eſſet, in pari cauſſa res ſuas præferre, domino potius rem reſtituere, quam deponenti, & illam furioſo penitus abnegare. *L.* 31. §. 1. *D. Depoſ.*

DX. Contra deponens omnes impenſas ad cuſtodiam rei depoſitæ factas refundere debet. Ceterum ſi rei depoſitæ uſus conceditur depoſitario, vel ei pro cuſtodia quid promittitur, priore caſu pactum tranſit in mutuum aut commodatum, poſteriore caſu vero in contractum permutatorium.

DXI. Quia pactum, quo quis negotium alterius ſibi ab eodem commiſſum gratis gerendum ſuſcipit, eſt *mandatum*, facile patent hæc enunciata: I. mandans cauſſa moralis eſt

actio-

actionum mandatarii, juxta illud: *quod quis per alium facit, per se fecisse videtur.* II. Mandatarius, seu procurator qua talis omnia nomine mandantis agit, eum *repræsentat*, porro jura & obligationes eidem adquirit. III. Tenetur procurator negotium sibi commissum omni diligentia peragere, damnum vero sua culpa illatum reparare.

DXII. Ita est IV. officium perfectum mandantis negotium intra fines mandati ratihabere, procuratorem indemnem servare, si quid de suo erogavit in negotio administrando; non vero si casu fortuito aliquam passus sit jacturam, de qua non fuit cogitatum; ad hanc enim reparandam non tenetur mandans, nisi pro re nata ex obligatione imperfecta. *v. L. 26 §. 6. D. mand.*

DXIII. V. Qui negotium sibi non commissum ultro & gratis suscipit, mandatarius non est, sed *negotiorum gestor*, *procurator voluntarius*; obligatur tamen quasi ex mandato, eique imputantur omnia, quæ ex administratione rerum alienarum consequuntur. Igitur ejus est rem gerere summa diligentia, rationes reddere, & damnum dolo, vel culpa datum emendare.

CAPUT XVIII.

De contractibus permutatoriis generatim, & de rerum pretio.

DXIV. Qui res vel operas in alterum gratis conferre non vult, id ſemper intendit, ut ab altero quoque res vel operas recipiat, ſive ut is etiam aliquid det, vel faciat. Nullus ergo eſt contractus oneroſus, qui non ad quatuor illos articulos revocari poſſit: I. Do, ut des. II. Do, ut facias. III. Facio, ut des. IV. Facio, ut facias. In his igitur commercium, ſeu *mutua rerum communicatio, quæ per contractus explicatur*, ſitum eſt.

DXV. Quoniam in contractibus oneroſis ſimpliciter talibus omnis donatio exulat, neuter contrahentium vult aliquid gratis concedere, ſed uterque illud ſibi propoſitum habet, ut tantum ab altero recipiat, quantum in ipſum transfert, hinc ut uſus virium alterius, uſui virium ſuarum æquipolleat, adeoque ut ſint æqualia ratione utilitatis ea, quæ invicem præſtantur.

DXVI. Quare neceſſe fuit, res corporales, incorporales & operas, utpote objecta reciproce communicanda inter ſe comparare, id eſt, earum identitatem, & diverſitatem ſibi repræſentare, tum *Quantum utilitatis* eisdem tribuere, & ita mutuam earum æqualitatem definire.

DXII.

DXVII. Nihil in dominio reperitur, aut alio jure noſtro dominii analogo, in quo non aliquem perfectionis atque utilitatis gradum cogitemus. Quantitas perfectionis in univerſum, & ſpeciatim quantitas utilitatis, quam in re quadam nobis repræſentamus, ejus *valor* dicitur, valoris determinatio *æſtimationem*, definitus autem valor rerum, quæ ſunt in commercio, ſeu contractus oneroſi capaces, earum *pretium* conſtituit; quidquid porro in dominio eſt, ſuum habet pretium; aſt id, quod proprium eſſe nequit, pretii objectum non eſt. *

DXVIII. Actus permutatorii ex mutua neceſſitate & commoditate orti ſunt; hinc objecta, quæ permutantur, *homogenea*, & ejusdem generis plerumque non ſunt, ſed *heterogenea* atque diverſi, quorum porro utilitas vario modo ſe ſe exſerit. Itaque in valore & pretio continetur relatio quanti duorum objectorum inter ſe, ſeu ratio eorum mathematica; quæ ratio in objectis heterogeneis naturalis, ſeu phyſica non eſt, ſed moralis, & hominum arbitrio tributa, arbitraria, ficta. Et ideo pretium definitur quoque: *quantitas moralis rebus & operis hominum arbitrio tributa, ut earum ad ſe invicem ratio definiri poſſit.*

DXIX. Quemadmodum unitas, quæ adhibetur ad exquirendam magnitudinem alterius objecti, eſt ejus *menſura*, ita res quæ

 ean-

* *V. Plaut. Aſin. Sc. III. v. 46.*

eandem menſuram moralem, ſeu æqualitatem intuitu utilitatis habent, *æquivalentes* vocantur. Sic pretium unius equi, ut hoc utar, intelligi nequit, niſi adſumta alia re, veluti viginti aut triginta ovibus, cum quibus comparetur; quare certus ovium numerus æquivalens erit equi atque menſura. Hinc hæ duæ res ratione pretii ſibi invicem ſubſtitui, atque ſalva æqualitate inter ſe permutari poſſunt.

DXX. Quia dominus jus habet diſponendi de *τῷ ſuo* pro lubitu, ei licet rebus & juribus & operis ſuis majus vel minus pretium ſtatuere, * illudque omni momento variare. Eſt enim talis *relatio* acceſſorium dominii, vi cujus noſtra cum alienis commutare, vel non commutare eſt permiſſum. *vid. Gen. XLVII.* 14.

DXXI. Attamen rei *utilitas* ſive vera, ſive imaginaria, ſive communis, ſive particularis conjuncta cum raritate, quod ſcilicet ea res magis minusve uſu exhauriri poſſit, pretia rerum gignit, auget, minuitque. ** Sola utilitas ſine omni raritate pretium non efficit; hinc aqua nullius eſt pretii, ubi abundat. Nec ſola *raritas*, remota omni ſpecie utilitatis, nos ad rei dominium adquirendum impellit, ergo nec ad ponendum pretium: ideo muſcæ albæ nullo veneunt pretio.

DXXII. Quoniam nihil in dominio eſt, vel in jure noſtro dominii analogo, quod non ali-

* *Seneca VI. Benef.* 15.
** *Tacit. An. VI.* 17.

aliquam habeat utilitatem, & raritatem, consequens eſt, ut ſingulæ res dominii vel quaſi capaces, cum utilitate & raritate omnium aliarum rerum aliquomodo comparari poſſint, pretiumque ſuum habere. Atque hic valor rerum ſingularum, quatenus hæ per quantitatem cujuslibet alterius objecti reciproce æſtimari, & pares fieri poſſunt, eſt *vulgare pretium*.

DXXIII. Non ſemper tamen id uni ſupererat, quo alter indigebat, verum ſæpe quod alter dare volebat, alter aſpernabatur; immo difficile plerumque erat quantitatibus phyſicis vel operis mutuam utriusque contrahentis utilitatem æquare, neque eam tamen excedere; & aliquando res ipſæ tantæ erant molis, ut transferri commode non poſſent. Itaque oportuit excogitare materiam, cujus definita quantitas phyſica eſſet menſura pretii cujuslibet objecti. Hæc autem materia, rerum omnium permutandarum vicaria, eſt *pecunia*; quæ ſi in certas partes diviſa ſit atque ſignata, *moneta* nominatur. *

DXXIV. Quandoquidem pecunia communis eſt rerum omnium permutationis capacium menſura, & æquivalens univerſale, poteſt illa omnibus objectis permutandis ſubſtitui, & venire in locum cujuslibet vulgaris pre-

* Ita pecuniæ originem philoſophicam exponit JCtus *Paulus L.* 1. *D. de contr. emt. vent.* hiſtoricam tradit *Salmas de uſur. C. XV.*

pretii. Et ideo hoc pretium rerum, operarum & jurium per quantitatem pecuniæ determinatum, *pretii eminentis* nomen obtinuit.

DXXV. Ex fine autem pecuniæ apparet, cur 1) materia requiratur, quæ per se utilitatem habeat, & vulgare pretium, 2) quæ nec nimis rara sit, nec nimis obvia, 3) quæ sit substantiæ compactæ, ut duret, 4) quæ dividi etiam in partes minimas, facile custodiri, & transferri possit. 5) Cur denique metalla fulgentia sint electa, in quibus solis omnia illa requisita perfecte reperiuntur, & cur pecunia *proba* sit, cujus valor impositus materiæ & ponderi respondet, & hinc hodie publica forma, & iconio feriatur.

DXXVI. Pecunia inventa est, ut æquivalens sit aliarum rerum æstimationis capacium, atque illis in permutatione substituatur; per actum permutatorium transit ex dominio unius in dominium alterius; præcipuus ergo & ordinarius pecuniæ usus consistit in ejus alienatione. Ceterum & patrimonii magnitudo, adeoque *divitiæ*, *commoditas*, *paupertas*, *egestas*, & *mendicitas* cujusvis pecunia æstimantur.

DXXVII. *Æquum* est pretium, quod in actibus permutatoriis communi consensu paciscentium introductum, secus est *iniquum*, veluti si per errorem, aut dolum statuatur.* Illud vero pretium naturaliter esset *injustum*, si la-

* *V. Cicer. Ver. IV. 7. Seneca de Benef. V. c. 15.*

laborare volenti deficerent res neceſſariæ; quare pretium rerum neceſſariarum ita determinandum eſt, ut eædem vilis operæ pretio comparari poſſint. Et ob eandem cauſam, ſi ſolum ſpectemus uſum, res neceſſariæ minus valere debent, quam utiles, & hæ minus, quam voluptuariæ.

CAPUT XIX.

De variis permutationum formis.

DXXVIII. Innumeri ſunt modi, quibus res, operas vel jura noſtra cum rebus, operis, juribusve alterius permutamus; quidam tamen, utpote frequentiores, ſpeciali nomine deſignantur.

DXXIX. Commutari autem poſſunt vel 1) pretium vulgare rei unius cum pretio vulgari alterius, hoc eſt, dari res pro re, & fit *Permutatio* in ſpecie, vel 2) pretium eminens, ſeu certa pecuniæ quantitas cum re, eſtque *Emtio Venditio*, vel 3) pecunia determinata cum uſu rei non fungibilis, aut cum opera, & eſt *Locatio Conductio*, vel 4) res quævis aut opera cum uſu rei fungibilis, & fit *Fœnus*, ſeu *Contractus fœnebris*, vel 5) pecunia cum pecunia, & *Cambium* dicitur.

DXXX. Porro permutatur 6) dominium utile rei alicujus cum obligatione præſtandi *a*) aut canonem annuum, & eſt *Emphy-*

phytcusis, β) aut fidelitatem, hoc est, curam & diligentiam, ne aliquid in alterius præjudicium fiat, & nascitur *Feudum*; denique si γ) res vel operæ in commune lucrum conferuntur, *Societas* fit; reliqui sunt innominati.

DXXXI. Permutantes nihil in alterum gratis transferre, sed tantundem ab eo recipere, adeoque servari *æqualitatem* volunt. Quia tamen in statu naturali rerum pretia a cujusvis pendent arbitrio, nec quisquam tenetur in æstimanda re sua stare judicio aliorum, æquales sunt res, quæ a contrahentibus tales esse censentur. Ii enim jus habent rei, quam alienant, parem tribuendi valorem illi, quam vicissim adquirunt; dummodo nihil de his, quæ ipsam rem contingunt, dolo vel errore reticeatur. Est enim officium permutantium rei vitia manifestare, & si quædam latuissent, vi conditionis naturalis inæqualitatem tollere.

DXXXII. Quoniam *permutatio* in specie contractus est onerosus, quo pretium vulgare pro vulgari præstatur, ad rei nostræ translationem vero in alterum faciendam traditione semper opus non est: patet, 1) permutationem contractum esse omnium antiquissimum, 2) eamque etiam nudo consensu celebrari posse.

DXXXIII. Contractus, quo res promittitur pro certa pecunia, est *emtio venditio*, ergo 1) ad ejus substantiam requiritur *consensus*,

merx,

merx, & pretium eminens. 2) Emtor obligatur statim pecuniam dare, & venditor dare mercem, nisi aliud conventum, & unus alterius fidem sequatur. 3) Re in specie vendita, emtor jus in re adquirit ante traditionem, venditor vero debitor est certæ speciei, adeoque si res casu pereat, perit ipsi emtori; quod si eam venditor iterum alienaret, secunda alienatio esset irrita. 4) Contra pecunia in genere debetur, nec ejus dominus ante fit venditor, quam tradita sit; ei igitur non perit.

DXXXIV. Aliquando res aliena venditur; quod si fiat, nisi etiam emtor rem alienam esse sciverit, *naturale* est emtioni, ut venditor debeat *Evictionem* præstare, hoc est, satisfacere emtori ob rem a domino *evictam*, sive jure vindicatam.

DXXXV. Ad *accidentalia* emtionis pertinent pacta, quæ passim addi solent, veluti pactum de *retrovendendo*; pactum, seu *lex commissoria*, ut si emtor non solvat pretium intra certum tempus, res sit inemta; pactum *addictionis in diem*, ut si quis intra certum diem meliorem conditionem non obtulerit, res sit emta, aut si obtulerit, inemta. De quibus porro omnibus illud valet: *uti lingua nuncuparunt paciscentes, ita jus esse.*

DXXXVI. *Locatio conductio* est contractus de rei non fungibilis usu, vel operis pro certa pecuniæ quantitate, sive *mercede*, præstandis.

dis. Qui usum rei vel operam promittit, *locator*, qui promittit pecuniam, seu mercedem, est *conductor*. In specie conductor agri *colonus*, ædium *inquilinus* nominatur.

DXXXVII. 1) Itaque incumbit locatori, rei usum, vel operam præstare per tempus definitum, nec ei licet citius expellere conductorem ob propriam indigentiam. 2) Conductor tenetur re ita uti, ut non abutatur, tribuere mercedem non obstante sterilitate, rem non deserere sine justis causis; potest tamen usum suum alteri concedere, *sublocare*.

DXXXVIII. 3) Si locator rem locatam vendat, non plus juris in emtorem transfert, quam ipse habuit, igitur emtor conductorem non potest ante tempus excludere. 4) Quando finito locationis tempore conductor continuat re uti, silente locatore, fit tacite nova locatio, seu *relocatio*. 5) Si deponens pro opera, vel commodatarius pro usu rei pecuniam promittant, tam depositum, quam commodatum in locationem abeunt.

DXXXIX. Quemadmodum gratuita concessio usus rei non fungibilis commodatum est, hoc vero in locationem transit, si quis pretium sibi pro usu stipuletur; ita mutuum, quod fit usu rei fungibilis gratis concesso, convertitur in *fœnus*, seu *contractum fœnebrem*, si aliqua usura promittatur. Est autem *usura*

latius, quidquid pro usu rei alicujus solvitur.*

DXL. Acerrime semper disputatum fuit de moralitate contractus fœnebris. Nos illum legi naturali indistinctim repugnare non putamus. Nam 1) usus pecuniæ magnam adferre potest utilitatem, igitur non minus suum habet pretium, quam usus rei non fungibilis. 2) Rei meæ usum gratis alteri dare perfecte non obligor; ut ergo in id consentiam, possum mihi quid ab altero stipulari. 3) Ob lucrum cessans, vel damnum emergens accipi quascunque usuras posse omnes fatentur; nil ergo vetat, quin illa incerta præstatio certa quadam promissione redimatur.

DXLI. Præterea 4) valet contractus societatis, ut res & opera in *commune lucrum* conferatur; cur ergo non valeat pactum fœnebre, vi cujus alter rem confert, alter operam? ita tamen, ut, qui rem communicat, lucro majori incerto renuntiet, ut fiat securus *Sortis*, hoc est, rei ad usum concessæ, & modici lucri. 5) Deus ipsemet permisit Hebræis, ut extraneis *fœnerarentur.*** Quod autem lege naturæ absolute vetitum est, id a Deo per revelationem permissum non est.

M DXLII.

* Ideo Plautus: *Nam si mutuas non potero, certum est, sumam fœnore. Asin. I. Sc. III. fin.*
** *Deuter. XXIII. v. 19. seq.*

DXLII. Nec dicant adverſarii I. pecuniam eſſe ſterilem, & nullos fructus ferre, II. debitorem eſſe dominum, illi ergo ſoli prodeſſe lucrum debere. Præterquam enim quod pecunia fructus civiles fert uberrimos, & domus ſterilis eſt, & bibliotheca; locari tamen uſus utriusque poteſt. Dein dominium adquiſivit debitor a fœneratore, quæ conceſſio ſuam habet æſtimationem.

DXLIII. Neque urgeas III. damnari uſuras in veteri & novo Teſtamento, * a ſanctis Patribus, & Pontificum decretis; ſiquidem pertinet hæc prohibitio cum ad leges poſitivas, tum etiam ad uſuras mordentes, vel ſolius mutui titulo acceptas. Ut enim ſint naturaliter licitæ uſuræ, debent uſui pecuniæ, & lucro, quod debitor commode facere poteſt, attemperari. Dein uſuræ & tunc caritati repugnant, quando a pauperibus & iis petuntur, quibus ſubvenire gratis officium erat noſtrum imperfectum.

DXLIV. Quum *Cambium*, ſeu *Collybus* ſit permutatio pecuniæ cum pecunia; hæc permutatio vel fit in variis ſpeciebus monetæ, & in eodem loco, vel in loco diverſo. Illud cambium eſt *manuale*, hoc cambium *traſſatum*.

DXLV. Ad poſterius concurrunt quatuor perſonæ. I. Qui remittit, *Campſarius*. II. Per quem remittitur, *Campſor*, ſeu *Traſſans*. III. Re-

* *Exod.* XXII. 25. *Levit.* XXV. 36.

Remiſſam qui ſolvit, *Acceptans*, ſeu *Traſſatus*. IV. Cui ſolvitur, *Præſentans* vocantur. Horum officia ex principiis permutationis, & præcipue contractus fœnebris deduci & ad innumeras circumſtantias aptari debent.

DXLVI. Contractus, quo dominium utile prædii pro certa penſione annua in recognitionem dominii directi præſtanda conceditur, eſt *emphytheuſis*. Igitur dominus emphyteuſeos directus rem emphyteuticam tradere, emphyteuta vero prædium meliorare & canonem annuum ſolvere obligantur.

DXLVII. Et quia canon ex fructibus non accipit menſuram, poteſt enim eſſe in re minima, ab eo nec ſterilitas, nec interitus partis prædii excuſat. Ceterum per naturam determinatum non eſt, ſed ex conventionis formula determinari debet, an ſtatim canone ſemel non ſoluto, vel fundo vendito ſine conſenſu domini directi, dominium utile exſpiret?

DXLVIII. Quoniam conceſſio dominii utilis ſub lege fidelitatis feudum dicitur, ſeu *contractus feudalis*, facile patet, feudi eſſentialia eſſe *rem feudalem*, tum *dominium directum* concedentis, ſeu domini directi, dein *dominium utile* accipientis, ſeu *vaſſalli*, & denique *fidelitatem* mutuam: cetera omnia pactis & legibus poſitivis determinantur, & in peculiari traduntur diſciplina.

DXLIX. Supereſt *Societas negotiatoria*, quæ quum ſit conventio duorum, vel plurium de re, vel opera in commune lucrum communicanda, prono fluunt alveo hæ poſitiones. 1) Qui nihil confert, aut nullum ex re collata ſperat lucrum, ſocius non eſt. 2) Si ſocietas ſit *univerſalis*, id eſt, omnium bonorum, naturale eſt, ut non modo lucrum & damnum, ſed etiam *Sors*, hoc eſt, *pecunia collata* ſit communis, & portiones ſociorum fiant arithmetice æquales, licet unus minus contulerit & ex juſta cauſſa altero plus expendat.

DL. 3) Si vero ſocietas eſt *generalis*, nimirum eorum, quæ opera, & negotiatione adquiruntur, aut *particularis* in rebus, vel operis ſingularibus, exigit natura contractus, ut lucrum & damnum pro rata geometrice dividatur, ſors autem ſua cuique ſit ſalva. 4) Ut reliqui contractus, ita etiam ſocietas tempore convento durare debet, nec uni ab ea recedere licebit altero invito, ſi modo & hic leges contractus obſervet.

DLI. *Alea* eſt incertus eventus, qui nobis lucrum & damnum adferre queat. Itaque 1) ſi uni contrahentium de eventu certo conſtet in contractu, alea amplius non eſt. 2) Quoniam quilibet de re ſua poteſt diſponere, immo illa in foro externo abuti, dubium non eſt, quin valeant *contractus aleatorii* de re

in

in ſe honeſta celebrati, veluti de jactu retis pro certo pretio tradendo.

DLII. Sunt autem & hi *Contractus* vel *beneſici*, vel *oneroſi*, & in poſterioribus tum ſervatur æqualitas, ſi inter metum damni, & ſpem lucri proportio habeatur, & porro contrahentes ab omni dolo & fraude abſtineant.

DLIII. Huc ſpectant præcipue *Emtio ſpei*, *Lotaria*, *Olla fortunæ*, *Contractus aſſecurationis*, *Bodemeria*, *Deciſio per ſortem*, ſive electricem, ſive attributricem, ſive diviſoriam, *Cenſus vitalitius*, & tandem *Contractus luſorii*, qui tum demum ſe recte habent, ſi & lucrandi cupiditatem & nimiam rerum & temporis profuſionem fugiamus. *Cic. Off. I.* 29.

CAPUT XX.

De jurejurando, aliisque modis, quibus pacta confirmantur.

DLIV. Signa aut ſermones, quibus veracitatem & ſinceritatem noſtram confirmamus, ſunt *Adſeverationes*, ſeu *Conteſtationes*. Illa autem *Conteſtatio, qua ad vindictam divinam ſub conditione falſiloquii moralis provocamus*, *Jusjurandum* dicitur, & quidem *promiſſorium*, ſi quis promiſſionem a ſe factam firmet, ſecus *adſertorium*. Igitur inſanus, demens, non jurant, nec qui tantum legens juramenti formulam,

non præſefert animum jurandi. *Ovid. Heroid. XXI. v.* 135.

DLV. Finis juramenti ex parte ejus, qui jurat, eſt, ut verbis ſuis conciliet majorem fidem. Qui enim Deum eſſe agnoſcit ens omniſcium, omnipotens, & juſtiſſimum, non præſumitur eſſe tam malus, ut fidem fallere, ac divinæ miſericordiæ renuntiare velit. Alter finis eſt ex parte illius, cui juratur, ut de veracitate & ſinceritate jurantis certior & ſecurior fiat. *Cic. Off.* 31.

DLVI. Quum nihil inconſulto, nihil temere agere liceat, multoque adeo minus alterum fallere religionis obtentu, aut divino nomine abuti, perſpicuum eſt, cur *judicium*, *juſtitia*, & *veritas* quaſi tres jurisjurandi comites ſtatuantur, * qui ſi adſint, jurans Dei manifeſtat attributa, ejusque adeo gloriam illuſtrat. Non igitur alia in ſacris literis prohibentur juramenta, quam quæ ſine ulla neceſſitate, & ex levi animo præſtantur. *v. Math. V.* 33.

DLVII. Motiva, quæ jurantem impellere debent ad dicendam veritatem, aut pactum ſervandum, ſunt Dei omniſcientia, omnipotentia, & juſtitia. Igitur inutile eſſet jusjurandum, ſi vel per id præſtaretur, quod pro tali ente jurans non agnoſcit, veluti per caput, oculos, ſalutem principis, anſerem, numerum ternarium; aut ſi is juret, qui Deum eſſe-

* *Jerem. IV.* 2.

esse negat, vel illum putat res humanas parum curare.

DLVIII. Ex quo consequitur, ut jusjurandum religioni jurantis adcommodandum sit. Qui enim per falsos Deos jurat, quos veros credit, eos, ut omniscios, omnipotentes, & justissimos sibi repræsentat; ergo respectu ipsius perinde est, ac si per verum Deum jusjurandum præstitisset. *Martial. Epigr. XI.* 94. & *Can.* 16. *Caus. XXII. q.* 1.

DLIX. Et quia tale juramentum acceptans, aut etiam deferens, causa moralis non est, cur alter erroneam de Deo opinionem foveat, cessat ratio, ob quam eidem actus superstitionis, & idololatriæ imputetur. *Vid. Gen. XXXI. v.* 53.

DLX. Qui Cajo centum promisit, & eos se daturum juravit, non quidem ad ducentos obligatur, & eatenus (nimirum ratione objecti) jusjurandum duplicem obligationem non parit; quia tamen per juramentum nova accedunt motiva servandi, quod promissum est, dubitari nequit, quin novum etiam vinculum respectu jurantis producatur; & ideo prior obligatio *vinculum Justitiæ*, posterior *vinculum Religionis* dicitur.

DLXI, Quoniam jusjurandum novam obligationem efficit *Religionis* intuitu Dei, non autem *Justitiæ* respectu ejus, cui juratur, quippe quæ ex pacto proficiscitur; si desit pactum, tunc in foro externo cogi jurans

non poterit, ut præſtet, quod juravit. Sed facere id tenebitur reſpectu religionis, & in foro interno, ſi ſaltem valeat declaratio jurata, veluti ſi quis ſacramentum dicat, ſe mille inter pauperes diſtributurum.

DLXII. Si igitur pactum ſit nullum, v. c. ex defectu acceptationis, inde non ſequitur ſtatim etiam jusjurandum non valere; quamvis enim ſola Dei invocatio ex non pacto pactum haud faciat, tamen jusjurandum ratione promiſſionis valere poteſt, & hoc ſenſu in foro interno *omne jusjurandum ſervari debet, quod ſervari poteſt ſine diſpendio animæ*, propter Religionis vinculum.

DLXIII. Sed ſi pactum vel turpe foret, vel phyſice impoſſibile, ſicuti non obligat pactum ex juſtitia, ita non devincit ex Religione jusjurandum, quod nec eſſe vinculum iniquitatis, nec irritam promiſſionem validam efficere poteſt. Præterea vero ſemper Dei gloriam obſcurant illi, qui hujusmodi impio, vel temerario jurejurando ſeſe polluunt.

DLXIV. Atque hoc ſenſu, quem modo evolvimus, verum eſt, *jusjurandum ſequi naturam actus, cui adjicitur*; conditiones enim, quæ pacto tacite inſunt, ad jusjurandum quoque ſpectant. Sic ſi quis gemmas ſpurias pro genuinis emat, & juret pretium ſe ſoluturum, tacite intelligit, ſi gemmæ ſint genuinæ, quæ ipſa conditio etiam juramento ineſt.

DLXV. Quare si non adest in mentis declaratione pactum, adjectio juramenti obligationem justitiæ quidem non gignit. Sed ad ponendam obligationem *Religionis* satis est, aliquem liquido, & sine ulla conditione de re possibili jurasse, & saltem promissionem valere, etiamsi irritum esset pactum, ob acceptationis defectum.

DLXVI. Ex hisce intelligitur, cur, etsi pactum metu injusto extortum sit irritum, tamen violari nequeat jusjurandum illi adjectum, dummodo promissio tam physice, quam moraliter teneri possit. *Cf.* Wolf. J. N. T. III. §. 958.

DLXVII. Et ideo non obstat, quod ajunt nonnulli, eum, qui jurat, sibi manum amputaturum, non obligari, ergo neque eum, qui jurat se daturum centum; possunt enim centum promitti etiam sine juramento, non vero manus abscissio. *Vid. Cic. Off. III.* 31.

DLXVIII. Jusjurandum ejus, qui se verum dicere jurat, dum sciens falsum dicit, est *Pejeratio*, violatio vero juramenti rite præstiti *Perjurium* dicitur. Est ergo pejeratio mendacium juratum, & perjurium perfidia jurata; utraque actio divinis perfectionibus contraria est, & blasphemiæ species. *Vid. Cic. Off. III.* 29.

DLXIX. Sunt & alii modi firmandi conventiones; veluti *Oppignoratio* & *Fidejussio*. Illa est actus, quo creditori *jus in re* constitui-

tur, ut debito principali non ſoluto, ex eadem in ſubſidium ipſi ſatisfiat.

DLXX. Res ita obligata *Pignus*, jus vero creditori adquiſitum *Jus Pignoris* nominatur; pignus, quod traditur creditori, eſt pignus in ſpecie, quod vero manet penes debitorem, eſt *hypotheca*.

DLXXI. Ex his pronum eſt intelligere has concluſiones. I. Ex natura pignoris non licet creditori uti frui re oppignorata, id tamen poteſt ei concedi per pactum adjectum, quod dicitur pactum *Antichreſeos*. II. Tenetur debitor intra definitum tempus pignus luere, id eſt, debitum ſolvere, ob quod pignus conſtitutum eſt.

DLXXII. III. Debito non ſoluto jus habet creditor efficiendi, ut ſibi ex re obligata ſatisfiat, adeoque eam diſtrahendi, vel tanquam ſuam ſibi habendi; non tamen rei pretium, quod debitum excedit, ſeu *Hyperocham* retinere poteſt. IV. Pignore caſu pereunte debitor ab obligatione principali non liberatur. Ceterum datur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris.

DLXXIII. Contractus, quo quis promittit ſe præſtiturum, quod alius debet, niſi ipſe præſtet, eſt *fidejuſſio*. Itaque I. adſunt tunc duo debitores, principalis & acceſſorius. II. Poſterior tantum ſub conditione ſe obligavit, igitur conveniri nequit, niſi excuſſo principali; hinc habet fidejuſſor ex fidejuſſio-

ſionis natura *beneficium ordinis.* III. Si debitum principale ſit irritum, irrita eſt etiam fidejuſſio; quæ porro ſtatim ceſſat, quando principalis præſtitit, quod debebat.

DLXXIV. Actus, quo quis de re ſecurus redditur, *cautio* vocatur; alia igitur eſt nude promiſſoria, alia juratoria, alia pignoratitia, alia fidejuſſoria, ſeu *ſatisdatio.* Continet autem omnis cautio conditionem obligationis primariæ, neque ſola, qua talis, ſubſiſtere poteſt. Ceterum hæc cavendi neceſſitas eſt quoddam humanæ perfidiæ teſtimonium.

CAPUT XXI.

De modis, quibus obligationes & contractus ceſſant.

DLXXV. Tollitur obligatio, ſi, qui alteri obligatus erat ad aliquid dandum vel faciendum, obligatus eſſe deſinit, ſublatio autem obligationis *liberatio* nominatur.

DLXXVI. Præſtare id, quod debetur, eſt *ſolvere.* Solutione facta creditoris jus ceſſat, ergo etiam obligatio debitoris eſt extincta. Aſt ſolutio non eſt, niſi *totum, loco, tempore, modoque debito* præſtetur; *dari* ergo *in ſolutum,* ſeu aliud pro alio ſolvi, nequit creditori invito, niſi præciſa ac vera ſolutio ſit impoſſibilis,

bilis, & tamen obligatio ad tantundem præstandum ſubſiſtat.

DLXXVII. Is compenſat, qui debitum ſoluturus, id in ſolutum imputat creditori, quod hic ipſi debet. Quum aliud pro alio invito ſolvi nequeat, ea tantum compenſari poterunt, quæ ſunt omnino æquivalentia, nimirum genus cum genere eodem; tunc enim, qui compenſat, *brevi manu ſolvit*, & ab obligatione liberatur. Contra, debitum liquidum, in quo certo conſtat *quid*, *quantum* & *quale* debeatur, cum illiquido, facta cum factis, vel genus unum cum genere diverſo, aut cum ſpecie compenſare non licebit, niſi & alter conſenſerit.

DLXXVIII. Quemadmodum in mora eſt debitor, ſi a die vel ab homine interpellatus non ſolvat, & hinc ad reſarciendum damnum datum tenetur, ita creditor eſt in mora, ſi ſolutionem oblatam ſine cauſa non admittat; damnum porro ortum ex omiſſa rei adprehenſione ſoli creditori imputandum eſt, & eatenus debitor *debiti oblatione obligatus eſſe deſinit*.

DLXXIX. *Re in ſpecie debita pereunte* perit jus in illa conſtitutnm, & impoſſibilis eſt ejus præſtatio, ergo etiam obligatio illam præſtandi ceſſat. Quod ſi factum alterius injuſtum ſit interitus cauſſa, ſuccedet jus petendi reparationem; ſi vero res pereat caſu, ei

plene

plene perit, qui rei eſt dominus, aut jus aliud in eadem adquiſivit.

DLXXX. Nemo plus juris in alterum transfert, quam ſe transferre velle declaravit; igitur, qui ad tempus vel pro certo ſtatu, aut ſub conditione ſe obligat, ſi tempus labitur, ſtatus mutatur, vel conditio deficit, ab obligatione eſt immunis.

DLXXXI. Et quia in pactis reciprocis *capita præſtandorum priora poſterioribus inſunt per modum conditionis*, quaſi ita dictum foret: *præſtabo, ſi & tu præſtiteris*, patet, cur ob alterius perfidiam obligatio partis innocentis rumpatur. *Grot. III.* c. 19. §. 14.

DLXXXII. Jus, quod quis ex pacto habet, in alterum poteſt transferre, & etiam in ipſum debitorem. Hæc translatio ſi fiat ab uno gratis, dicitur debiti *remiſſio, acceptilatio, pactum de non petendo*; ſi autem remiſſio ſit reciproca in pacto bilaterali, vocatur *mutuus diſſenſus.* Itaque tam remiſſio, quam mutuus diſſenſus re adhuc integra, ſunt pacta liberatoria, jus creditoris tollunt, & obligationem pactitiam extinguunt. *vid. L.* 35. *D. de R. J.*

DLXXXIII. Fac autem pacto jusjurandum acceſſiſſe: quoniam conditiones naturales pactorum etiam juramentis inſunt, ceſſante per remiſſionem vel mutuum diſſenſum obligatione juſtitiæ, obligatio quoque Religionis ceſſabit. Aſt ſi præterea juraſſent paciſcen-

ciſcentes, ſe nunquam diſſolvere pactum velle, tollet quidem remiſſio, vel mutuus diſſenſus vinculum juſtitiæ, aſt vinculum Religionis permanebit.

DLXXXIV. Sicut creditor totum debitum ſimpliciter remittere poteſt, ita eidem licet, illud ſub conditione alterius præſtationis condonare, igitur obligationem *novare*, *adſignationem* ſibi factam acceptare, & ita *delegationem* perficere, aut jus ſuum tertio *cedere*.

DLXXXV. Eſt autem *novatio* pactum, quo prior obligatio in aliam transfunditur manente eodem debitore & creditore, mutata ſcilicet debendi cauſſa vel modo. *Adſignatio* autem eſt actus, quo debitor ſoluturus alium ſubſtituit, qui vice ſua ſolvat nondum creditore conſentiente. Is, qui ſubſtituit, *aſſignans*, qui ſubſtituitur, *aſſignatus* adpellantur.

DLXXXVI. *Delegatio* pactum eſt, quo creditori acceptanti debitor vice ſua alium debitorem expromittentum ſubſtituit. *Expromittere* vero dicitur, qui obligationem alterius principalem in ſe ſuſcipit: quare tres in delegatione debent conſentire, *delegans*, ſeu debitor primus, *delegatus*, ſeu debitor ſubſtitutus, & *delegatarius*, ſeu creditor.

DLXXXVII. *Ceſſio* eſt actus, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero; qua in re conſenſu *cedentis* quidem & ejus, cui ceditur, ſeu *ceſſionarii*, opus eſt, non vero debitoris. Cujus rei cauſſa non eſt, quod cedens

dens mandantis, cessionarius vero mandatarii vice fungantur, sed quia cuilibet de jure suo licet disponere etiam inscio altero atque invito, dummodo nullum inde debitor detrimentum patiatur.

DLXXXVIII. Ex his haud obscurum est α) *novatione* quidem obligationem priorem tolli, ejusque accessorias, veluti fidejussionem & pignora, sed debitorem principalem ex alio debito teneri. β) *Adsignatione nuda* primum debitorem non liberari, bene vero *delegatione*, etiamsi secundus debitor seu delegatus solvendo non sit. γ) Denique per *cessionem* solvi quidem jus prioris creditoris, sed in ejus locum venire cessionarium, & re ipsa obligationem debitoris haud cessare.

DLXXXIX. Secum ipso pacisci, atque adeo ex contractu sibi aliquid debere nemo potest; quare si debiti fiat & crediti *confusio*, cum scilicet vel debitor in personam creditoris, vel creditor in personam debitoris succedit, necesse est obligationem perimi.

DXC. Est etiam vulgare adagium: *mors omnia solvit*; mortui enim nec obligationis, nec juris sunt capaces. Attamen non indistinctim creditores mortuo debitore jure suo cadunt; si enim jus est hujusmodi, quod in rebus a defuncto relictis æque potest exerceri, tunc obligatio ad earum possessores transmittitur; & ideo emtio venditio, locatio

con-

conductio, & quæ ejusdem generis ſunt conventiones, etiam ad hos pertinent.

DXCI. Aſt ſi jus erat in ſola perſona radicatum, cujus nimirum ſpecialis induſtria & conditio fuerat electa, eatenus verum eſt, morte paciſcentis hujusmodi obligationes atque jura exſpirare. Quam ob rem contractus *ſocietatis* vel *mandati* mortuo alterutro contrahente plene finiuntur.

CAPUT XXII.

De Legum ac Pactorum interpretatione.

DXCII. Aliquid interpretari, eſt verum ejus ſcopum declarare. Scopus vel ad operationem quamdam pertinet, vel ad cogitationum ſigna. Itaque interpretatio vel *rerum* eſt, vel *verborum*.

DXCIII. Equidem ars interpretandi in Logica & Critica propriam ſedem habet: quum vero magnus etiam ejus uſus ſit in jurisprudentia, hinc eſt, ut generales interpretationis regulæ in illis diſciplinis traditæ, in hac noſtra magis determinari, & variis ſpeciebus adplicari ſoleant.

DXCIV. Neque enim audiendi ſunt, qui in jure naturæ interpretationi locum eſſe negant, quod leges naturales ſint evidentes, mentibus noſtris inſitæ, non voce, vel ſcriptura prolatæ; proin veniant eæ a Legislatore

ſa-

ſapientiſſimo, qui obſcure locutus non ſit, & ideo ſuperflua illarum interpretatio eſſe videatur.

DXCV. Etſi enim leges naturæ primariæ evidentes ſunt, tamen multæ, quæ ſunt remotiores, ſine ratiocinio & interpretatione evolvi nequeunt. Verbis quidem illæ promulgatæ non ſunt; aſt inde non ſequitur, ut inutilis ſit interpretatio rerum, ſeu ſcopi eſſentialis, ad quem nos ducunt connati nobis ſtimuli. Porro pacta voce aliisve ſignis proferuntur, quorum vis etiam declaratione indiget. Denique obſcuritas ſi non eſt ex parte Legislatoris, eſt tamen ex parte noſtri intellectus, quæ dilucidanda.

DXCVI. Si verba fixam ſemper haberent poteſtatem, & loquentes nunquam non ſatis mentem ſuam exprimerent, opus haud foret verborum interpretatione; aſt contrarium obtinet, & ideo interpretatio neceſſaria eſt.

DXCVII. Qua in re prima illa tenenda eſt regula: interpretatio neque ex mente loquentis, neque ex mente audientis tantum fieri poteſt, ne quemcunque ſenſum ſibi adfingendo, vel promittens promiſſionem eludat, vel acceptans plus juris prætendat, quam alter transferre voluit. Sed quilibet eam tenetur admittere vocum ſignificationem, quam recta interpretatio ſuggerit. *v. Cic. Off. I.* 13.

DXCVIII. Quisque autem præſumitur verba in ſenſu famoſo & populari accepiſſe, ad

N id

id enim obligatur; igitur in iis interpretandis non licet recedere a communi loquendi uſu ejus temporis, quo adhibita ſunt, niſi adſint rationes urgentes in contrarium, ſeu conjectura, quæ ducat alio. *v. L. 7. D. de ſup. leg.*

DXCIX. Ex hiſce patent hæ concluſiones: α) antiquis legibus & pactis non ea tribuenda ſignificatio eſt, quam hodie verba habent, ſed quam habebant olim; β) nec quæ recentius prolata ſunt, ex primitiva ſignificatione, ſeu etymologia explicari queunt. Secus voces *tyrannus*, *fur*, *hoſtis*, *ſophiſta*, regem, ſervum, peregrinum, ſapientem hodie, uti olim, deſignarent, contra mentem loquentis & communem uſum.

DC. Eadem de cauſſa termini artium technici accipi debent in ſignificatu apud artis peritos recepto, hic enim popularis eſt & famoſus; ſi modo artis peritus ſit, qui illis utitur, cujus rei exemplo voces *Exercitus*, *Majeſtas*, *Canadia* eſſe poſſunt. Semper vero erronea eſſet interpretatio, quæ cum reſtrictione mentali fieri vellet.

DCI. Sæpe tamen multiplex eſt ſenſus famoſus, ſive unius vocabuli, v. g. *Gallus*, *Jus*, ſive integræ conſtructionis, v. g. *Lego Cajo mille*, quum duo ſint Caji, & mille vel aurei, vel floreni, vel libræ ſubaudiri poſſint. Tunc autem ſpectanda eſt conjectura perſonæ loquentis, loci, temporis, modi, cauſſæ, & finis,

nis, juxta verſiculum: *Quis, quid, ubi, quibus auxilius, cur, quomodo, quando.*

DCII. Speciatim vero I. *Subſtrata materia*, II. *Effectus*, & III. *Conjuncta* conſiderari debent. Eſt vero ſubſtrata materia objectum, de quo ſermo fit; ad illud igitur verba ſunt attemperanda, quoniam præſumuntur objecto conſentanea eſſe, quæcunque de illo dicuntur; nec de re cogitanti alia ſuccurriſſe videntur vocabula, quam quæ rei denotandæ deſtinata ſunt, & quæ cum ea naturalem connexionem habent. *v. L. 90. de V. Obl. L. 7. de R. J.*

DCIII. Porro verba accipienda, ut aliquem habeant effectum, & ne temerarium quid, aut abſurdum, hoc eſt, phyſice vel moraliter impoſſibile ſequatur; quia nemini in dubio tribuere licet, quod a ratione alienum eſt. *v. L. 19. D. L. L.*

DCIV. Nec minus verborum poteſtatem declarant *conjuncta* vel *origine*, & *loco*, id eſt, quæ ſunt ab eodem auctore, & in eodem libro, vel *origine* tantum, ſive *loca parallela.* Quum enim nemo cenſeatur ſibimet ipſi repugnare, & tamdiu quisque idem velle præſumendus ſit, quamdiu non conſtat voluntatem immutaſſe, ſequitur, ut interpretatio ita ſemper fieri debeat, ut verba obſcura per alia clara exponantur, & ut antecedentia & conſequentia inter ſe cohæreant. *v. L. 24. D. de L. L.*

DCV. Ad conjuncta loci potissimum pertinet ratio & finis propositionis, sive lex ea sit, sive pactum. Est autem ratio *caussa, respectus, ac finis, qui ad propositionem illam proponendam auctorem movit.* Ubi illa obtinet regula: *Eam sequi oportet interpretationem, quæ rationi non repugnat.*

DCVI. Posita enim ratione, & id ponitur, propter quod aliquid potius est, quam non est, sed per rationem voluntas determinatur, itaque cognita ratione etiam voluntas patescit, & contra cessante ratione unica & finali voluntatis, hanc quoque cessare necesse est.

DCVII. Ceterum legis naturalis ratio ex hominis natura ac fine, ratio vero legis positivæ ex historiis potissimum discenda est. His luminibus igitur, qui carent, eos cæcos esse interpretes oportet.

DCVIII. Tenemus modo triplicem interpretationis speciem; vel enim loquimur, quæ sentimus, & tunc verba per interpretationem *declarativam* in sensu vulgari accipi debent.

DCIX. Vel minus loquimur, quam sentimus, ut ratio latius pateat, quam verba, & tunc adhibetur interpretatio *extensiva.* Unde, qui ob inopiam vetat exportari frumentum, farinam quoque subaudire intelligitur.

DCX. Vel plus loquimur, quam sentimus, ut verba latius pateant, quam ratio, & eo casu fit interpretatio *restrictiva.* Hinc lex:

Ne-

Nemo in via ſanguinem fundat ſub pœna capitis, non comprehendit chyrurgum, qui ægrotantis venam ſecat.

DCXI. In fraudem legis vel pacti agere is dicitur, qui ſalvis verbis legis vel pactionis ſententiam circumvenit; igitur illam ſemper eligere debemus interpretationem vel extenſivam, vel reſtrictivam, per quam nulla fiat legi fraus. *vid. L. 29. D. de L. L.*

DCXII. Solet & illa dari regula: *Odia eſſe reſtringenda, favores ampliandos*; ſed quum odioſum & favorabile quid ſit, haud definiant, & idem odioſum & favorabile eſſe poſſit ſub diverſo reſpectu, ideo inutilis eſt hæc regula, præſertim quod ſæpe pœnas extendere, præmia autem reſtringere oportet ex legis ratione, vel ceteris conjecturis. Itaque æquitas ſemper præ oculis habeatur, & id, quod diceret, qui eſt locutus, ſi præſens eſſet, vel cognita ei fuiſſent, quæ nunc palam ſunt. *v. L.* 10. 11. 24. *D. de reb. dub. L.* 17. *D. de ſup. leg.*

CAPUT XXIII.

De remediis, quibus jus ſuum perſequi liceat in ſtatu naturali.

DCXIII. Examinavimus hucusque regulas, quibus humanæ actiones attemperandæ ſunt, & quarum cuſtodia ſummam, quæ in hac vita haberi poteſt, mortalium felicitatem

efficeret; docet tamen experientia non paucos vel ignorantia, vel etiam dolo ab iisdem deflectere, & cum obligationes erga Deum, & se ipsum, tum etiam aliorum jura violare: agendum est itaque de novis mediis, quibus harum legum transgressores in officio contineantur.

DCXIV. Internus Dei cultus in animo & corde est; quum ergo homines corda scrutari nequeant, nec intellectus physicam coactionem patiatur, in promptu est, ad hunc cultum neminem externa violentia cogi posse, neque aliud dari medium, quam inscios & errantes verbo ac doctrina erudire.

DCXV. Sed nec homini hominem sibi æqualem ad actiones externi cultus naturaliter compellere licebit. Ritus enim ac ceremoniæ in statu naturæ & præscindendo a revelatione, signa sunt libere instituta, & quæ porro a cujuslibet arbitrio pendent. Quid, quod si alter alterum vi cogere posset, ut ideas, quas ipse de Deo habet, amplectatur, nemo esset, cui nón omni momento ab insana aliorum superstitione turbæ & violentiæ imminerent? *cf. Covarruvias ad cap. peccatum P. II.* §. 10.

DCXVI. Nec salva maneret æqualitas naturalis, & independentia ab alieno arbitrio, si quis alterum ad officia sibi ipsi tantum debita, vel officia erga alios affirmativa, & quæ in augendis aliorum perfectionibus consistunt,

vi

vi externa compellere poſſet. Nihil ergo ſupereſt, quam ut tunc ad perſuaſiones, conſilia, preces, aliasque coactiones internas recurramus.

DCXVII. Contra fac alterum turbare mea æqualitatis & independentiæ jura, ita ut læſio animi, corporis, vitæ, membrorum, ceterarumve rerum mearum vel jamjam immineat, vel actu inferatur, vel plane ſit ſecuta; fac porro hæc mala non aliter averti poſſe, quam ſi læſionem intentans aliis a me malis phyſicis adficiatur, aderit tum colliſio officiorum erga ſe ipſum, & erga alios. Quamobrem *in pari cauſſa* ſic fieri debebit exceptio, ut officia erga me ipſum officiis erga alios præferantur.

DCXVIII. Tunc igitur tot alteri mala inferre licebit, quot erunt neceſſaria ad finem propriæ conſervationis obtinendum, ea ſcilicet omnia, quæ durans ſtatus colliſionis exigit, donec pro læſione præſente *depulſio*, pro præterita *reparatio*, vel *ſatisfactio*, pro futura *ſecuritas* ſufficiens obtineatur.

DCXIX. Quoniam facultas vi alterum cogendi ex ſtatu colliſionis oritur, nec ad alia media jus competit, quam quæ neceſſaria ſunt ad læſionem avertendam; conſequens eſt, ut media duriora adhibere non liceat, quamdiu leniora ſufficiunt. Si quis enim ſtatim durioribus utatur, media impendit non neceſſaria, & ad quæ non habet jus, media

porro injuſta: atque adeo læſus fit lædens, quamprimum excedit defenſionis modum.

DCXX. Quamdiu igitur ſpes eſt fore, ut alter verbis, aut innoxiis factis a læſione futura abſterreatur, aut ad læſionem forte ex errore & ignorantia illatam reparandam diſponi poſſit, tamdiu manum conſerere eſſet injuſtum. Quod ipſum dicendum eſt, ſi is, cujus nudæ declarationi de non lædendo, aut læſione reſarcienda fidem præſtare ſatis tutum non eſt, paratus ſit dare alias cautiones, velut fidejuſſores idoneos, aut pignora.

DCXXI. Ex hiſce principiis porro fluit, ut ſi duo vel plures de jure eodem ſibi competente mutuo contradicant, ſeu *litigent*, rem *litigioſam* ſtatim adſerere, qui eam prætendit, non poſſit, ſi etiam adverſarius, qui *proteſtatur*, a vi abſtineat. Verum, quia bona fides alterius, & jus putativum facit, ne teneatur jure ſuo cedere, niſi eidem de juſtitia prætenſionis conſtet; id inprimis agendum, ut prætenſio, cujus fundamentum alter juſte ignorare poteſt, eidem certa reddatur, hoc eſt, *probetur. cf. Terent. Eunuch. IV. 7. 19.*

DCXXII. Quæ aliunde ſunt manifeſta, probatione non indigent. Jura connata, veluti naturalis æqualitatis, libertatis, bonæ exiſtimationis, juſtæ ignorantiæ, ex ipſa natura hominis intelliguntur; qui ergo in illis ſe ſe fundat, ea probare non tenetur, ſed pro eodem

dem ſtat præſumptio, donec alter oſtenderit contrarium.

DCXXIII. Verſatur porro omnis probatio circa jura & obligationes adquiſitas, adeoque circa *factum*, & quidem primo, an illud factum exiſtat? dein an factum ſit juſtum? de quo id tenendum, ut qui factum alienum obligatorium, vel 1) licitum, vel 2) illicitum, aut 3) factum proprium, quo jus adquiſivit, allegat, ei probatio incumbat; ſiquidem adverſarius nititur juribus connatis, ſcilicet in prima ſpecie libertate naturali, in ſecunda bona exiſtimatione, & in tertia juſta ignorantia.

DCXXIV. Aſt qui, quod fecit, ſe juſte feciſſe adfirmat, ob eandem cauſam ſcilicet ob jura connata bonæ exiſtimationis & legitimæ ignorantiæ, neceſſitate probandi liberatur, atque ideo inter cetera poſſeſſionis jura & illud eſt, ut ea onus probandi in alterum rejiciat. *cf. L. 2. D. de Prob.*

DCXXV. Fit autem probatio facti, vel *artificialis* ex ipſa negotii natura, inſpectione oculari, aliave experientia, vel *inartificialis* per *jusjurandum*, *per inſtrumenta*, ſeu ſcripturas, in quibus facta referuntur, & per *teſtes*, qui ſunt perſonæ, quarum teſtimonio ad fidem facti faciendam utimur.

DCXXVI. Et quia unus teſtis, ſi aſtutus eſt, contradictionis & falſitatis convinci non poteſt, dein logice falſum eſſe poſſet, quod,

moraliter verum eſt, ad probationem vero facti veritas logica requiritur: inde eſt, quod unus teſtis, etſi fide dignus & oculatus, ſufficienter factum, ejusque circumſtantias diverſiſſimas non probet, ſed ad minimum duo vel tres teſtes adhibendi ſint, qui *poſſint & velint* verum dicere, adeoque nullum ex teſtimonio lucrum expectent. *Vid. L.* 1. *§. I. C. de Teſtib.*

DCXXVII. *Lis decidi* dicitur, ſi applicato facto ad jus oſtendatur, a cujus parte ſtet veritas. Itaque ſecuta ſufficiente probatione, qui de alterius jure dubitat, vel illud ignorabat, de eo certus fit; litem ergo continuare nequit, ſed debet jus adverſarii agnoſcere, & a prætenſione ceſſare. Quare probato eo, quod erat controverſum, lis naturaliter eſt deciſa.

DCXXVIII. Ubi ſufficientes probationes deficiunt, id quidem pro certo haberi debet, quod ex jure cujusvis connato antea collegimus, ut in dubio melior ſit conditio poſſeſſoris.* Sæpe tamen eæ obveniunt circumſtantiæ, ut lis neque ex generalibus his principiis decidi poſſit; veluti ſi ex duobus geminis non conſtet, quinam primo natus ſit, aut ſi fundus Titio relinquatur, ſed ignoretur cui? quum duo ſunt Titii. Tunc vero uni ab altero *ſuum jus quantumvis dubium invito auferri non poteſt.*

DCXXIX. Etſi enim neuter litigantium jus certum habeat proprium ſequendi judicium,

* *Cf. Grot. II. XXIII.* 11.

cium, neutri tamen obligatio incumbit, alterius judicio ſe ſubjiciendi; ac porro nec uni, nec alteri rem litigioſam totam licebit vi extorquere tam propter jus æqualitatis, quam quia coactioni locum non facit natura, ſed alterius injuria & læſio, quæ hic ex utraque parte eſt incerta.

DCXXX. Itaque ubi dubium durat, *colloquia* habere, inſtituere *tractatus*, ſeu deliberationes de pacto ineundo, pacis procuratores & *arbitratores*, hoc eſt, perſonas, quæ ad litem ſopiendam operam ſuam & conſilia ſine partium ſtudio conferant, adhibere, hinc litem *decidi* neſciam mutua conventione finire, ſive componere oportet.

DCXXXI. Fit autem litis compoſitio vel *gratuita*, quum jus controverſum uni ab altero ceditur gratis, & dicitur *compoſitio amicabilis* in ſpecie, vel *oneroſa*, quando dato aliquo vel retento, vel promiſſo a prætenſione diſceditur, & hæc conventio vocatur *Transactio*. Quoniam pacta ſervanda ſunt, in aperto eſt, poſt amicabilem litis compoſitionem, vel transactionem, teneri utramque partem adquieſcere, & litem terminari.

DCXXXII. Si neque hiſce modis conveniant litigantes, *facere poterunt compromiſſum*; hoc eſt, pactum de ſtando pronuntiationi certæ perſonæ, ſeu *arbitri*, qui ſi conſentiat & *recipiat arbitrium*, ejus erit officium, cauſſam rite cognoſcere, probationes examinare, & ſine

ſine reſpectu perſonarum pro rei veritate pronuntiare ſententiam, ſive *Laudum*; illudque implere ambo litigantes vi pacti perfecte tenebuntr.

DCXXXIII. Denique ſi & hoc diſpliceat remedium partibus, ad contractum aleatorium, hoc eſt, ſortem deciſoriam recurrere licebit. *Cf. Prov. XVIII. v.* 18.

DCXXXIV. Quoniam remediis violentis ad avertendam læſionem tunc tantum jure utimur, quando modi placidi ſunt fruſtranei, conſequens eſt, ut ſi nec amicabilis compoſitio, nec transactio voluntaria, nec arbitrium, nec ſors locum habeat, jus violentæ defenſionis contra lædentem in uſum deduci, ipſaque adeo transactio in re dubia, qua tali, vi extorqueri poſſit. Ac porro non quævis læſio, ſed ea, quæ aliter averti nequit, ſive *aliter indeclinabilis*, juſtifica eſt coactionis phyſicæ cauſa. *Cic. Off. l.* 11.

DCXXXV. Animus declaratus alteri vim inferendi eſt *Hoſtilitas*, & qui talem animum habet, *Hoſtis* dicitur. Igitur uti belli, ita hoſtilitatis jure ii tantum gaudent, qui patiuntur læſionem, non qui illam intentant.

DCXXXVI. Quare bellum ex utraque parte juſtum reipſa repugnat. Sed fieri tamen poteſt, ut ultro citroque injuſtum ſit, veluti ſi in re dubia neuter æquas compoſitionis conditiones admittere velit. Si enim unus ad tranſigendum paratus ſit, idque fa-

cere

cere alter recuſet, tunc poſterior tantum eſt lædens, & bellum gerit injuſtum.

DCXXXVII. Qui primos actus hoſtilitatis exercet, ſeu *adgreſſor*, bellum *offenſivum*, qui iis reſiſtit, bellum *defenſivum* gerere dicuntur; datur itaque jus tam ad bellum offenſivum, ſi læſio ab altero ſit illata, vel certo immineat, quam ad defenſivum, ſi læſio & violentia actu inferatur.

DCXXXVIII. Sunt, qui per bellum *defenſivum* intelligunt, quod geritur a læſo, etſi primos exerceat actus hoſtilitatis, & per *offenſivum*, quod ſuſcipitur a lædente, & eo ſenſu omne bellum defenſivum eſſet juſtum, omne offenſivum injuſtum. Sed poſteriores hæ acceptiones repugnant communi loquendi uſui.

DCXXXIX. Quatenus tamen primi actus hoſtilitatis ſupponunt læſionem, quæ non præſumitur, ſed probanda eſt, eatenus omne bellum offenſivum, ſive ejus, qui primus hoſtiliter agit, præſumitur injuſtum, & contraria ratione omne bellum defenſivum, ſeu ejus, qui reſiſtit, præſumitur juſtum.

DCXL. Juſtus hoſtis omnem neceſſariam vim contra lædentem jure exercet; quanta vero vis requiratur, id non niſi ex obviis circumſtantiis definiri poteſt; nunc enim gravior læſio remedio leniori, nunc læſio minor remedio duriori tantum declinatur. Igitur etiam jus belli & hoſtilitatis ad jura indefinita pertinent.

DCXLI.

DCXLI. Datur proin jus ad *qualemcunque violentiam*, ſive in perſonam lædentis, ſive in ejus res & jura, quæ porro invadere & auferre, ſuaque facere *bellica occupatione* licet, ſi nimirum juſti belli ſcopus, id eſt, mali præteriti ſatisfactio, mali præſentis depulſio, a malo futuro ſecuritas, aliter nequeat obtineri, atque in hac poſtrema ſpecie etiam *Jus puniendi* cum jure belli conjunctum eſt. *cf. D. Auguſt. Cauſ. XXIII. Q.* 2. c. 2.

DCXLII. Qui hoſce limites excedit, ex bello juſto ad bellum injuſtum quidem tranſit; attamen, quum arduum ſit in hypotheſi hos terminos definire, *quantitas & qualitas violentiæ pro fine conſequendo neceſſariæ in foro externo judicio læſi relinquitur.* Siquidem ratione facti *difficile eſt, quod vere juſtum eſt, ab eo, quod tale videtur, diſcernere. Androm. Rhod. Paraphr. L.* 1. *c.* 3. *p.* 10.

DCXLIII. Quoniam qui ex alterius infelicitate voluptatem capit, is eum odit, & eſt ei *inimicus*, juſtus hoſtis autem non lædentis malum, ſed declinationem læſionis intendere debet, patet, prohibitum eſſe odium ejus, qui læſit, prohibitam *vindictam*, quo nomine veniunt actus, quibus male alicui ideo tantum facimus, quia male nobis fecit.

DCXLIV. Quod enim malum alteri inferre liceat, eſt exceptio a lege propter colliſionem officiorum, quæ colliſio locum habere nequit cum actionibus animi internis, ſi-

qui-

quidem actus hostilitatis tantum externi sunt, & salvo amore hostium possunt exerceri. Quare sapienter dicebant Sogdiani Alexandro, *nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos, hostes fuisse. Curt. VII. c. X.*

DCXV. Ex hisce principiis quævis species obvenientes declarandæ sunt. Ita quisque jus habet *inculpatæ tutelæ*, hoc est, defendendi vitam, corpus, membra, pudicitiam etiam cum nece adgressoris, quando inutile foret mitius remedium; ad id enim nos ducunt cum innati naturæ stimuli, tum rectæ rationis dictamen, quod nos docet, posita collisione impossibilem esse præcepti de conservando proximo custodiam. *v. Cic. pro Mil. IV.*

DCXLVI. Nec refert, adgressorem dementem vel furiosum esse, & a culpa immunem; jus enim se defendendi non ex alterius malitia, sed ex obligatione & jure se conservandi derivatur. Ast si quis fuga sibi plene posset consulere, tunc nulla adest collisio, neque jus ad adgressoris necem; fuga igitur arripienda est, quæ non est turpior, quam si quis rabidum canem, aut belluam evitaret.

DCXLVII. Si tales obveniant circumstantiæ, in quibus vel æquale, vel majus bonum esset a defensione abstinere, tunc non est præcepta, sed jam *permissa*, jamque *prohibita* sui defensio, nisi quod summa *perturbatio* aliquam sæpe excusationem præbeat. Ast si levis tantum sit injuria, veluti alapa, ea me-

diis

diis lenioribus arceri poteſt; injuſta ergo eſſet adgreſſoris occiſio, niſi vim majorem adferat. *cf. Grot. L. II. c. I. §. 1. ſeqq.*

DCXLVIII. Occiſio calumniatoris ad famam defendendam medium aptum non eſt, quia judicium aliorum de perfectione, vel imperfectione noſtra propterea in melius non mutatur, ſed potius in deterius; jus igitur ad occidendum calumniatorem nemini competit, ſed aliis mediis famam oportet tueri, & quidem vel *factis*, ſi quis ita ſe gerat, ut oſtendat falſa dixiſſe maledicum, vel *verbis*, ſi hujus fidem labefactet, & mendacii arguat. Omnis autem injuriæ *Retorſio*, cum maledicta maledictis rependuntur, vindictam ſapit, adeoque legi naturali repugnat. *v. Grot. L. II. c. I. §. 10. n. 3.*

DCXLIX. An res & jura etiam armis & internecione adgreſſoris tueri liceat, a quibusdam dubitatum, quod 1) nulla proportio ſit inter res unius, & vitam alterius, dein 2) res noſtras alterius vitæ ſervandæ cauſſa ultro dare obligemur. Enimvero qui res aufert, is & media adimit, quibus vita toleretur, quorum ſi injuſta eſſet defenſio, tunc juſta foret ablatio. Neque opus eſt, ut proportio inter damnum & malum læſo intentandum ſervetur, ſed inter damnum, & medium neceſſarium pro defenſione; quæ ſi pro rebus minoribus eſſet vetita, audaciores quotidie fierent fures.

DCL.

DCL. Quamvis mediorum uſus a cujusvis judicio pendeat in foro externo, caritati tamen & æquitati naturali repugnaret, ſi, deficiente licet omni alio medio, quis ob rem, qua carere poſſet, quamque ad ſalvandos alios ipſe vi beneficentiæ gratis dare teneretur, occideret fugientem furem. Quare defenſio externe juſta, non ſtatim etiam interne juſta dici poteſt. *Matth. V. v. Grot. I. c. II.* §. 13.

DCLI. Quia jus præveniendi eſt facultas moralis injuriam quamcunque imminentem vi repellendi, hoc etiam competit, ſi vita, corpus, aut res noſtræ in præſens & certum diſcrimen deducantur; ſi enim malum tantum metuamus, aut *ſuſpicemur*, id eſt, confuſè ex levibus & dubiis argumentis nobis repræſentemus, tunc cum malum, tum jus noſtrum defenſionis incertum eſt; nulla igitur adeſt juſta ſatisque idonea belli cauſa. *cf. Xenoph. de Exp. Cyr. L. II. c.* 5.

DCLII. Si vires læſi juri perſequendo impares ſint, poterit illas cum aliorum viribus conjungere, hoc eſt, de *auxilio bellico* ſibi proſpicere, & quia quisque alios adjuvare imperfecte ſaltem obligatur, cuique etiam jus eſt præſtandi auxilia, antequam illa ſpeciali pacto promittantur. Neque enim quisquam id poſſet promittere, cujus præſtandi facultatem moralem antecedenter non haberet, adeoque per pactum ſolummodo jus permiſſivum in jus ſtricte tale commutatur.

DCLIII. An autem quis alteri promittere auxilia possit, id cujusque judicio relinquendum est, & ideo quilibet homo naturaliter jus habet sequendi *neutras partes*. Ceterum, qui injusti hostis est auxiliator, is ejus vires in lædendo auget, fit lædens, atque hostis, hinc poterit is quoque hostili jure censeri.

DCLIV. Facultas physica a facultate morali est prorsus distincta: evenit porro sæpe, ut in pugnando majore facultate physica polleat, qui caret morali, & vicissim. Proin *Victoria*, sive is *belli exitus*, *quo quantitas physica unius hostis efficit, ut alter resistere amplius nequeat*, *juris argumentum non est*, nec ullum datur *jus victoriæ*, nisi transactio, seu pactum pacis accesserit, quod quum sit servandum, patet, dari etiam *pacta valida*, *quæ vi & metu sunt extorta*.

DCLV. Pugna inter duos determinata, qui conveniunt certo loco, tempore, & modo se dimicare velle, ut per victoriam lis dirimatur, *Duellum* dicitur. Est itaque duellum cum proximo vitæ & membrorum periculo tam lædentis, quam læsi copulatum, hinc medium ineptum litis finiendæ; sed si dubia sit caussa, erit ex datis supra principiis utrinque injustum.

DCLVI. Si autem caussa sit certa, injustum tamen erit ex parte ejus, qui læsit, quod novam intentet læsionem, & ex parte ejus, qui fuit læsus, quod moderamen excedat inculpatæ tutelæ, caussam justam & vitam aleæ

com-

committat ſine neceſſitate, atque alia aptiora & tutiora media ex odio hoſtis & vindictæ ſtudio negligat.

DCLVII. Neque obſtat, bella inter homines aliquando licere; ſiquidem jus belli non eſt in eo poſitum, ut incerto prælio juris nobis competentis deciſio committatur, ſed ut *media quæcunque idonea*, tam in res, quam perſonam omni loco, & omni tempore, omnique modo impendantur. Sane ſi quis animo duelli alterum invadit, quum natura quisque ſe tueri poſſit, ubi hic ſe defendit; duellum non eſt. *

DCLVIII. Hæc jure naturali ſatis ſunt perſpicua. Fuere tamen, qui defenſionem violentam legi evangelicæ repugnare opinati ſunt propter loca *Matth. V.* 39. *Ne obſiſtite injurioſo; ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram*; atque *Rom. XII.* 19. *Non vos defendentes cariſſimi*, aliaque ſimilia.

DCLIX. Enimvero Evangelium vult alios a nobis diligi æque, ac nosmetipſos, non autem magis, ipſique Apoſtoli gladio utebantur. ** Nec negotium faciunt objecta loca. Siquidem *D. Matthæus* tam de levi injuria loquitur, quam illa, quæ futura eſſet religionis cauſſa, *D. Pauli* autem verba tantum

O 2 ad

* *Cf. P. Gerdil. Traité des Combats ſinguliers. Turin*, 1760. 8.
** *Cf. Grot. I. c. III. §. 3.*

ad vindictam pertinent; ſunt enim ſic vertenda: *Vos non ulciſcentes*, quemadmodum contextus docet.

CAPUT XXIV.

De ſocietate generatim.

DCLX. Quoniam in ſtatu naturali connato quisque perfectæ ſuæ obligationi ſatisfacit actionibus negativis, ſive abſtinentia ab alterius læſione, evidens eſt, ut durante primæva hac æqualitate, ac libertate, in qua eadem erant omnium jura, ac obligationes, nemo *jus perfectum* habeat in actiones aliorum poſitivas, & quæ in faciendo conſiſtant. Quare ſi nobis competant hujusmodi jura, neceſſe eſt, ea hypothetica eſſe, atque ſuperaddita.

DCLXI. Nihil adquiritur ſine ſufficiente titulo ac modo, ergo nec jus perfectum & affirmativum in perſonas. Modus autem adquirendi originarius ad res, quæ nullius ſunt, pertinet. Ex quo fit, ut homines, qui naturaliter jura habent æqualia, jus in alios homines perfectum & affirmativum non adquirant, niſi modis derivativis, pacto ſcilicet, vel lege, quibus porro & τὸ *unius* in τὸ *alterus* transfertur, & primæva naturalis libertias, ſive independentia, & æqualitas limitatur.

DCLXII.

DCLXII. Quum ſtatus, in quo duo vel plures finem aliquem communem obtinere conantur, *ſocietas* generatim dicatur, inde conſequitur, ut in omni ſocietate opus ſit, α) communi aliquo fine, β) unione quadam voluntatum, quæ ad illum tendant, γ) unione virium, ſive mutuo adjutorio, δ) negotiis ſocialibus, quibus ſocii tanquam mediis ad ſcopum propoſitum utantur.

DCLXIII. Et quia ſocietas particularis & adventitia eſt ſtatus, in quo homo jus perfectum & affirmativum in hominem habet ad communem finem conjunctis viribus obtinendum, jura autem affirmativa in perſonas vel pacto, vel lege adquiruntur, in promptu eſt, cur ſocietas in *pactitiam*, ſive *voluntariam*, & *legalem*, ſeu *neceſſariam* dividatur.

DCLXIV. Uti jura & fines ſociorum ſunt diverſiſſimi, ita & ſocietates in plurimas abeunt formas; ſed quia lex non præcipit, niſi, quod bonum eſt, pacta vero irrita ſunt, ſi facultas paciſcendi moralis deſit, conficitur, ſocietates veri nominis juſtas & licitas eſſe debere, non vero illicitas & injuſtas. *L.* 57. *D. pro ſoc.*

DCLXV. Quæcunque autem ſit ſocietas, ſocii qua tales unam voluntatem habere, & conjunctis viribus ad eundem finem contendere debent, & idcirco quædam obligationes, & quædam jura cujuslibet ſocietatis propria cogitantur. Et jam tenemus cauſſam, cur

omnis ſocietas tanquam una *perſona moralis* reſpiciatur; quæ ratione aliorum, qui de ſocietate non ſunt, jura ſua naturalia libertatis & æqualitatis ſarta tecta retineat.

DCLXVI. *Salus ſocietatis* eſt non impeditus progreſſus ad ejus finem conſequendum, ipſe autem finis quatenus obtinetur, *commune bonum* dicitur; quamobrem quilibet ſocius communi bono ſtudere obligatur ex fine & pacto ſocietatis æſtimando, ita quidem, ut in ſocietate voluntaria, in qua jura & obligationes ſociales pacto extendi vel reſtringi poſſunt, primario pacti, dein finis ſocialis in ſubſidium dumtaxat ſit habenda ratio.

DCLXVII. Inde autem colligimus principium cognoſcendi jura & obligationes ſociales eſſe ſocietatis finem; omnes vero leges ſociales in illa univerſali propoſitione contineri: *Fini ſocietatis convenienter vivas.*

DCLXVIII. Qui jura non competentia ſibi in alium adrogat, vel qui impedit, quo minus homo jura etiam adquiſita exercere poſſit, fit lædens; igitur ſocii duplici ſe lædunt modo, I. ſi unus majora prætendat jura, quam ex fine & pacto ſocietatis fuerunt translata, aut II. ſi alter alterum in exercitio jurium conceſſorum impediat, & ſic ſuæ obligationi haud ſatisfaciat.

DCLXIX. Atque in utraque ſpecie, ſi res in abſtracto ſpectetur, habet læſus jus cogendi lædentem, ut læſio ceſſet, vel etiam diſce-

dendi

dendi a ſocietate; fieri tamen poteſt, ut vi pacti, vel finis ſocietatis alia ratio & modus fuerit determinatus, quo quisque ſocius jura ſua perſequatur, qui porro erit etiam ſervandus.

DCLXX. Libertas ſociorum naturalis quoad eas tantum actiones diminuitur, circa quas vi ſocietatis obligationem contraxerunt, contra vero in iis, in quibus ut ſocii ſpectari nequeunt, ipſis adhuc ſtatus ac libertas naturalis remanſit; quare ſocii in negotiis, in quibus ut ſocii conſiderari non poſſunt, invicem jure utuntur naturali, & bono etiam proprio privato licite invigilant.

DCLXXI. Si contingat officia ſocii erga ſe ipſum cum officiis erga ſocietatem collidi, poſteriora præferre oportebit, quia bonum majus bono minori, & bonum totius bono partis præponderat, eaque eſt naturæ Auctoris voluntas, ut ad id ſemper, quod perfectius eſt, enitamur.

DCLXXII. Et ſane qui in ſocietatem coiverunt, id etiam polliciti ſunt; nam ſic malum certum, quod erat poſitum in inſufficientia ad finem, cum malo incerto atque remoto commutarunt; denique, ſi ſocius bonum proprium bono communi anteferret, obligationem ſocialem perfectam violaret, ac jus belli tribueret ſociis, inde vero majoris adhuc infelicitatis periculum ſubiret.

DCLXXIII. Leges ſociorum eo non pertingunt, ut aliquid contra officia Deo debita præcipere valeant; eo igitur in caſu officia erga ſocios non præirent.

DCLXXIV. Societas, quæ ex aliis ſocietatibus tanquam partibus coaluit, eſt *compoſita*; ſin minus, *ſimplex*; igitur ſicut ſocii ſe habent ad ſuam ſocietatem ſimplicem, ita ſe habent ſocietates ſimplices ad compoſitam, & hinc membra ſocietatis ſimplicis obligata ſunt, 1) ut actiones ſuas ad commune bonum ſocietatis compoſitæ dirigant, 2) ut in colliſione boni ſocietatis ſimplicis cum bono ſocietatis compoſitæ illud tanquam medium huic veluti fini poſtponant.

DCLXXV. Porro ſocietas ſine imperio eſt *æquatoria*, *æqualis*, cum imperio *rectoria*, *inæqualis*; igitur in ſocietate inæquali adeſt dependentia ab alterius arbitrio, ſive *ſubjectio*, nec non *inferior*, ſive ſubditus.

DCLXXVI. Quia in ſocietate æquali non eſt imperium, negotia ſocialia ex natura ſocietatis & ex communi voluntate determinari debent; quam quum in ſingulis negotiis obtinere ſit difficillimum, conſequens eſt, ut ab ortu ſocietatis tam media, quæ ſemper eodem modo ad finem ſocietatis requiruntur, quam validum conſentiendi modum in reliquis negotiis nondum determinatis communi voluntate definire oporteat.

DCLXXVII.

DCLXXVII. Quia vero impoſſibile eſt de omnibus futuris circumſtantiis cogitare, quotiescunque novæ emergunt ſpecies, quæ pro bono ſocietatis decidendæ ſunt, opus eſt, ut id conſenſu omnium ad normam antea ſtatutam ſufficienter declarato perficiatur.

DCLXXVIII. Declaratio voluntatis ſocii facta ſocietati de eo, quod communi conſenſu definiri debet, *votum* dicitur vel *ſuffragium*. Eſtque 1.) vel adfirmativum, vel negativum, 2.) vel categoricum, vel conditionale, 3.) vel expreſſum, vel tacitum, 4.) vel deliberativum, vel deciſivum. Et prout vel omnes ſocii idem volunt, vel vero diſſentiunt, vota quoque ſunt 5) vel unanimia, vel diverſa, hæc autem 6.) majora, minora, paria.

DCLXXIX. Quando ſocii votis inter ſe collatis determinant, quid fieri, vel non fieri debeat, tunc *concludunt*; unde intelligitur, unanimia ſemper concludere, nunquam paria, niſi antea eſſet definitum, ut unius perſonæ votum vincat, aut ut valeat *calculus Minervæ*. Secus rem vel ſorte decidere, vel ſi res moram ferat, novam conſultationem inſtituere licebit.

DCLXXX. In ſocietate una eſt voluntas, quæ quum per plura motiva determinetur, in dubio vota majora concludere debent, ut res inveniat exitum, niſi aliter ab initio placuerit, veluti ut adſint duæ tertiæ. Et quia unusquisque ſuum judicium pro me-

liori & veriori habet, vota non ponderare, ſed numerare neceſſe eſt.

DCLXXXI. Si tres vel plures ſociorum ſint ſententiæ, & curandum ſit, ut negotium finiatur, illa vota plus valere debent, quibus pauciora adverſantur, & quum ſequi non liceat, quod plurimis placet, id erit ſequendum, quod diſplicet paucioribus. Quod ſi rem, in qua fundamentum habet ſocietas, non omnes æqualiter participent, vota erunt æſtimanda in ratione ejus, quod unusquisque participat, tunc enim unus pro pluribus ſociis computatur.

DCLXXXII. Qui votum ferre *non poteſt*, is jus non habet exercendi ſuffragium; & qui *non vult*, ſiquidem præſens ſit, expreſſe ei renuntiat, ſi autem abſens, renuntiat tacite, niſi id alteri committat; igitur jus abſentium præſentibus adcreſcit.

DCLXXXIII. Leges ſociales præſcribunt media in finem communem idonea. Igitur 1.) nulla ſocietas ſine legibus ſtare, & nullius ſalus ſine legum cuſtodia conſervari poteſt. 2.) Singulus quisque ſocius tenetur univerſis legibus ſocietatis parere. 3.) Quicunque recipitur in ſocietatem, ſe hujus legibus ſubmittit, vel expreſſe, vel tacite.

DCLXXXIV. Pactorum valor pendet a contrahentium voluntate; ſi igitur ſocietas ſit mere pactitia, poterit illa vi libertatis naturalis ſociales leges tollere, mutare, aliasque

que ſurrogare, & ita ſinguli quidem ſocii legibus obligantur, non autem univerſi; quare etiam a ſocietate, ſive ad certum tempus, ſive ad dies vitæ inita, communi conſenſu recedere poterunt.

DCLXXXV. Atque hoc de ſocietate æquali. Quæ vero ſocietatis inæqualis jura ſint & obligationes, hisce poſitionibus includimus. I. Imperans habet jus perfectum, determinandi actiones permiſſas ſubditorum, ſive *poteſtatem*, ex fine tamen & pacto dimetiendam.

DCLXXXVI. II. Huic poteſtati porro parendi obligatio correlata eſt, ne ſecus inutile ſit imperium, & ideo ceſſat libertas naturalis quoad actiones, in quas imperanti qua tali jus competit. III. Poteſt igitur imperans ſubditis leges ferre, & media omnia ad finem hunc neceſſaria adhibere, hinc leges ſanctione pœnali munire. Sed, quia tamen harum legum vis ab ejusdem pendet arbitrio, illas etiam mutare & tollere poteſt, atque adeo ipſe ab earum obligatione eſt immunis.

DCLXXXVII. Non autem eidem licet leges alias condere, quam pro bono ſocietatis communi, nec leges conventionales pacto conſtitutas violare. V. Qui ſe ſubjicit ad tempus, is libertatem tantum ſuſpendit, qui vero pro ſemper imperio ſe ſubmittit, libertatem alienat. VI. Quum pacta ſint ſervanda, nec imperans indiſtinctim ſe abdicare

re

re imperio, nec ſubjectus ſe ei ſubtrahere poterit altera parte invita.

DCLXXXVIII. Imperium, quod ſolummodo natura & eſſentia ſocietatis reſtringitur, eſt *abſolutum*, quod vero etiam ab accidentalibus pactis accipit modum, *limitatum*, ſeu *temperatum* vocatur; quod ſi in actiones permiſſas omnes ſubditorum, atque eorum res competat, eſt *deſpoticum*.

DCLXXXIX. Unum deſpoticum imperium ab altero haud differt ſpecie, in eo enim ſubditis nil pro bono privato facere licet; ſed differt limitatum, infinita enim ſunt pactorum genera, quæ translationi imperii adjici poſſunt. Et quia in imperio *temperato* non omni renuntiatur libertati, ſocietas hujusmodi quoad ea, quæ juri imperantis non ſubſunt, ut ſocietas *æqualis* quidem ſpectanda eſt, modum tamen, qui ab initio placuit, jus ſuum perſequendi, ſocietas partialis egredi non poteſt.

DCXC. Nulla cadit obligatio in actiones phyſice vel moraliter impoſſibiles, ergo nec *imperium*, quorſum & actiones mere internæ pertinent, ſi de hominis imperio ſit ſermo. Porro imperium in actiones tantum permiſſas ſe exſerit, nequaquam vero id jus eſt de vita & ſubſtantia ſubditorum diſponendi pro arbitrio, igitur a *dominio* imperium diſtingui debet.

DCXCI. Si ſubditus obligationi non ſatisfacit, imperantem lædit, dat itaque illi jus cogendi & malum cum actione injuſta copulandi, quod *pœna* eſt ſtrictius ſumta. Hæc ad omnes læſiones tam doloſas, quam culpoſas pertinet, non vero ad eas, quæ nequeunt imputari.

DCXCII. Societas eſt perſona moralis, quæ ratione non ſociorum originetenus ſtatu naturali utitur; itaque non modo juribus univerſalibus, veluti conſervationis, æqualitatis, independentiæ, ſed etiam particularibus & adquiſitis gaudet, eaque, ut reliqui homines, mediis proportionatis tueri poteſt.

DCXCIII. Quemadmodum ſocietas pacto, vel lege nititur, ita iisdem modis ceſſat, ſi nimirum deſinat legis & obligationis ratio, aut nexus pactitius diſſolvatur.

CAPUT XXV.

De ſocietate conjugali.

DCXCIV. A jure ſociali generatim ad examen ſpecialium ſocietatum tranſimus, quæ quoniam ſunt innumeræ, hic non niſi de tribus ſimplicibus I. *conjugali*, II. *parentali*, III. *herili*, dein IV. de una, quæ ex his naſcitur, *compoſita*, familiæ ſcilicet, ſeu *domeſtica* pro inſtituto noſtro agemus; ut poſtea civitatis obligationes penitius ſuo tempore intelligi poſſint.

DCXCV. Intendit ſapientiſſimus naturæ Auctor humani generis conſervationem, idque corporis noſtri ſtructura, & inditi naturales ſtimuli ſatis teſtantur; quare ad fines ex rerum eſſentia fluentes, & ad corporis humani perfectionem, in conſenſu operationum cum ejus ſcopo poſitam, ſobolis quoque propagatio pertinet, Igitur & ſobolem procreare obligamur. *v. Senec. Hyp. v.* 478.

DCXCVI. Diſcimus ab experientia, hancce procreationem fieri aliter non poſſe, quam a duabus perſonis diverſi ſexus, eam vero inutilem fore, niſi proles etiam educetur, hoc eſt: quum *ob immaturam ætatem ſe ipſam perficere non-valeat, ad id idonea efficiatur.* Qui ergo ſobolem tenetur procreare, ei etiam educandi, & porro voluntatem & vires in hunc finem cum perſona diverſi ſexus conjungendi officium incumbit.

DCXCVII. Conjunctio perſonarum diverſi ſexus procreandæ & educandæ ſobolis cauſſa inita eſt *matrimonium*; qui ſunt in matrimonio, *conjuges*, & conjux mas *maritus*, conjux femina *uxor* adpellantur.

DCXCVIII. Eſt igitur matrimonium 1) *ſtatus*, jura enim & obligationes peculiares complectitur, 2) in quo *perſonæ in perſonam jus competit adfirmativum*, ad gignendam ſcilicet & educandam prolem, 3.) *& perfectum*, ex pacto nimirum ortum, nec enim jus imper-

fectum

fectum sufficeret, ut *τὸ alterius* in usus nostros convertere liceret; 4.) ad *finem communem consequendum*, qui est speciei conservatio. Nullum porro est dubium, matrimonium esse *societatem*, *eamque licitam honestamque*.

DCXCIX. Quum prima illa naturæ sint medium ad humani generis conservationem ducens, *scortatio*, & omnis *libido vaga*, quæ sensualem voluptatem unice pro fine habet, obligationi naturali & finibus divinæ voluntatis repugnat manifestissimis. Atque inde moralitas *concubinatus*, prout vel matrimonii vel scortationis induit naturam, determinari debet.

DCC. Matrimonium est societas simplicissima & relata ad totum genus humanum simul sumtum *necessaria*; quatenus vero præceptum est adfirmativum, quod requirit occasionem, veluti res ad numerosam aliquando sobolem sustentandam, & sæpe etiam in cœlibatu perfectio hujus universi, & divinæ gloriæ manifestatio nunc æque bene, nunc melius quoque obtineri potest, eatenus pro singulis hominibus necessaria dici nequit. Sed & eo sensu, quo cum certa persona consentiente contrahi debet, pactitia est & *voluntaria*.

DCCI. Uti conjugum jura, ita obligationes sociales, quæ ex ipsa societatis natura & scopo cognoscuntur, sunt eædem; uni porro pro suo arbitrio alterius conjugis actiones

nes determinare non licet. Itaque matrimonium eſt ſocietas æqualis, niſi alterutra pars ſpeciali pacto, ſive expreſſe, ſive tacite, imperium obtineat. Quod enim ajunt, majorem eſſe maris dexteritatem & prudentiam, id fallit ſæpenumero; dein hoc aptitudinem tantum daret imperii, non jus perfectum.

DCCII. Contrahitur matrimonium pacto valido; itaque qui ob mentis defectum, ob ætatem, vel ob corporis impedimentum paciſci, aut procreare ſobolem nequit, ejus nuptiæ irritæ ſunt.

DCCIII. Porro qui errore, aut dolo ſubſtantiali, & in ipſam perſonam cadente ad matrimonium inducitur, aut vi injuſta compellitur, ex pacto ſuo obligatus non eſt; quin potius illi contra metum inferentem, aut fraudatorem, jus læſi in lædentem competit. Attamen convaleſceret conjugium hoc invalidum accedente partis læſæ ratihabitione.

DCCIV. Pactum de matrimonio ineundo ſunt *ſponſalia*; fluit igitur ex doctrina pactorum I. ut ſponſalia promiſſionem efficaciter acceptatam requirant, hinc ex tractatu præparatorio, aut conſenſu ambiguo, aut ſponſalitia largitate non [illegible]cantur; II. ut pure, vel conditionate, expreſſe, vel tacite, per ſe, vel per procuratorem celebrari poſſint.

DCCV.

test. Porro & sanctos viros in antiquo Testamento plures simul feminas duxisse notum est, Deo id plene permittente; quod non accidisset, si polygynæcia juri naturali, quod immutabile est, prorsus repugnaret.

DCCIX. Quia tamen tales plerumque obveniunt circumstantiæ, ut & pax domi, & procreatio liberorum, & educatio difficilior reddatur, immo idem fere marium & feminarum numerus in lucem veniat, eam legi naturali *hypotheticæ* contradicere facile largimur. *v. Matth. XIX. & I. Cor. VII.* 12.

DCCX. Quidquid ad procreationem sobolis necessarium est, & quod maritus & uxor specialiter pacti sunt, id conjugalis officii est mensura. Igitur obligantur conjuges simul cohabitare, rem familiarem & domestica negotia communiter gerere, ab omni commixtione cum persona extranea, seu ab *adulterio* abhorrere.

DCCXI. Tenentur proin matrimonii simul ferre onera, victum, amictum & habitationem, sive *alimenta* liberis conjunctim præstare. Quia vero specialis in hac societate persona eligitur, hæc obligatio est mere personalis, quæ nimirum alii cedi, aut transmitti nullo modo potest.

DCCXII. Præter facultatem physicam in nuptiis etiam facultas moralis attendi debet, quæ an sit inter omnes personas sanguine conjunctas, disputatur. Est autem consan-

gui-

DCCV. III. Ut ſi jam conjugatus promittat ſponſalia, aut alius, qui pacto implendo par non eſt, nullam obligationem producant; IV. ut ſponſalia priora poſterioribus derogent etiam juratis, & quidem præſcindendo a jure poſitivo, licet his nuptiæ jam acceſſerint; V. ut denique ſponſus & ſponſa perfecte obligentur inire nuptias, & ad id cogi poſſint etiam inviti, vel ſaltem ad pœnam, ne matrimonia prorſus coacta infauſtos exitus ſortiantur. VI. Aſt recedere licebit a ſponſalibus, *repudium dare*, iis ex cauſſis, ex quibus aliud pactum, & ſpeciatim pactum ſociale diſſolvitur.

DCCVI. Societas conjugalis, ſi inter duas tantum perſonas ineatur, eſt *Monogamia*, ſi inter plures ſimul, *Polygamia* ſimultanea; hæc vero, ſi vir plures habet uxores, *Polygynæcia*, ſi uxor plures viros, *Polyandria* dicitur.

DCCVII. Polyandriam ſimultaneam ipſi legi naturali repugnare inde ſatis evincitur, quia incertus foret pater, & naturalis deeſſet ad educandum ſtimulus; dein quum femina non niſi ex uno mare concipere valeat, reliquæ conjunctiones omnes nullo bono fine cohoneſtari poſſent, ſed eſſent libido vaga; quod ipſum in promiſcua cohabitatione obtinet.

DCCVIII. De Polygynæcia major eſt diſputatio. Nam & vir ex pluribus ſimul uxoribus prolem procreare, & proles tamen certa eſſe, hinc finis matrimonii impleri adhuc po-

guinitas *connexio perſonarum*, *quatenus a communi cauſſa*, *ſeu procreatore & ſtipite deſcendunt*, *orta*, quæ ſi ex maribus profluat, *Agnatio*, ſi ex feminis, *Cognatio* in ſpecie dicitur.

DCCXIII. Cauſſa rei *proxima* eſt vel *remota*. Ita ſi *A* ponat *B*, & ex hoc veniat *C*, quod ſit iterum cauſſa *D*, tunc *D* cauſſam proximam ſeu in gradu primo habet in *C*, remotam in gradu ſecundo in *B*, & in gradu tertio in *A*. Quilibet igitur actus cauſſandi dat determinatum connexionis gradum, unde nata regula: *quot ſunt actus cauſſandi*, *tot ſunt gradus connexionis in ſerie cauſſarum efficientium atque effectuum*, ſive *tot ſunt conſanguinitatis gradus*, *quot ſunt generationes*.

DCCXIV. Series perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium dicitur *Linea*, & quidem *recta*, ſi contineat perſonas, quarum una alteram genuit, ſecus collateralis, ſeu *obliqua*.

DCCXV. Eſt porro *linea* recta *aſcendens*, ſi ad genitores, patrem, avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, majores: *deſcendens*, ſi ad genitos, filium, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, trinepotem, poſteros, reſpiciatur. Itaque in linea recta ita fit graduum computatio, ut *tot ſint gradus*, *quot perſonæ una demta*.

DCCXVI. In linea collaterali ſunt perſonæ, quæ a communi quidem ſtipite deſcendunt, ſed quarum una alteram non procreavit. Ut igitur a latere junctos concipiamus,

duæ aſſumi debent lineæ rectæ in communem adſurgentes ſtipitem, & ad ſe invicem relatæ: hæ vero ſunt *æquales*, ſi in uno latere idem adſit graduum numerus, ac in altero, *inæquales*, ſi numerus ille graduum ſit diverſus.

DCCXVII. Quum res diverſæ ſignis etiam diverſis ſint exprimendæ, ideo effectus proximi procreantium *fratres* & *ſorores* ſe invicem adpellant; unde fratris vel ſororis filius, nepos, pronepos &c., fratris & ſororis filia, neptis, proneptis oriuntur.

DCCXVIII. Duplex autem eſt ratio gradus computandi in linea obliqua; vel enim retinetur prior regula, ut *tot ſint gradus, quot in ambabus lineis ſunt perſonæ una demta*, vel vero quoniam collaterales ideo tantum ſibi ſunt connexi, quia communem habent ſtipitem, unicum potius erit conſiderandum latus, ut nimirum a latere juncti, *eodem gradu ſint inter ſe conſanguinei, quo vel uterque in linea æquali, vel remotior in linea inæquali diſtat a communi ſtipite.*

DCCXIX. Neceſſitudo inter conjugem unum, & alterius conjugis conſanguineos eſt *adfinitas*, in eo fundata, quod, quum conjuges connexi ſint, etiam alterutrius conjugis propinqui cum altero conjuge connexi videantur; ita quidem, ut quo gradu quis uni conjugi eſt conſanguineus, eodem gradu ſit alteri adfinis; quapropter inter conſanguineos mariti, & conſanguineos uxoris nulla eſt adfinitas.

DCCXX.

DCCXX. Matrimonia cognatorum in linea recta ideo a plerisque damnari ſolent, quod pudorem naturalem ubique gentium incutiunt, dein adfinitatum diffuſionem inhibent, & ob ætatis diſparitatem, ſterilitati & malæ procreationi ſunt obnoxia.

DCCXXI. Magis vero oſtenditur eorum turpitudo, ſi cogitemus amorem conjugalem ſine certa quadam conjugum æqualitate atque ingenuitate mutua conſiſtere non poſſe, quibus tamen conſueta parentum auctoritas & naturale imperium magnopere adverſatur; præcipue vero quod filialis reverentia & ſubjectio per tales nuptias facillime poſſet excludi. Earum contractus ergo prohibitus eſſe debet, ſiquidem legis naturalis & immutabilis violandæ apertam occaſionem ſuppeditat.

DCCXXII. Hæc ratio non obtinet pro ceteris conſanguineis in linea obliqua; dubitare porro non licet, quin inſpecta ſola naturæ lege valida ſint eorum connubia; quum tamen perpetua harum perſonarum familiaritas & converſatio inhoneſtas conſuetudines gignere poſſet, ſi ſperarentur nuptiæ: ſufficiens adeſt fundamentum, cur graviter illæ interdicantur.

DCCXXIII. Societas conjugum in ſe eſt neceſſaria, & ſola perſonæ determinatio a voluntate contrahentium pendet; igitur ejus diſſolutio ſolo conjugum diſſenſu ſemper fiere

nequit. Quin quum ambo educare liberos naturaliter teneantur, & mutuum ſibi adjutorium præſtare, quod ſine conſtanti amoris & amicitiæ vinculo foret exiguum, atque ingratiſſimum, naturale eſt, ut ſocietas conjugalis individuam vitæ conſuetudinem contineat. *L.* 1. *D. de R. N.*

DCCXXIV. Enimvero tales ſæpe obveniunt circumſtantiæ, in quibus *divortium*, quoad vinculum, hoc eſt, diſſolutio matrimonialis ſocietatis vivis conjugibus facta nec procreationi, nec educationi repugnat; veluti ſi alterutra pars ſterilis eſſet, aut liberi vel mortui forent, vel jam educati, aut ſi ob violatam fidem conjugalem, vel morum crudelitatem, nullam ſperare liceret conciliationem, & tunc ex ſolo rationis lumine haud adparet cauſſa, omnimodam diſſolutionem denegandi. *

* Dicendum hic de legibus divinis poſitivis:

I. *De vitanda polygynecia.* Gen. I. 27. & II. 24.
II. *De gradibus vetitis matrimonii.* Levit. XVIII. 6. & 24.
III. *De divortio.* Gen. II. 24. I. Corinth. VII. 13. Math. V. 32. XIX. 9.
IV. *De imperio mariti in uxorem.* Gen. III. 16.

CA-

CAPUT XXVI.

De ſocietate parentum & liberorum.

DCCXXV. Niſi ſpem eventus fallat, ſocietatem conjugalem conſequuntur liberi, qui homines ſunt, hinc jure connato ad res vitæ neceſſarias inſtructi, adeo tamen imbecilles, ut per ſe ipſos hoc jus exercere nullo modo valeant.

DCCXXVI. Eorum igitur educationem primo commendant parentibus naturales ſtimuli, ſeu *vox naturæ*, quæ vox Dei eſt, dein finis matrimonii eandem exigit; porro ad illam conjuges perfecte obligantur cum pacto conjugali, tum jure connato liberorum, quod violant parentes efficiendo, ut nati liberi rebus neceſſariis deſtituantur.

DCCXXVII. Qui obligatur ad finem, ei jus ad media convenientia denegari nequit: quum igitur pater & mater teneantur liberos educare, ac porro efficere, ut adoleſcant, & ipſi ſibi de rebus neceſſariis proſpicere, atque actiones ſuas legi naturali conformare valeant, competit quoque parentibus jus actiones liberorum, quamdiu hi officio ſuo ſatisfacere nequeunt, determinandi. Atque hoc jus eſt, quod *parentalem poteſtatem* adpellamus.

DCCXXVIII. Naſcitur poteſtas parentalis ex obligatione educandi, hæc autem a natura iis eſt impoſita, qui liberos *genuerunt*;

igitur hoc ſenſu Grotius non inepte * parentum jus in liberos a *generatione*, ſcilicet ut a fundamento mediato, derivavit.

DCCXXIX. Non autem opus eſt cum Puſendorfio ** recurrere ad ſocialitatem, vel ad pactum præſumtum cum liberis; nam ſocialitas jus educandi omnibus tribueret, & pactum præſumtum ſola fictione nititur. Abſurde autem ſcribit Hobbeſius *** *filium matris eſſe jure occupationis* ea lege factæ, ut filius non evaderet hoſtis, ſed obediret; nec enim liberi *res nullius* ſunt, ſed juribus ſibi connatis fruuntur. *v. Val. Max. VII.* 7. 2.

DCCXXX. Quum ſoboles ſit educanda, & juribus gaudeat connatis, habet ſine dubio jus in *vitæ & corporis ſui conſervationem*: adeoque poteſtas parentalis ad illas tantum actiones pertinet, quæ ſalva prolis conſervatione fieri poſſunt; non igitur ea comprehendit jus educationi contrarium, veluti liberos necandi, aut de vita & membris ipſorum pro lubitu diſponendi, nec concipi tanquam dominium poteſt, quod in res tantum, non in homines adquiritur.

DCCXXXI. Extendit ſe educatio ad omnes illos actus, per quos liberi efficiuntur apti ad bene, beateque vivendum; itaque jus habent parentes & obligationem alendi & perficiendi liberos in anima, corpore & ſtatu

tu

* *De J. B. & P. II. c. v. n.* 1.
** *Off. H. & C. II. c.* 3. §. 2.
*** *De Civ. IX.* 5.

tu externo, adeoque eos inſtituendi in religione, ſcientiis, artibus, aliisque mediis, quibus vitam honeſte tolerare poſſint. Quæ obligatio eatenus perfecta eſt, quatenus ea neglecta jus connatum liberorum violarent.

DCCXXXII. Quare *Expoſitio* infantis, denegatio alimentorum, & omnis actio conjugis, qua corpus vel animus ſobolis corrumpitur, non modo eſt alterius conjugis læſio, cui jus in mutuum adjutorium ad finem educationis vi pacti conjugalis fuerat translatum, ſed etiam eſt læſio liberorum, qui non minnus jus connatum habent & perfectum ad alimenta neceſſaria, quam ad avertendam ſui occiſionem. *cf. L. 4. D. de agn. & al. lib.*

DCCXXXIII. Salvum tamen eſt parentibus jus omnes ſumtus, pretiumque operarum educationis repetendi, ſi liberi ad meliorem ſtatum pervenerint, uti dictum eſt de iſtis, qui in extrema neceſſitate res accipiunt alienas.

DCCXXXIV. Quamprimum liberi uſum rationis nanciſcuntur, actiones ſuas arbitrio genitorum determinare, & ita voluntatem & vires ad finem educationis conjungere debent; incipit porro tunc ſocietas parentum & liberorum, ſeu parentalis, quæ eſt *Legalis*, & vel *Compoſita*, v. g. cum conjugali, vel alterutro deficiente conjuge, *Simplex*; dein *Inæqualis*, ſiquidem parentum poteſtas imperium eſt, cui dependentia liberorum, ſeu *ſubjectio filialis* correlata eſt.

DCCXXXV. Ex natura imperii parentalis intelligitur, cur parentes vivendi normam liberis ſuis jure præſcribant, eos obligent, & inobedientibus pro emendatione pœnas imponant; cur porro, quia nemo obligatur juvare illos, qui ſibi ipſis ſufficiunt, etiam operas liberorum in ſuam utilitatem convertere, easque cum ſumtibus & operis educationis compenſare poſſint; cur denique liberi parentibus obſequi, & laborando alere egentes teneantur, ita ut nec paciſci ſine conſenſu parentum, nec naturali imperio ſeſe ſubtrahere iis liceat. *v. Num. XXX.*

DCCXXXVI. Quum poſſit ſocius ſalvo communi bono etiam utilitati ſtudere privatæ, conſequens eſt, ut liberis permiſſum ſit ſibi res & jura adquirere a parentibus haud violanda, poſtquam omnes educationis ſumtus detraxere; nec enim parentes ſunt veri liberorum domini, adeoque ceſſat hic regula, acceſſorium ejus eſſe, ad quem principale pertinet.

DCCXXXVII. Homines, qui nec de alimentis ſibi proſpicere; nec proprias actiones ad futuram felicitatem ſoli dirigere poſſunt, naturaliter ſunt *Impuberes*, qui ad utrumque ſunt idonei, *Majorennes*, qui ad unum tantum, *Minorennes* vocantur.

DCCXXXVIII. Durat igitur obligatio educandi, & hinc imperium parentale uſque ad majorennitatem; quam ſi attingant liberi,

ceſ-

cessat societatis legalis finis, & ipsa hæc societas desinit. Etsi reverentiæ, & gratitudinis obligatio perpetuo permaneat.

DCCXXXIX. Actus, quo proles parentali potestate dimittitur, est *Emancipatio*; quoniam societas parentum & liberorum est legalis, naturaliter emancipatio a sola genitorum voluntate haud pendet.

DCCXL. Minorennes satis se dirigere, aut saltem se ipsos alere nequeunt, igitur arcendi sunt a societate conjugali, in qua liberis alimenta, & informatio debetur. Quare nuptiæ a minorenni invitis parentibus contractæ irritæ sunt, sed valebunt a majorenni celebratæ, nec enim bono societatis amplius sunt oppositæ, etsi officio interno gratitudinis repugnare aliquando possint.

DCCXLI. Sunt, qui societatem parentalem etiam finita educatione perdurare arbitrantur. Quidquid enim, ajunt, facto meo justo produco, illud fit meum adquisitum, sed pater & mater sunt concaussæ efficientes sobolis tamquam effectus communis eo animo, ut sit sua; itaque eam, quam producunt, indistinctim adquirunt. Ast regula hæc obtinet tantum circa res nullius, & quæ proprietatis sunt capaces, quæ in liberos non cadit. Quid? quod filii sæpe contra voluntatem, & scopum genitorum procreantur, animam vero, quæ propria hominis natura est, immediate a Deo accipiunt.

DCCXLII. Parentalis poteſtas fundatur ſaltem mediate in generatione, & ab inſitis naturæ ſtimulis temperamentum accipit; igitur proles nullius patrium imperium agnoſcere debet, quam eorum, a quibus vitam accepit: quæ ratio, quum in alio obtinere nequeat, parentes ſuam poteſtatem in alios transferre non poſſunt, quippe, quæ mere perſonalis eſt, & ideo liberi reſpectu extraneorum libertate naturali utuntur.

DCCXLIII. Poſſunt tamen parentes, qui egeni ſunt, vel aliter impediti, exercitium educationis aliis permittere, quod enim quis per alium facit, per ſe videtur feciſſe; & tunc haud læduntur liberi, ſed magis perficiuntur. Quum igitur, qui educant, vices ſubeant parentum, & vel mandatarii ſint, vel negotiorum geſtores, quænam ſint eorum jura & obligationes, ex dictis haud difficulter erui poteſt.

DCCXLIV. Speciatim *Tutores* dicuntur, qui impuberes parentibus deſtitutos, ſeu *Pupillos* educant, quæ *ſocietas tutelaris* ceſſabit ſimul, ac pupillarem ſtatum pupilli ſunt egreſſi, & ſe ipſos per ætatem tueri valent.

DCCXLV. Poſita eadem ratione idem rationatum poni debet. Quum jus parentale in generatione, & debito educandi fundatum ſit, utraque autem hæc cauſſa in patre æque ac matre obtineat, evidens eſt, poteſtatem in liberos utrique parenti naturaliter eſſe communem, alterutro autem mortuo

ad

ad superstitem devolvi, seu ei adcrescere; ast modus, quo potestas ab uno vel ab altero exerceatur, pacto etiam tacito determinari potest.

DCCXLVI. Ceterum, quum mater semper certa sit, pater autem aliquando incertus: quoniam in jure idem est, non esse & non adparere, naturale est, ut si soboles extra matrimonium fuerit suscepta, partus ventrem sequatur. *v. L. 24. D. stat. hom.*

CAPUT XXVII.

De societate berili.

DCCXLVII. Operæ nostræ suum valorem habent, certoque pretio æstimari possunt. Si quis igitur aut debito, quod pacto vel læsione contraxit, satisfacere, aut necessaria alimenta sibi comparare aliter nequeat, quam ubi creditori, vel alere volenti, operas domesticas pro sustentatione præstiterit, nulla dubitatio est, quin ad eas præstandas per propriam suam salutem obligetur, quum nec creditor jus suum adquisitum remittere, nec quisquam homini ad laborem idoneo victum & amictum gratis præbere teneatur.

DCCXLVIII. Qui jus habet perfectum operas ab homine exigendi pro alimentis, *berus* est, vel *bera*, & qui in eo vivit statu, ut operas ita præstare obligetur, est in *servitute* late sumta, *servus*, sive *famulus*, vel *ancilla*.

DCCXLIX.

DCCXLIX. Patet vero, inter herum & famulum intercedere ſocietatem; quæ jam *ſimplex* eſt, jam *compoſita*, ſemper vero *inæqualis*. Siquidem ſingula operarum genera, vel ſaltem ſpecies determinare pendet ab arbitrio heri, cui porro poteſtas, ſeu imperium *berile*, in operarios ſibi ſubjectos competit.

DCCL. In omni famulatu cogitari durabilis aliqua permutatio poteſt, ſeu contractus *facio, ut des*, vel *do, ut facias;* igitur *quantitas* & *qualitas* operarum & alimentorum, adeoque heri ac famuli jura & obligationes ex ipſa conventione ſaltem tacita definiri debent.

DCCLI. Quod ſi pro alimentis certa ſubſtituatur pecuniæ ſumma, tanquam eorum æquivalens atque menſura, naſcitur locatio & conductio operarum, quarum pretium eminens, quia mercedis venit nomine, etiam qui pro ea operas præſtant, famuli vel ſervi *mercenarii* vocantur.

DCCLII. Prout operæ vel *perpetuæ* debentur, vel *temporariæ*, dein vel *omnes*, vel tantum *certi generis*, etiam ſervitus vel *limitata* eſt, minus plena, imperfecta, vel *illimitata*, plena, perfecta atque *obnoxia*.

DCCLIII. Qui operas perpetuas & omnis generis debet, ſervus eſt ſtricte talis; ejus herus dicitur *deſpota* vel *dominus*, jus enim habet de ipſa operarum ſubſtantia & conſectariis diſponendi; ut porro ſervus nec ſibi adquirere quidquam, nec alteri ſe obligare domino in-

invito amplius poſſit. Ex quo, quid ſit *ſervitus* ſtrictius accepta, quid *ſocietas deſpotica*, ſeu dominica, non obſcure intelligitur.

DCCLIV. Societas herilis, in quam quis ſua tantum ſponte ſe addicit, eſt *ultronea*, quæ vero vi & metu juſto contrahitur, eſt ſecundum quid *coacta*, utraque tamen pactum aliquod involvit, ſine quo unio voluntatum, & unio virium atque obſequium exularet.

DCCLV. Itaque manifeſta ſunt hæc enuntiata: I. naturaliter nulla datur coacta ſervitus, ſed primum poſita læſione; II. ſecus homo ſerviret quidem majoris mali vitandi cauſſa, non tamen eſſet in ſervitute juſta.

DCCLVI. III. Qui hominem juſta vi comprehenſum ſive *mancipium* detinet in compedibus, vim infert phyſicam, quæ non cadit in voluntatem, talis igitur ſtatus ſocietas nondum eſt. * IV. Bello captus non ſtatim cogi ad ſervitutem poteſt, ſed ſolummodo, ſi factam læſionem aliter non velit, vel non poſſit reparare.

DCCLVII. In eo autem ſervitus ultronea differt a coacta, quod quum prior pacto celebretur, non majus jus transferatur in dominum, quam ſervus ſe transferre velle declaravit; contra quia poſterior jure belli extorquetur, jus includit indefinitum, quodque judicio victoris determinari poteſt.

DCCLVIII. Igitur ſervus ultroneus, qui ſpecialem elegit perſonam domini, & obliga-

* *Cf. Hobb. de Civ. VII. §. 4.*

tionem inivit mere perſonalem, in alios transmitti nequit, niſi tacite ſaltem in id conſentiat; aſt juſte alienari poterit *mancipium*. Atque ob has ipſas cauſſas nec ſervo in ſui locum alium domino ſervum obtrudere unquam licebit.

DCCLIX. Si ſervus obnoxius & ultroneus incidat in morbum, ut laborare amplius nequeat, dominus tamen perfecte obligatur ei victum & amictum præbere; is enim perpetuam alimentorum certitudinem cum obligatione ad omnes operas phyſice & moraliter poſſibiles contractu quaſi aleatorio commutavit; quæ ratio, quum non obtineat in mancipio, nec in ſervo minus pleno, eis tantum favor neceſſitatis, ſi expoſitis, vel derelictis eſſet pereundum, ſuffragatur, & jus perfectum in res neceſſarias tribuit.

DCCLX. An autem *vernæ*, ſeu proles ex ancillis natæ ad dominum ancillæ ſpectent, gravis quæſtio eſt. Adfirmat Pufendorfius * quod 1.) par ſit fructum corpus ſequi, 2.) quod proles naſcitura non erat parentibus a domino jure belli occiſis, 3.) quod ſumtibus domini alatur.

DCCLXI. Enimvero proles nec pacto, nec læſione ſe ad ſervitutem obligavit, pater autem dominium, quod ipſe non habet, aut jus parentale, quod mere perſonale eſt, non potuit in herum transferre; igitur dominus per ſervum non niſi exercitium patriæ poteſtatis adquirit, & jus in operas pro alimentis,

* De Off. H. & C. L. II. c. IV. §. 6.

quæ

quæ porro ubi perſolverit ſoboles, libertati erit reſtituenda. *v. Grot. II. c. V. §. 29. n. 2.*

DCCLXII. Falſum vero eſt, partum hominis unquam in fructu eſſe; falſum quoque, eum, qui mei nativitatem non impediit, quum poſſet, ideo jus dominii in me nanciſci. Itaque firmum manet, nullum dari naturaliter originariam ſervitutem.

DCCLXIII. Servus eſt homo, omnia igitur humanitatis officia eidem ſunt exhibenda, eſt juribus perfectis connatis inſtructus, & hinc ſtatum quidem aliquem moralem habet atque perſonam; ſed quum omnia jura domino adquirat, ratione ſtatus adſcititii perſona recte ei denegatur.

DCCLXIV. Quare, quæ apud pleraſque gentes dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtas fuit, niſi ad ſtatum colliſionis referatur, cum ſcilicet ſervus animum induit hoſtilem, nec alius eum coercendi patet modus, omnino injuſta eſt, & naturæ ſocietatis repugnat; hæc enim tendere debet ad commune bonum, nec ullo pacto jus legibus naturalibus contrarium in dominum transferri potuit. Et inde liquet, cur ſervus contra dominum, qui injuſtam necem inferre paratus eſt, jure ſe tueatur.

DCCLXV. Licet tamen domino ſervos inobedientes, vel errones, donec præſtent, quæ præſtare obligati ſunt, punire, perſequi fugitivos & ab iis, qui ſervos forte cor-

ruperint, debitam petere damni reparationem. Et quia læſio, quam ſuperior infert inferiori, *gravamen* vocatur, etiam ſervus jus habet poſtulandi a domino, ut gravamen ceſſet, & ſi immanis fuerit domini ſævitia, domo excedere poteſt.

DCCLXVI. De damno, quod ſervus ſine ulla domini culpa intulit tertio, ardua eſt controverſia, an illud dominus reſarcire, vel ſervum extradere teneatur. Nos utrumque negamus, quia 1) damnum is tantum reſarcit, qui illius eſt auctor, 2) ſervum vero retinens dominus jure ſuo utitur, & in pari cauſſa melior ejus conditio eſſe debet tamquam poſſeſſoris.

DCCXVII. Quid enim 3) ſi ſervus extraditus alium iterum læderet? nulla ſane eſſet ſufficiens ratio, cur ſecunda vice læſus præferatur, igitur maneat ſtatim penes primum dominum; ne ſecus 4) innocens herus ſolus pœnam ſentiat, quam ſervus facto ſuo promeritus eſt; quocirca ſufficiet talem ſervum caſtigare. *vid. Grot. II. c. XVII. §. 21.*

DCCLXVIII. Ita corruit Pufendorfii * argumentum, dum ait: ſervus homo eſt, ergo obligatur damnum datum reſarcire. Nam debet læſionem reſarcire ex *τῷ ſuo*, non ex re domini, cujus ſunt operæ. Quare data ratio non aliud evincit, quam quod, ſi ſervus aliquid a domino tanquam proprium ob-

* *De Off. H. & C. L. I. c. VI. §. 11.*

obtineat, vel liber fiat, damnum reparare teneatur.

DCCLXIX. Urgent: obligationem reparandi damnum esse connatam; igitur servum cum hoc onere ad dominum transire. Ast obligatio hæc est adventitia, & supponit factum læsionis; onus ergo reparandi damni ad dominum tunc solum transiret, si servus quemquam læsisset ante servitutem.

DCCLXX. Nec magis obstat, quod addunt: 1) qui sentit lucrum, eum sentire damnum debere; 2) jus defensionis dari etiam in servum, ergo & jus satisfactionis, secus 3) servum posse alios lædere impune.

DCCLXXI. Nam α) dominus lucrum sentit ex operis servi licitis, & ex illis etiam damnum patitur, neutrum vero ad eum pertinet ex operis illicitis. Dein β) læsus potest se defendere contra lædentem, ast dominus in nostra specie lædens non est. Denique γ) nec ideo servus manet impunitus, tenetur enim dominus illum coercere, ne alias factum læsionis adprobare videatur.

*Dicatur, an lex divina positiva sit, ut *Homicida morte puniatur*. Gen. IX. 6.

DCCLXXII. Quoniam servitus societas est, etiam modi, quibus societates finiuntur, huc adplicari possunt. Speciatim vero finitur 1) *manumissione*, quæ est actus, quo dominus servo jus operarum ex liberalitate & gratia condonat, quod facere utique potest.

teſt. 2) *exilio*, ſi dominus inobedientem ſervum per modum pœnæ expellat, eumque cogat a familia abire. Utroque caſu dominus juri ſuo renuntiat. *v. Hobbeſ. VIII.* §. 9.

CAPUT XXVIII.

De domo, ſeu familia, & ſucceſſionis jure.

DCCLXXIII. Si ſocietas conjugalis, paterna & herilis, vel duæ ſaltem ex his invicem conjungantur, fit ſocietas compoſita, quæ *domus* aut *familia* dicitur. Familiæ ſocii ſunt I. *pater & materfamilias*, ſcilicet conjuges, parentes & heri. II. dein *liberi*, ſeu filii & filiæfamilias, *famuli* & ſervi, hique communi *domeſticorum* nomine veniunt.

DCCXXIV. Omnis ſocietas proprium ſuum finem habet; igitur & domus, quæ ſocietas eſt compoſita, & a ſocietatibus ſimplicibus quaſi totum a ſuis partibus diſtincta ad peculiarem quemdam ſcopum collineare debet.

DCCXXV. Hic ſcopus, quoniam ex aliis duobus aut etiam tribus finibus ſimplicibus coaleſcit, alius eſſe nequit, quam ut ſimplex quævis ſocietas omnium reliquarum finem magis promovere, & ſingularia onera mutuo auxilio ſublevare teneatur. Et inde etiam perfectio, ſalusque domeſtica prodibit. Ceterum per ſe patet, ſocium partis etiam totius ſocium ſaltem tacite fieri, & hinc duplicis generis jura & obligationes adipiſci.

DCCLXXVI.

DCCLXXVI. In domo vel 1) ſocietas conjugalis cum parentali, & herili ſimul, vel 2) conjugalis tantum cum parentali, aut 3) tantum cum herili, vel 4) parentalis ſola cum herili reperitur; itaque domus omnis eſt ſocietas rectoria atque inæqualis, in qua tam ſuperiores, conjuges, parentes, heri, qua patres & matresfamilias, quam inferiores, filiifamilias, ſervique continentur. Ex quo colligitur, liberos non eſſe ſervorum dominos & non niſi parentum auctoritate iisdem imperare. *Plaut. Trinum. Act. II. Sc. II. v.* 48.

DCCLXXVII. Quoniam pater & materfamilias ſunt familiæ capita & imperantes, jusque in ſuos liberos, immo etiam in ſervos mutuo conſenſu adquiſitos inter ſe commune habent, conſequens eſt, ut naturaliter æquales ſint, & unam moralem perſonam conſtituant; fieri tamen poteſt, ut tota poteſtas ad unum tantum ſpectet, ſi altera pars moriatur, aut ipſis id pacto expreſſo vel tacito placuerit.

DCCLXXVIII. Imperans in domo jure perfecto gaudet I. leges, ſine quibus nulla ſocietas eſſe poteſt, promulgandi, II. præmia vel pœnas ſtatuendi, ac III. diſtribuendi, IV. diſpenſandi, V. legesque, obvia in ſocietate contingentes, abrogandi, tum VI. leges naturales magis determinandi, VII. pœnas mutandi, VIII. & eas remittendi, quatenus melior expletio finis in ſocietate œconomica id poſtulat.

DCCLXXIX. Poteſt porro IX. fines ſocietatum ſimplicium, ex quibus ſocietas conflatur, connectere, & relationem earum ad ſe invicem determinare. X. in caſu colliſionis facere exceptionem. XI. definire proedriam & alias prærogativas; XII. actiones ſubditorum dirigere, ut ſint media ad ſecuritatem in familia obtinendam, & hinc modum, quo bella orta gerantur, definire.

DCCLXXX. Denique ejusdem eſt XIII. petere a ſubjectis, ut actionum ſuarum rationem reddant, & *ordinem*, qui eſt ſimilitudo in ratione, qua plura conjunguntur, conſtanter obſervent. Hiſce autem juribus perfectæ domeſticorum obligationes ad præſtandum obſequium correlatæ ſunt.

DCCLXXXI Ceterum mutua quoque patris ac matrisfamilias inter ſe officia ex ſalute rei familiaris determinari debent: quare peccant familiæ capita, ſi alter alterius auctoritatem imminuat, ſi educationi liberorum, aut ſervorum correctioni ſive incuria, ſive malo exemplo injiciat impedimentum, ſi denique crudelitatem liberorum in ſervos, aut ſervorum nequitiam, qua liberorum mores corrumpunt, impunem eſſe patiantur.

DCCLXXXII. Supereſt, ut de ſucceſſionis jure, quod magnam partem in notione familiæ fundamentum habet, ultimo agamus. Univerſitas rerum tam corporalium, quam incorporalium, ſeu *bonorum*, in *ſenſu juridico*, ab

ab aliquo adquisitorum est ejus *patrimonium*; patrimonium a defuncto relictum dicitur *hereditas*, jus proprium hereditatem in τὸ *suum* recipiendi est *jus hereditarium*, & qui eo gaudet, *heres* nominatur.

DCCLXXXIII. Cuilibet licet de suo patrimonio pro lubitu disponere; igitur potest illud tam in præsens, quam in futurum, tam pure, quam conditionate & speciatim sub conditione vel mortis, vel simul non revocatæ voluntatis, alicui polliceri.

DCCLXXXIV. Promissio seu declaratio expressa, qua dominus sub duplici conditione *mortis*, & *non revocatæ voluntatis* bonorum suorum heredem instituit, siquidem nuda sit, vocatur *Testamentum*, si vero acceptatio accesserit, fit *Pactum successorium*, vel revocabile, vel irrevocabile, prout vel una, vel utraque conditio fuerit adjecta. Ex quo conficitur eum, qui promittere potest, posse etiam testari, & pacta successoria inire.

DCCLXXXV. Posito pacto successorio alter paciscens alterius patrimonium in τὸ *suum* recipit sub conditione & in diem; ad illud porro jus aliquod perfectum habet.

DCCLXXXVI. Quod si nuda sit promissio, sive *testamentum*, competit tamen heredi jus voluntatem declaratam acceptandi, quod non commune est, sed ipsius proprium; pua re ei jus hereditarium, quod est jus progrium, hereditatem in τὸ *suum* recipiendi a die mor-

 tis

tis & conditione non factæ revocationis suspensum, ei nequit denegari.

DCCLXXXVII. Mortuo testatore ipsa bona hereditaria nullius sunt propria; quum tamen heres institutus jus præcipuum, ac proprium habeat, illa in τὸ *suum* recipiendi, pertinent bona ad res *jacentes*, quas occupare reliquis non licet; siquidem heredem in juris singularis, ac proprii exercitio turbarent.

DCCLXXXVIII. Sunt igitur testamenta *juris naturalis* eo sensu, *ut habita defuncti dispositione reliqui homines teneantur a defuncti bonis abstinere*; ita, ut heres ex testamento post mortem testatoris pro jure hereditario conditionato & revocabili jus hereditarium purum, plenum, & irrevocabile nanciscatur.

DCCLXXXIX. Quoniam facultas testandi ex illimitato dominii jure arcessitur, dubium non est, quin, qui testari, atque heredem facere potest, ei etiam liceat, secundum aut tertium heredem nominare in casum deficientis primi, hoc est, *substituere*, dein ipsum heredem rogare, ut totam hereditatem, vel ejus partem restituat tertio, id est, *fideicommittere*, porro aliquid ex eo, quod universum heredis foret, in tertii cujusdam utilitatem delibare, sive alicui *legare*.

DCCXC. Quæ vero & quanta heredis, vel legatarii, qui non concurrit, portio accedat concurrenti, seu adcrescat, id ex regulis inter-

terpretandi voluntatem loquentis desumendum.

DCCXCI. Si nulla expressa dispositio defuncti de suo patrimonio reperiatur, quisque id voluisse censetur, quod naturæ est maxime congruum ob jus connatum bonæ existimationis; igitur is fit heres, quem defunctus *per naturam* maxime amare debuit.

DCCXCII. Qui enim alterum diligere obligatus est, eum etiam juvare tenetur, quantum fieri potest, & hinc bona, quibus amplius non indiget, ei relinquere; huic speciali obligationi jus quoque singulare correlatum est, bona in τὸ *suum* recipiendi, quod jus *hereditarium* diximus; dein hæc bona non pro nobis tantum, sed etiam ad alios juvandos comparamus, quem vero juvare volueris, id etiam ex factis declarari potest. *Cf. Grot. II. c. VII.* §. 3.

DCCXCIII. Obligatio parentum liberos maxime juvandi, & quidem perfecta respectu alimentorum, tam ex facto generationis, quam ex naturæ stimulis satis manifestatur; igitur defunctis parentibus naturale est, succedere filios, filiasque, & quidem in *capita*, id est, in portiones viriles, quum eadem pro omnibus naturæ ratio obtineat. *v L. 7. D. de bon. damnat.*

DCCXCIV. Quod si patri aut matri præmoriantur filii, vel filiæ, horum jus hereditarium ad sobolem transmittitur, quæ porro

ſuum patrem vel matrem *repræſentat*, atque hocce repræſentationis jure ſuccedit avo vel aviæ in partem, quam parentes habuiſſent, ſive in *ſtirpes*.

DCCXCV. Si nulli adſunt *deſcendentes*, naturale eſt, hereditatem defuncti *adſcendentibus* deferri, ſunt enim hi maximi liberorum benefactores, atque ideo maximum amoris gradum, ſeu conatum perficiendi promerentur.

DCCXCVI. Et quia parentes, qua tales, unum ſunt, etiam jus iisdem competens eſt indiviſibile; quare proximior adſcendens ſemper excludit remotiorem, & ſi omnes fuerint remotiores, hi non in *Capita*, ſed in *Lineas* vocantur.

DCCXCVII. Pater igitur & mater avos excludunt; quod ſi ſoli avi adſint, linea paterna medietatem, & linea materna aliam medietatem adquirit, etſi in una linea unica perſona, veluti avus tantum, in altera avus & avia reperiantur.

DCCXCVIII. Qui *a latere junctos* perficit, is id præſtat, quod communis ſtipes præſtare fuiſſet obligatus, adeoque ipſi communi ſtipiti re ipſa gratiam rependit; quare deficiente ſtipite, nil magis naturæ conſentaneum eſt, quam ut eos in primis juvemus, quibus opem ferre debuiſſet ſtipes; hic enim jus ſuum hereditarium ad proprios deſcendentes transmiſit, & ideo frater defuncti ejusdem avum excludit.

DCCXCIX.

DCCXCIX. Aliquando contingit defuncto nec descendentes, nec collaterales superesse; tunc ergo is jure hereditario gaudet, cum quo defunctus in proxima vixit societate, quia socius alterius socii commoda promovere obligatur, & quidem maxime, quando nulli amplius consanguinei supersunt. Jam per se patet, *conjuges* in proxima societate esse constitutos; his igitur post consanguineos proxime hereditas defertur.

DCCC. Jus hereditarium sæpe transmitti aliis posse visum est; fieri ergo potest, ut conjux ad personas sibi sanguine junctas jus suum derivet, & inde colligitur jus succedendi propter *Adfinitatem*.

DCCCI. Ex dictis intelligitur ordinem successionis naturalis esse sequentem: ut veniant I. descendentes non indistinctim, sed immediati & primi gradus in capita, mediati in stirpes. II. Adscendentes primi gradus seu pater & mater, dein III. fratres, & qui ab his progeniti sunt. IV. Familia avorum, id est, avus, avia, tum patruus & matertera. V. Familia proavi, hinc abavi, atavi &c. VI. Conjuges, VII. Adfines, VIII. alii socii, prout quisque est proximus.

DCCCII. Duplex itaque est modus, quo intelligitur hereditas *delata*, quam scilicet quis possit acceptando consequi: unus ex *testamento*, alter ab *intestato*; ac uterque quidem maximo nititur defuncti amore, & conatu

al-

alterum perficiendi usque ad extremum vitæ ſpiritum producto.

DCCCIII. Quum tamen alter ex ipſa fluat rei natura, alter vero ex facta declaratione voluntatis, tamdiu ſucceſſio naturalis ac legitima ab inteſtato præſumi debet, donec probetur teſtamentaria, quæ eſt hypothetica. Secus enim heres legitimus juſta ignorantia ſe tueri poteſt. *L.* 39. *D. de A. v. O. H. L.* 151. *D. de V. S.*

DCCCIV. Requiſita teſtamenti ejus *ſolemnia* vocantur, & quidem *interna*, ſi ad ejusdem eſſentiam, *externa* vero, ſi ad probationem ſpectent.

DCCCV. Ex quo conficitur, ut ſufficiens declaratio voluntatis vel viva voce, vel ſcripto facta internam ſolemnitatem conſtituat, ſolemnitas autem externa vel in ſcriptura teſtatoris ſatis recognita, & a ſuſpicione vis ac metus libera, vel in depoſitione teſtium, qui de voluntate defuncti idoneam faciant fidem, reperiatur. Quare ſine ſolemnibus teſtamenti tam internis, quam externis heres ab inteſtato haud excluditur.

DCCCVI. *Exheredatio* eſt actus, quo is, qui ſucceſſiſſet ab inteſtato, per expreſſam teſtatoris voluntatem jure hereditario privatur. Hæc naturali amori contraria eſt, adeoque non niſi propter colliſionem majoris cujusdam amoris adventitii licita fieri poteſt.

DCCCVII. Quia tamen amor coactionem non patitur, inique exheredatus testamentum nequit impugnare; aliud foret, si exheredatio cum violatione juris perfecti fuisset facta, ubi nimirum vel jam pactum adest successorium, vel liberi aliqua adhuc educatione indigent; tunc enim hi portionem bonorum ad id requisitam jure petere possunt, quæ dicitur *legitima*, & illi partem conventam vindicant.

DCCCVIII. Jus hereditarium est jus proprium bona defuncti in τὸ *suum* recipiendi; hanc voluntatem qui declarat verbis, dicitur hereditatem *adire*, qui factis, se *pro herede gerere*; non ante igitur adquiritur hereditas, utpote res jacens, quam ubi aditio, vel pro herede gestio intervenerit. Etsi vero tunc heres fiat hereditatis dominus, tamen possessionem non nisi actuali adprehensione nanciscitur.

DCCCIX. Sunt itaque hæ regulæ juris naturalis: I. Qui usu rationis caret, ipse hereditatem adire nequit. II. Aditio fieri potest etiam per mandatarium. III. Qui pacto est heres, nova non indiget acceptatione. IV. Quod ajunt: hereditas non adita non transmittitur, verum est in successione testamentaria, non autem in legitima, in qua transmissio ab ipsa lege fit.

DCCCX. Heres succedit in omnia jura & obligationes transmissibiles defuncti, quæ sci-

licet non ſunt mere perſonales, & ideo una videtur eſſe cum defuncto moralis perſona. Sed quia is obligationes contrahit, quatenus eſt hereditatis dominus, naturaliter non tenetur ultra vires hereditarias, nec legatis onerari magis, quam fuit honoratus, poteſt. *L.* 9. *C. de. Fid.*

DCCCXI. Quemadmodum hereditatem adire, ita eandem *omittere*, ſeu *repudiare* heres poteſt, ſiquidem cuique liberum eſt juri ſuo permiſſivo renuntiare. Quod ſi quis eam nec repudiare, nec tamen adire velit, poterit proxime ſucceſſurus primi heredis voluntatem exquirere, & ſi nulla detur ſufficiens ratio protractæ aditionis, ipſe vi naturalis ſubſtitutionis hereditatem adire, idque eodem jure, quo officia innoxiæ utilitatis negativa poſtulantur.

DCCCXII. Infirmatur autem naturaliter teſtamentum variis de cauſſis, I. ſi deſit ſollemnitas vel interna, vel II. externa, III. ſi vivus teſtator mutaverit voluntatem, IV. ſi portio lege perfecte debita cuidam non ſit relicta, V. ſi teſtator venerit in ſervitutem obnoxiam, denique VI. ſi heres hereditatem repudiet. Juris civilis auctores primum teſtamentum dicunt *nullum*, ſecundum *injuſtum*, tertium *ruptum*, quartum *inofficioſum*, quintum *irritum*, ſextum *deſtitutum*.

DCCCXIII. Sunt, qui doctrinam ſucceſſionum totam adſcribunt juri poſitivo. Ajunt enim,

enim, 1) mortuo domino res esse derelictas, 2) atque nullius, & ideo primi occupantis fieri, 3) dominium nostris usibus esse concessum, adeoque cum vita interire; 4) nec ostendi momentum & modum posse, quo illud in heredem testamentarium transiret, cujus 5) voluntas cum defuncti voluntate nunquam conjungatur.

DCCCXIV. Nihil igitur 6) detrahi de jure alterius per occupationem patrimonii a defuncto relicti; 7) quod vero sæpius id minus æquum videatur, propterea non statim a justitia discedere, & 8) saltem successionem testamentariam principiis de successione legitima stabilitis repugnare.

DCCCXV. Enimvero 1) bona non derelinquit, qui ea in alterum transferre vult, 2) quæ porro non sunt simpliciter nullius, sed jacentia; 3) etsi vero dominium post mortem cesset, vivus tamen dominus de rebus disposuit, quas etiam in alienum auxilium impendere erat obligatus, 4) transit autem jus hereditarium conditionatum in heredem statim a declarata voluntate testatoris modo derivativo, 5) nil autem obstat, quin voluntas nunquam revocata, etiam post mortem dicatur durare.

DCCCXVI. 6) Quapropter, qui hereditatem acceptare volenti adfert impedimentum, turbat jus illius proprium, & 7) hinc non iniquus modo est, sed etiam injustus,

8)

8) denique ſucceſſio legitima jure naturæ quidem præcepta eſt, attamen propter colliſionem aliter aliquando diſponere domino permittitur. Ceterum quoniam admittunt adverſarii, imperantem in majoribus ſocietatibus leges ſuccedendi ſtatuere poſſe, quonam ex fundamento hanc facultatem familiæ capiti, eique, qui nullius alterius hominis arbitrio ſubjectus eſt, abjudicabunt?

F I N I S.



